Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geo-hydrographia s. orbis terrarum descriptio - Cod. Ettenheim-Münster 111-116

Gallia seu Francia - Ettenheim-Münster 112

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Liber II. - De Gallia seu Francia

urn:nbn:de:bsz:31-111144

Visual Library

Liber
~~Caput~~ II.
De Galliâ seu Franciâ.

Ampla Regionis hujus Hispaniæ proximæ non semper idem nomen, iidemque limites fuêre. Primùm à Celtis Nepotibus filii Gomeri, qui Japheti filii Patriarchæ Noë primogeniti gratus fuit, posteris post Diluvium hùc appulsis Celticam fuisse nuncupatam Veteres testatum reliquerunt, quod nomen aliquâ non modò etiam Hispaniæ, prout lib. præcedenti memoravimus, sed et Germaniæ, Illyrico, et Insulis Britannicis tribunt; at plerique veteres nomen istud tot Europæ provinciis et regionibus adscripsêre, ut omnibus adscripsisse videantur, inter quos Ptolomæus, qui lib. 2. quadripart. hanc Orbis Septentrionalem partem ex nomine Nationum, quas eam incolêre, Celticam fuisse nuncupatam ait; undè concludunt eruditi illud commune totius Europæ nomen fuisse.

Unica ergò Celtarum Gens post Diluvium totam Deinceps implesse videtur Europam, atque sensim in varias illius dispersa regiones, varia etiam et specialia, relictò veteri, nomina assumsit, Solâque illa Natio, quæ eam, quam nunc Franciam vocamus, Europæ plagam [illegible] cæteris paulò diutiùs & incolit, Celtica nomine servavit, donec tandem hùc etiam mutato nomine, primùm Gallica [quamvis ejus eadem ac Celticæ nominis esse videatur significatio:] ac denùm Francica dicta est.

Undè autem hi populi Celtæ nuncupati fuerint, satis arduum est definire. Sunt, qui dicant, illos nomen istud habuisse ab ipsorum Rege, qui Celta vocabatur. Alii post Strabonem verisimiliùs arbitrantur illud esse honoris titulum, atque Celtarum linguâ idem significare ac animosos, fortêsque, seu valentes vivos, quô ipsos insignivêre, et demùm etiam ab aliis vocati sunt. undè et illud à Celticâ Dialecto germanicum ~~Germanicum~~ Gelten, valere; antiqui enim Ge enuntiabant sunt Ge vel Ke.

Hi Celtæ pòstmodùm Gallos fuisse appellatos memorat Cæsar De Bello Gal. init. ubi ait: Populi isti linguâ suâ Celtas se nuncupant, nos linguâ nostrâ Gallos dicimus. Consentit Pausanias* in Atticis. Tandem, inquit, ubique Γάλατας; Galata [quod idem est Latinè ac Galli] nuncupati fuêre.

Cæterùm alii nomen istud derivant à Galatheâ Herculis filiâ, à quâ dein regio ipsa Gallia, populique Galli dicti fuerint, undè vetus Galliarum nomen les Gaules, les Gaulois. alii à Rege Galate Herculis Ægyptii filio. alii autem dicunt Herculem ibi filium genuisse Galatem, nomine

1.

2.

* Pausanias Historiographus Græcus hos. Sit Lexicon vocabulorum Atticorum, ejus meminit Photius in suâ Bibliotheca Codice 183.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

necnon ipsius nomine totam regionem Galliam dixisse. alii denique volunt id nomen à voce hebraeâ Ghalim, quae latinè idem significat ac Migrantes, provenire, quòd hi populi ab horridis et inamoenis borealibus Europae plagis velut devoluti meliores quaesituri ab unâ illius regione in aliam demigrârint, ob idque Galli seu Migrantes vocati fuerint.

Nos post multos alios oppidò eruditos viros arbitramur, Celtas, Galatas, et Gallos eandem prorsùs habere significationem, idémque nomen esse à variis Nationibus diversimodè enuntiatum duntaxat, virósque animosos et fortes indicare.

3. Demum Gallia novô nomine Francia (: La France :) dicta est à Francis Germaniae populis ob libertatem, quam sibi asseruerant, sic nuncupatis juxtà vetus Germanicum nomen Franck, quod idem erat ac nunc Frey liber; undè et adhuc Gallicè franc etiam usurpatur pro libero. Iti à provinciis, quas Mare Balticum aluit, demigrantes primò Albim (: die Elbe :) dein Visurgim (: Weser :) trangressi, tandem ad Salam (: Saal :*) fluvium, qui eam regionem, quae nunc Francia Orientalis seu Franconia dicitur, perfluit, praecipuè consederunt: undè primùm Galliam variis incursionibus infestârunt, ac tandem post initium Saeculi V. et circà annum Christi 420. in eam penetrârunt Romanisque, qui eidem tunc dominabantur, exturbatis, illâ potiti sunt, atque nomine suô Franciam ~~[illegible]~~ Occidentalem, ad distinctionem propriae patriae, quae cùm Galliae Orientalis esset, Franciam Orientalem dixerunt, quo nomine hodiedum adhuc nuncupatur, atque ab eâ *Herbipolensis Episcopus Franciae Orientalis Dux dicitur.

Et haec vera est nominis Franciae Regni et Francigenarum origo. At sanè velut egregii fabularum compilatores ridendi sunt ii, qui quodam Francigenis placendi studiô, illos ex urbe Trojâ, post illius excidium deducunt, necnon postquam sub Philippô ~~et Alexandro~~ Macedonum Rege ~~et~~ ejus filiô Alexandrô Magnô stipendia meruissent, et quorum auxiliô hi reges stupenda sua edidissent facinora, tandem ad memoratam à nobis Europae plagam devenisse memorant.

Nec etiam audiendi sunt alii quidam Francigenae Scriptores neoterici, qui, cùm ea haud negare valeant, quae Cluverius, Pontanus, Valesius et alii de Germanâ Francorum seu Francigenarum origine tàm solidè stabilierunt, praeposterô in gentem suam zelô abrepti honorificentiùs fore putârunt, hodiernos Gentiles suos ab ipsismet veteribus Gallis derivare; proinde nullo

* ab hoc fluviô lex à Pharamundô Francorum Rege stabilita, quâ foeminae à coronâ excluduntur, nomen accepit, quae hodiedum in Galliâ viget, atque Salica dicitur

* Herbipolis seu Wirtzburgum urbs Franconiae Metropolis, in eâ Episcopus residet, qui Orientalis Franciae seu Franconiae Dux salutari avet.

testa statuerunt, eos veteres Gallorum colonias "Lusitaniæ" in Germaniam profecti longè sat tempore ibidem consedissent, ac tandem velut postliminio ad sua hósque redissent. At Scriptores isti, non quod verum est, sed quod duntaxat esse verum, tuentur.

Gallia limites olim ac Romanorum ætate longiùs, quàm nunc porrigebantur. Namque generali divisione respectu urbis Romæ alia ab ipsis dicebatur Transalpina seu Ulterior, Cisalpina seu Citerior alia; hæc erat illa pars Italiæ quam Galli Alpes trangressi occupârant, et quia ad meram Romanorum togis utebantur, Togati diti sunt, regióque, in quâ consederant, Gallia Togata nuncupata. Transalpina verò seu Ulterior iisdem fermè terminis concludebatur, quibus hodierna Francia continetur. De eâ hic duntaxat nobis sermo est: de Cisalpinâ autem, cujus nomen jam pridem antiquatum est, et quæ hodie partem Italiæ constituit, agemus, ubi ad Italiam pervenerimus. 4.

Gallia igitur Transalpina seu Ulterioris initiò bina etiam partes erant, una Gallia Braccata dicebatur, quòd illius incolæ brevioribus vestibus, quas patriò nomine Braccas vocabant, uterentur; undè et ipsi Galli Braccati nuncupati, híque propinqui erant mari Mediterraneo: alia Comata dicebatur, quòd illius incolæ comam nutrirent, promissóque gestarent capillos, undè et ipsi Galli Comati diti fuêre; hi ad Oceanum longiùs positi erant.

Augustus Cæsar Galliam Braccatam Narbonensem dixit; Comatam verò in tres partes divisit, atque unam Aquitanicam, alteram Belgicam, tertiam verò veteri totius Galliæ nomine Celticam et etiam Lugdunensem vocavit. Hinc etiam à subsequentibus Scriptoribus hæc harum quatuor Galliæ partium distributio servata est.

Narbonensis igitur limites erant à ~~Meridie Montes py-~~ Mont. S. Jacobæus
renæi; ab ~~Meridie~~ Occasu Mare Gallicum; ab Ortu Alpes; et montes Pyrenæi et provincia Aquitanica
à Septentrione pars Celticæ seu Lugdunensis et Belgicæ: illius regiones erant Narbonensis propriè dicta seu Languedoria aliàs etiam Occitania, aut Septimania /: le Languedoc :/ Provincia /: la Provence :/ Delphinatus /: le Dauphiné :/ et Sabaudia /: la Savoye :/ antiquitùs harum provinciarum incolæ fuerunt Allobroges, Centrones, Segolauni, Vocontii, Caturiges, Cavares, Salyes, Gabali, Rutheni, Helvii, Volcæ, Tectosages, et Volcæ Arecomici. Modò ejus limites paucò anguliores sunt, ut quòd Sabaudia ab ipsâ sit distincta. 5.

Aquitanica à montibus pyrenæis incipiens extenditur usque ad Ligerim /: la Loire :/ fluvium. Nomen accepit 6.

ab aquis propter magnam earum ibi copiam, tùm crebriorem illarum exundationem. Ejus fines vergunt ab Occidente ad Oceanum Aquitanicum; à Septentrione et ortu ad Ligerim; à Meridie habet tùm Pyrenæos Montes, tùm Gabiam Narbonensem.

Illius regiones alia collocantur ad partem sinistram seu cis Garunnam [: La Garonne :] fluvium, alia ad dexteram sive ultrà Garunnam. Cis Garunnam sunt provincia Beamia et Navarra inferior, Bigorria, Vasconia, Guienna, et quatuor comitatus Comingia, Armeniacus, Fuxensis, et Albretanus: ultrà Garunnam sunt provincia Pictonia, Santonia, Petrocorium, Lemovicensis, Alvernensis, Biturigensis, Saloniæ et Borbonia.

Illius incolæ olim fuerunt Ausci, Vasates, Bigerriones, Tarbelli, Cadurci, Petrocorii, Averni, Lemovices, Bituriges, Pictones, et Santones.

7. Celtica seu Lugdunensis hæ sunt provinciæ: Lugdunensis Ager, Segusianus Ager [: Forez :] Bellejoriensis [: Beaujolois :] utraque Burgundia, Ducatus nempe et Comitatus; Nivernia; Francia specialiter sic dicta; Belgia; Britannia, quæ respectu magnæ Britanniæ, aliàs Angliæ, Minor dicitur; et Normannia.

Antiquitùs in eâ hi numerabantur populi: Osismii, Veneti, Namnetes, Curiosolites, Redones, Andegavi, Turones, Aulerci, Unelli, Carnutes, Lexobii, Parisii, Senones, Tricassii, Ædui seu Hedui, Vadicasses, et Segusiani.

8. Belgia denique, quæ à Sequanâ [: La Seine :] fluviô usque ad Rhenum protendebatur, hæc comprehendebat provincias, Insulam Franciæ [: l'Isle de France :] Picardiam, Campaniam, Lotharingiam, Helvetiam, Alsatiam, Palatinatum inferiorem, Trevirensem, et Belgium Austriacum. ab eâ nunc separata sunt Helvetia, Palatinatus inferior, Trevirensis et Belgium Austriacum olim Hispaniæ.

Olim incolæ ejus erant: Tanaudri, Menapii, Morini, Ambiani, Bellovaci, Caleti, Veliocasses, Atrebates, Nervii, Eburones, Condrusi, Segni, Caresi, Cæmani, Veromandui, Suessiones, Silvanectenses, Rhemi, Treviri, Mediomatrices, Leuci, Lingones, Sequani, Rauraci, Helvetii, Ambrones, Ubrigeni, Trebocii, Nemetes, Vangiones, Ubii, Gugerni, &c. Vide Plinium lib. 4. c. 17.

9. Modò autem Gallia seu Francia limites sunt ad Septentrionem Belgium Austriacum et Hollandicum seu Fœderatum, aliàs Germania inferior, à regione Frisii Galliæ

seu Britanici, olim Morinorum dicti, quòd olim Morini populi has partes incoluerint. Fretum istud Galliam ab Anglia separat; Galli illud suâ linguâ le pas de Calais vocitant, id est, passus Caletanus seu Caleti, ob illius angustiam, velut uno passu à Caletô in Angliam transmeari posset, quod per hyperbolem ab ipsis dicitur: alio adhuc nomine illud Manicam |: La Manche :| nuncupant, quòd manicæ figuram referre videatur. Ad Orientem ejusdem limites sunt Germania, Helvetia, et Sabaudia; ad Meridiem Mare Mediterraneum et Montes Pyrenæi; ad Occidentem Oceanus Atlanticus, qui in his partibus Mare Aquitanicum dicitur.

Gallia ampla est Regio, ejusque provinciæ omnes sunt sibi invicem contiguæ ita, ut facilè una alteri suppetias ferre possit. Ejus longitudo à Promontoriô Gobæô |: Le Four, seu S. Mahè :| dictô, ubi Urbs Conquestus |: Conquet :| in Britanniâ inferiori usque ad Varum |: Le Var :| fluvium, qui Provinciam |: La Provence :| à Pedemontiô |: Le Piemont :| separat, est circiter 180. milliarium Germanicorum; latitudo verò à Pyrenæis jugis in Bearniâ usque ad extremam Picardiam 140. circuitus verò 558. 10.

Fluvii ejus præcipui et nobiliores sunt: Ligeris |: La Loire :| è Gebennâ seu Cemmenis aut Gebennicis montibus |: Les Sevennes :| orta magnâ aquarum mole in Aquitanicum Oceanum se exonerat. Sequana |: la Seine :| in Ducatu Burgundiæ juxtà Nivernum civitatem prosiliens, Campaniam, Insulam Franciæ, et Normanniam perfluens, atque Matronam |: Le Marne :| secum devehens in Oceanum Britanicum ubi fretum Gallicum |: La Manche :| inter duo Oppida Honflorium |: Honfleur :| et Heriflorium |: Harfleur :| delabitur. Garumna |: La Garonne :| è Cataloniâ in Araniâ valle |: La vallée d'Aran :| propè Montes Pyrenæos scaturiens Aquitaniam perfluit multisque aliis minoribus fluviis gravida tandem haud procul à Burdegalâ |: Bourdeaux :| propè Burgum seu Ebromagum |: Bourg :| Duranio |: Dordone :| qui in Alverniâ nascitur, se conjungit, ac tùm nominibus mutatis uterque Girunna |: Gironde :| deinceps nuncupatur, necnon propè Insulam et Turrim |: La Tour de Cordova :| Mari immergitur. Rhodanus |: Le Rhone :| amnis velocissimus inter tres maximos Europæ fluvios computatus, in Alpium jugô, quod Furca |: Fourche :| dicitur, natus, indè in Occasum fluens lacum Lenanum |: Le Lac de Geneve :| transit, et juxtà Lugdunum Ara- 11.

rim |: La Saone :| fluvium tardissimum in Lotharingiæ Monte, Vogesô |: Vauge :| ortum excipit, et deinde ad Meridiem conversus in Mare Mediterraneum secum trahit.

Hisce fluviis etiam accedunt Scaldis |: L'Escaut :| in Picardiâ scaturiens, ubi Castelletum urbem |: Catelet :| alluit, post agrum Cameracensem, Hanoniam et Flandriam perfluit, ac in Brabantiæ confiniis in duos ramos dividitur, quorum unus Scaldis occidentalis, alter orientalis nuncupatur, uterque tandem Oceano immergitur, prior inter Cassandam |: Cassant :| in Flandriâ Hollandicâ, et Valachriam |: Walcheren :| in Zelandiâ; posterior verò inter Valachriam et Scaldiam |: Schowen :| in Zelandiâ Insulas. Mosa |: La Meuse :| in Campaniâ oritur non procul à Lingonô |: Langres :| ubi etiam Matrona |: La Marne :| scaturit. atque Ducatum Barensem, Septentrionalem Campaniæ partem, Comitatum Namurcensem, Episcopatum Leodiensem, Brabantiam Hollandicam, et Hollandiam ipsam perfluit, dein Dordraci |: Dort seu Doodrecht :| in duos ramos dividitur, quorum Septentrionalis Mervæ |: Merve :| nomen assumit, atque Roterodamum alluit, et paulò post ramo suo meridionali iterùm junctus largissimô ostiô in Mare præcipitatur.

Somona seu Samara |: La Somme :| Duabus à Quintinopoli |: S. Quentin :| Picardiæ urbe Leucis nascitur, eam alluit, ut et Hamonam |: Ham :| Peroñam |: Peroñe :| Corbejam |: Corbie :| Ambianum |: Amiens :| Abbavillam |: Abbeville :| ac tandem propè S. Valericum |: S. Valery :| mari Britannico immergitur.

Dubis |: Le Dou :| magnum in Comitatu Burgundiæ flumen; ortum habet in Jurassô monte |: Le Mont Jura :| propè Convallem magnum |: La grande Combe :| à Meridie in Septentrionem fluit usque ad S. Ursicinum |: S. Ursanne :| urbem Principatûs Alsgaugensis |: le pays d'Ajoye :| seu Episcopatûs Basiliensis, ~~[illegible]~~ quam et alluit, statimque à Septentrione ad Meridiem denuò flectitur usque ad S. Hypolitum |: S. Hypolite :| in Comitatu Burgundiæ, ubi iterùm à Meridie in Septentrionem cursum suum vertit, donec infrà Virodunum |: Verdun :| Arari |: La Saone :| jungatur. Druentia seu Druentius |: La Durance :| scaturiginem habet in Alpibus ad Genebram Montem |: Le Mont Genevre :| in Delphinatu; postquam illius partem præterfluxit Provinciam |: La Provence :| intrat, et plurium aliorum fluviorum aquis tumidus leucâ seu Milliari Gallicô infrà Avenionem |: Avignon :| Rhodano immergitur. Carantonus |: La Charante :| ortum habet

in confiniis Marchiæ |: La Marche :| et Lemovicensis |: le Limousin :| agri, necnon Pictaviensis |: Le Poitu :| regionis partem, Inculismensem |: Engulême :| Santonensem |: Saintonge :| agros transmeat, ac demum è regione Uliari Insulæ |: L'Isle d'Oleron :| mari Aquitanico immergitur.

Montes Galliæ seu Franciæ præter Pyrenæos, qui eam ab Hispaniâ separant, præcipui tres numerantur: Gebenna, seu Montes Gebennæ, vel Gebennici |: les Montagnes de Sevennes :| Montes hi Gebennico seu Cemmenico Tractui |: Les Sevennes :| nomen dederunt, atque ad triginta circiter milliaria Gallica seu Leucas porriguntur ab Aquilone in Africum, initiumque sumunt non procul à Ligeris |: La Loire :| fontibus, terminosque habent in finibus Agri Ruteni |: Rovergue :| et Superioris Occitaniæ |: Le Haut Languedoc :| versùs Luteram |: Lodeve :| urbem. 12.

Vogesus |: Vauge :| Mons Lotharingiæ, qui eam versùs Meridiem à Comitatu Burgundiæ, et versùs Orientem ab Alsatiâ separat, post in Bipontinum Ducatum |: Le Duché des deux ponts :| et partem Palatinatûs Rheni |: Le Palatin du Rhin :| protenditur.

Jura seu Mons Jurassus |: Le Mont Jura :| Est magna montium catena, quæ à Rheno propè Basileam |: Basle :| urbem ad Rhodanum usque quatuor infrà Generam |: Geneve :| leucis seu milliaribus Gallicis porrigitur. Olim Mons ista Burgundiam distinguebat in Cis Juranam et Trans Juranam: hodie separat Helvetiam à Comitatu Burgundiæ |: La Franche Comtée :| et Bugesiâ |: Bugey :| In variis locis varia sortitur nomina; secundùm oram Rhodani longum Credo |: le long Credo :| nuncupatur; inter Comitatum Burgundiæ et Bugesiam Mons S. Claudii |: Le Mont S. Claude :| versùs fontes Danii |: Le Dain :| et Dubis |: le Dou :| Mons Jovius |: Mont Joux :| et in confiniis Episcopatûs Basiliensis seu Principatûs Alsgaugiensis, necnon Pagorum Basiliensis et Solodurensis |: Soleure :| Vocetus |: Piereport, Botzberg seu Strinthor :|

Francia temperatô et amoenô fruitur aëre, solúmque ejus ubique fertilissimum est, necnon omnia ad commodam vitæ humanæ sustentationem necessaria et utilia abundè subministrat, incolis frequentissima adeò, ut hominum matrem feracissimam meritò dixeris, quâ de causâ optimis Europæ regionibus accensetur, undè et Claudianus* felicissimam, Cæsar saluberrimam, alii mundi unionem appellaverunt. Veteres dixêre Galliam habere quatuor magnetes, qui foris omnem ad se trahunt pecuniam: ut sunt frumentum, 13.

* Alexandria urbs Ægypti nobilissima mundo edidit Claudianum suæ ætatis celeberrimum Poëtam, quem Ethnicum fuisse dicunt, floruit

Seculo IV. ad finem vergente Sub Theodosio Magno et Honorio ejus filio Imperatoribus.

vinum, Sal, Limum; Juniper pecorum, armentorum, ovium, piscium, ferarum, volatilium, fructuum, Sericî, panni, immensâ copiâ dives est: equorum tamen quandam patitur penuriam; unde dici solet, quòd, si Hispania tot progigneret homines quot Gallia, et vicissim Gallia tot equos quot Hispania, ambo regna rebus omnibus abundarent. In Francia quoque sunt variorum metallorum fodinæ.

Et quia ad tria sui latera Mari circumdatur opportunum commodúmque situm exhibet ad exercenda commercia, quæ hodiè in eâ vel maximè florent.

j4. ovr. Quod ad Incolarum mores et genium spectat. Galli jucundi sunt simulque perhumani ac civiles adeò, ut urbanitas primùm ab iis ad alias nationes pervenisse videatur, quas etiam frugalitate ac temperantiâ superant. Frequentissimè barbam abradunt, linteúmque mutant, neenon magnificè utuntur amictu, quæ in eis munditiei studium produnt. Magnanimi et animô fortes, velut ad bellum nati in prælijs audaces et pronti, quamvis interdum non satis pertinaces. Agiles atque in corporis exercitijs, ut saltatione, gladiatoriâ, ~~equitatione~~ sunt expertissimi. Studia quæque scientias et artes eximiè colunt, in iisque miè proficiunt: in Mathematicis habiles, et in Architecturâ sive civili sive militari exercitatissimi, ingeniosi admodùm, sed ad ea, quæ ab alijs inventa sunt, perficienda, quàm ad excogitanda magis comparati, quòd hîc eos patientia deserat. Regi suo fidelissimi; in adversis æquè ac properis constantes. Elatos spiritus gerunt se iisque immodicè jactant, aliena itaque spernunt et contemnunt. Propriis commodis inhiant, variis præsertim in vestium formulis. Advitia, præsertim canis, proni et faciles. Fide labiles, pactis et promissis ligari se interdum ægrè patiuntur, dedens fors arbitrati data fidei manipia. Se præbere et esse. Ad iram præcipites, et vindictæ cupidi, sub tuendi honoris et famæ specie frequenti monomachiâ mutuò se conficiunt. Litium avidi facilè et fermè continò contendunt judicio. Denique Gramigena, ait quidam, inquietum hominum genus, semper vel cum exteris, vel semet ipsis simultates et bella gerunt, altercantúrque.

j3. bmr. Quantùm ad Religionem prioribus XVI. et XVII. Sæculis hîc vigebant in Gallia Religiones, Romano-Catholica scilicet, quam Rex cum maximâ Gramia parte profitebatur, et Calviniana à Calvino illius Auctore sic dicta, quam amplectebantur* Hugonoti /: Huguenots :/ in variis Regni provin-

* an. 1560. vel 1561.

ciis et regionibus dispersi, ubi ex edictô Henrici IV. Nanneti /: Nantes:/ in Britanniâ an. 1598. dati liberum habebant Sectæ suæ exercitium usque ad an. 1685. quô Ludovicus XIV. edictum illud revocavit, missique ab ipso in omnes Regni provincias equites catapultarii /: Dragons:/ quos Missionarios ocreatos /: Missionaires botés:/ vocitabant, qui Sectarios istos vi ad avitam et Catholicam fidem reducerent. Quidam conversi sunt, alii relictis possessionibus suis in Helvetiam, Hollandiam, Angliam, Marchiam Brandeburgicam, aliasque Germaniæ provincias se receperunt: et sic sola Romano-Catholica Religio hodie in toto Franciæ Regnô floret, si Tractum Gebennicum /: Les Sevennes:/ in Occitaniâ seu Languedociâ excipias, in quo adhuc multi Calvinistæ degunt; quibus tamen publicum Religionis suæ exercitium minimè conceditur.

Inter hujus Regni Catholicos haud pauci sunt, qui vulgò Janseniani audiunt, à Cornelio Janseniô Yprensi Episcopô sic dicti, quòd ejus doctrinam circà peccatum originale, liberum hominis arbitrium, et gratiam Christi in Opere expressam an. 1640. post ejus obitum Parisiis typis vulgatô, cui ipse nomen Augustinus fecit ideò, quòd in illo mentem S. Augustini circà hæc tria fidei Christianæ capita à se expositam venditaret, Sectari videantur. Alio adhuc nomine Quesneliani nuncupantur à Quesneliô Oratorii Presbyterô Pariensi, qui an. 1671. Gallicô Sermone librum edidit sub titulo: Reflexions morales sur le nouveaux Testament, idest, Documenta moralia in novum Testamentum, et in quo Jansenismus contineri dicitur. Quinque propositiones ex Opere Jansenii extractas damnavêre Summi Pontifices Urbanus VIII. an. 1641. Innocentius X. an. 1653. ac denique Alexander VIII. an. 1657. Huic damnationi saltem specie tenùs acquiescere visi sunt Janseniani. At postquam an. 1713. Clemens Papa XI. ex memorato Paschasii Quesnelii libro 101. propositiones erutas tanquam apertum Jansenismum continentes per Bullam, quæ incipit Unigenitus, damnavit; tùm ipsi præeunte Paschasio Quesnelio ab eâ ad Concilium Oecumenicum appellârunt; undè et etiam Appellantes nuncupati fuerunt.

Superiùs in quot partes Gallia Transalpina, de quâ scilicet hîc nobis est sermo, sub Romanis Principibus divisa fuerit, annotavimus; Verùm postquam Franci expulsis Romanis eâ potiti sunt, tùm aliam illius iniêre distributionem; atque successu temporis in varias, novisque nominibus insignitas regiones divisa est, quibus singulis singuli Principes summô dominabantur imperiô. Præcipua divisio fuisse memoratur ea, qua post Clodovæi Francorum Regis mortem Septentrionalis ejus pars

Calvinistæ Hugonoti appellari coeperunt. De hujus nominis Etymologiâ adhuc disceptatur inter Scriptores, nec ejus origo satis nota est. Inter varias hac de re opiniones ea nobis verisimilior videtur, quæ statuit Calvinistas Hugonotos dictos fuisse à Larvâ quadam Rex Hugo dicta, quæ Turonibus /: Tours:/ ex vulgi opinione de nocte civitatem concursabat; et quia hi Religionarii ad precandum Deum nonnisi de nocte foras prodire consueverant, Hugonoti, velut Hugonis Discipuli appellati fuerunt. Enimverò primùm Turonibus hoc nomine insigniti perhibentur.

At omninò verisimile est, nomen hoc à Genevâ in Gallias perlatum fuisse. cùm enim Sæculo XVI. Carolus III. Sabaudiæ Dux 176. Urbem hanc sibi subjicere tentasset, Cives in duas factiones divisi sunt. Qui libertatem tuebantur Eignoti

in Austrasiam, quòd Austrum respiceret, et Neustriam, quasi Novam franciam nomine à Germanicô Nrû quod novum significat, derivatô. Hæc ad occasum sita erat.

At modò unico Principi subest, qui absolutô et Monarchicô imperiô eidem ~~[illegible]~~ dominatur; nec non communiter in duodecim provincias seu Præfecturas generales, gallicè Gouvernemens dividitur; quarum tres medium Regni occupant, suntque Insula Franciæ |: L'Isle de France :| Præfectura Aurelianensis |: Orleans :| q et Lugdunensis |: Lion :| ad q Tres superiùs sitæ sunt versùs Septentrionem, scilicet: Britannia minor |: La Bretagne :| ad Sinistram; Normannia |: La Normandie :| circà Sequanæ fauces; et Piccardia |: La Piccardie :| in confiniis Belgii. Tres inferiùs, suntque: Aquitania |: Guienne :| circùm Garumnam; Occitania seu Languedocia, vel etiam Septimania |: Languedoc :| versùs Mare Mediterraneum; et Provincia |: Provence :| inter Rhodanum et fines Italiæ. Tres ad dexteram, scilicet Delphinatus |: Dauphinè :| circùm Rhodanum; Burgundiæ |: Bourgogne :| Ducatus circùm Ararim |: La Saone :| fluvium; et Campania |: La Champagne :| in confiniis Belgii.

His accesserunt Comitatus Burgundiæ |: La Franche Comté :| Alsatia |: L'Alsace :| q Belgii seu Germaniæ inferioris aliqui Tractus; ac noviter ambo Ducatus Lotharingiæ et Barrensis. De quibus singulis modò nobis agendum.

|: Eignots :| Dici voluerunt, à voce Germanicâ Eidgenoß seu Eidgenoth apud Helvetiæ Pagorum populos usitatâ, quæ conjuratos seu foederatos ad tuendam libertatem significat. eo q circùm Ligerim q originem Ligeris. Deinde nomine venerunt in Galliis omnes, qui Genevensium Religionem, Calvinianam nempè sectati sunt; quod deinde in Ugnots seu Huguenots detortum est, à quo Latini Calvinismi sectatores Ugonotos seu Hugonotos vocavêre.

q Comitatus Rusinonensis |: Roussillon :| 17.

Caput ~~[illegible]~~ I.

De Insulâ Franciæ.

Præfectura hæc Insula Franciæ |: L'Isle de France :| dicta est, quòd inter Sequanam |: La Seine :| Matronam |: La Marne :| Isaram seu Oesiam vel Esiam |: L'Oise :| Axoram seu Axoniam |: L'Aisne :| et Orcam |: L'Ourque :| fluvios velut clausa sit. Solum ejus ex omni parte fertile est præsertim in frumentô, vinô, fructibus, p. ampla habet nemora, in quibus omnis generis feræ reperiuntur. Salubri gaudet aëre, atque populosissima est. Limites habet versùs Septentrionem Piccardiam; versùs Orientem Campaniam; versùs Meridiem Belsiam |: Beausse :| et versùs Occidentem Normanniam. Ejus longitudo ab Ortu ad Occasum est 35. milliarium gallicorum seu leucarum. Sita est inter 22. grad. 20. min. ~~[illegible]~~ Longitudinis, et 48. ac 50. grad. latitudinis. Omnium cæterarum Franciæ provinciarum fermè minima est. Olim eam incoluisse perhibentur antiqui populi Bellovaci, Parisii, Suessionenses, Sylvanectenses, Volcasses; quæ

nomina hodiedum adhuc celebrantur. Illius decem sunt Tractus seu minores provinciæ, quas modò singulis §§. expendimus.

§. I. 18.

De Insulâ Franciæ propriè sic dictâ.

Tractus iste seu provincia Insula franciæ propriè sic dicta |: L'Isle de france propre :| nuncupatur ad distinctionem ejusdem secum nominis Præfecturæ, cujus ipsa duntaxat est provincia. Sita est circùm ~~[illegible]~~ Parisios seu Lutetiam Parisiorum. Inea præcipuè notantur Urbes sequentes:

1º Parisii, seu Lutetia Parisiorum |: Paris :| non modò Provinciæ hujus, sed et totius Franciæ Regni Caput, omniumque totius Europæ Urbium pulcherrima et fortè maxima, quamvis contendant aliqui eam ab Anstelodamô, Moscuâ, et Constantinopoli magnitudine et amplitudine superari.

Sita est ad Sequanam |: La Seine :| fluvium, qui illam medius perfluit; decem milliaribus infrà Melodunum |: Melun :| et 28. suprà Rothomagum |: Rouen :| Dicta est Parisii à Parisiis populis, qui circà eam sedem habuerunt, non à Paride Priami olim Regis Trojæ, prout quidam fabulantur. Antiquum ejus nomen fuit Lutetia seu Lucotecia. Sub Lutetiæ nomine ejus meminerunt Julius Cæsar lib. 6. c. 3. et lib. 7. c. 58. Strabo lib. 4. p. 194. et sub Lucotetiæ nomine Ptolomæus.

Initiò satis angusta erat, ut quæ exiguâ, quam Sequana efformat, Insulâ contineretur; undè Ammianus Marcellinus lib. 15. c. 11. eam nonnisi Castellum Parisiorum nuncupat, quòd nempe ambitu suô exigua quidem, at tùm naturâ tùm arte munita foret; undè et adhuc hodiè hæc Insula, quamvis minima sit Urbis pars, Civitas appellatur, quod nomen plerumque Episcopalem populi alicujus Urbem indicat.

Quidam hoc Lutetiæ nomen à latinô vocabulô Lutum derivant, quòd hæc Sequanæ Insula, priusquam lapidibus strata fuisset, lutosa admodùm fuerit; verùm id perperàm dicitur, cùm Urbs ista, quemadmodùm Cæsaris Commentaria fidem faciunt, Lutetia fuerit nuncupata, priusquam Romani Galliâ potiti fuerint; undè ipsa nomen istud non à Romanis, sed à Celtis, quorum Dialectus ad Latinam nullam relationem habuit, accepisse videtur.

Caput erat Parisiorum populorum, nonnisi à Nautis habitata, quemadmodùm perhibet Inscriptio tempore Tiberii Cæsaris lapidi incisa, et annô 1711. sub Ecclesiâ Cathedrali reperta, in quâ hæc leguntur: Nautæ Parisiaci. Diu angusta permansit, atque donec Julianus

Apostata in Galliam veniens in ea resedit, quæ ab eo tempore sensim ad eam amplitudinem crevit, in quâ eam modò cernimus.

Parisii ergò seu Lutetia Parisiorum, sive ejus antiquitatem, sive magnitudinem, sive ædificiorum magnificentiam, sive ingentem incolarum numerum, sive divitias, sive commercium, sive scientias et artes, quæ in eâ magis, quàm ullibi gentium florent, consideres, inter celeberrimas Europæ civitates eminet.

In quatuor partes dividitur, suntque Civitas |: La Cité :| aliàs etiam Insula Palatii |: L'Isle du Palais :| nuncupata, quòd in eâ Palatium S. Ludovici Regis, in quo nunc supremus Senatus Parisiensis suos conventus agit, jusque dicit, situm sit; hæcque Urbs vetus nominatur. Insula B. V. Mariæ |: L'Isle de Notre Dame :| Has binas Insulas Sequana efformat. Ad hujus fluminis ripam dexteram seu Septentrionalem collocata est ea pars, quæ Urbs |: La Ville :| dicitur. et ad sinistram seu Meridionalem Universitas, ~~quòd~~ sic dicta, quòd in eâ Scholæ omnes et Collegia, quæ eam componunt, sita et velut in unum collecta sint.

Præter has quatuor Lutetiæ Urbis partes numerantur adhuc plura Suburbia, ut S. Antonii, Templi |: du Temple :| S. Martini, S. Dionysii, S. Honorati, Montis Martyrum |: Mont Martre :| Ricoloci |: Richelieu :| quæ Urbi adjuncta sunt: S. Germani, S. Michaëlis, S. Jacobi, S. Marcelli, et S. Victoris, quæ ad partem Universitatis sunt posita.

In eâ quoque sunt septemdecim portæ, vigintiquinque fora publica, duodecim pontes, septingentæ viginti plateæ, quinquagesies mille ædes, centum circiter Monasteria tàm virorum quàm mulierum; quadraginta quatuor Ecclesiæ Parochiales, triginta aliæ, octoginta Abbatiæ, triginta Xenodochia, sexaginta magnifica Palatia, inter quæ eminent duo, quæ Regiam constituunt, Lupara |: Le Louvre :| scilicet, et Laterariæ |: Les Tuilleries :| sic dictum, quòd olim Laterariæ ibi fuerint; hæc simul juncta unum efficiunt. Est etiam Sedes Principum Regii Sanguinis |: Princes du Sang :| Habet etiam Sedem Archiepiscopalem; olim Episcopalis duntaxat erat subjecta Metropoli Senonensi usque ad annum 1622. quo Gregorius Papa XV. ad instantiam Ludovici XIII. Galliarum Regis Metropolitanam dixit; et anno 1674.

Ludovicus XIV. illius Præsulem titulô Duis et Paris Francia decoravit. Ecclesia Cathedralis B. V. Mariæ dicta est Fr. Eglise de Nôtre Dame: / atque supra omnes totius regni Ecclesias eminet; in eâ 120. numerantur columnæ; ipsius longitudo est 174. latitudo 60. et altitudo 100. pedum geometricorum. Sunt quoque in illâ 45. Capellæ. et per undecim portas ad eam patet aditus. Quatuor turribus præaltis ornata est, undè tota Civitas perlustrari potest, in iis pendent octo campanæ, quarum maximam duodecim viri trahunt. à Chilbertô I. qui Sæculo VI. floruit fundata est, eam Robertus Rex de novô ædificare coepit, Successores ipsius porrexêrunt quousque ad Philippum Augustum, qui illam omninò perfecit: in eâ numerantur 51. Canonici.

Primus hîc Episcopus fuisse dicitur S. Dionysius Areopagita, quem, paulò antequam ad hanc Urbem veniret, S. Paulus Apostolus Athenis ad fidem Christi converterat. at Joannes Launojus in de alio Dionysiô, qui diu post vixit, vult intelligi debere. Hæc Ecclesia in Civitate / la Cité / collocata est, ut et ~~Insula Civitate~~ Palatium Archiepiscopi.

In eâdem quoque Civitate, seu parte, quæ Civitas / : la Cité : / nuncupatur, situm est Palatium, in quo, prout supra jam memoravimus, Senatus, seu Parlamentum conventus suos agit, juriique dicundo immunebit, omnium totius Galliæ Senatuum antiquissimus et illustrissimus, cui adhuc plura alia subalterna Tribunalia obediunt.

Universitatis Senaginta sunt Collegia, quorum illud, quod Sorbona dicitur antiquissimum est, in quo Theologia docetur: nomen habet à Robertô quodam celebri Theologiæ Doctore, qui apud S. Ludovicum Galliæ Regem multum potuit; is anno 1253. Collegium istud fundavit. Robertus de Sorbonâ dictus est, quòd in pagô, qui Sorbona nuncupatur, natus fuerit, quod nomen postea Collegio ipsi adjectum est. Adsunt etiam quinque Academiæ ~~Parisienses~~ Horum ~~Academiarum~~ ~~antiquissimum~~ ~~Inscriptionum~~ Gallica: / l'Academie Françoise: / sic dicta, quòd in perpurgandâ et expoliendâ linguâ Gallicâ occupetur. Academia politiorum litterarum, numismatum, et inscriptionum / : l'Académie de belles Lettres, medailles, et inscriptions: / Academia Scientiarum / : l'Academie des Sciences: / Academia Pictura / : l'Académie de la Peinture: / et Academia Architecturæ / : l'Académie d'Architecture: / occurrunt etiam quamplures præ-

dera Bibliotheca. Habet etiam Armamentarium omni re militari instructissimum, ut et Curiam monetalem.

Denique in extremitate partis illius, quæ Universitas nuncupatur Staret, ab [illegible] quo ex eo, quod sit exposturn illorum, qui adversus Statum; quod ajunt, cuilam admiserunt, quàm munitionibus suis celebrior. Ajunt Parisios seu Lutetiam duos circiter milliones incolarum numerare, inter quos tot fures sunt et sectores Zonarii, quot fortè in toto aliquo alio regno existunt. Ejus ambitus seu circuitus communiter sex milliaribus gallicis definitur, quamvis aliquem ultrà tria milliaria Germanica non porrigi contendant.

* Bastidam: la Bastille: vocant

Urbs ista an. 585. flammis penè absumta fuit; idemque infortunium passa est an. 1634. et an. 1206. ingenti aquarum inundatione via non submersa fuit. Nortmannorum irruptione, à quibus repetitis vicibus annis 856. 886. et 890. obsessa fuit, multis affecta est calamitatibus et incommodis. Item Sæculo X. sub Regno Ludovici IV. cognomento Transmarini, [illegible] exterorum crudelitatem et sævitiam experta est. an. 1420. Henricus V. Angliæ Rex initâ cum Catharinâ Caroli VI. Galliæ Regis filiâ matrimoniô, atque Gallia regni Administrator et hæres in præjudicium Caroli Delphini, qui postea Carolus VII. dictus est, declaratus Lutetiam occupavit. Henricus VI. ejus filius an. 1422. post patris et Caroli VI. Galliæ Regis mortem vix quatuordecim menses natus ibidem Rex Galliæ proclamatus, et an. 1431. solemniter coronatus est. Ea in Anglorum potestate mansit usque ad an. 1436. tùm enim, cùm in Angliâ ipsâ magna turba exitata fuissent, non modò urbem hanc sedet quidquid in Galliâ hactenùs possederant, amiserunt, atque eâ eruere coacti sunt. Memoriâ proditum est tum Gallum quendam ab Anglis discedentibus velut cavillando quæsivisse, quando iterum in Galliam reversuri essent, et unum ex eis respondisse; Tùm cùm pecuta vestra nostris majora futura sunt.

* Resiste Transmarinus: D'outre mer dictus est, quod Patre suo an. 923. à Rudolphô Burgundiæ Duce throno dejectô et ab Heberto Veromandorum Comite captô, ipse una cum Matre in Angliam apud Athelstanum Regem confugerit; Dein an. 936. ad regnum Galliæ vocatus inde iterum illuc transmaverit. Igitur ex iteratô hoc maris trajectu Transmarinus nuncupatus fuit.

Anno 1572. sub Carolo IX. die S. Bartholomæi Sanctâ, quæ fuit 24. Augusti hic celebratæ sunt Nuptiæ Henrici Navarræ Regis, qui postmodùm regnum ipsum adeptus et Henricus IV. dictus est; in quibus ex conducto à Catholicis 10000. aliqui dicunt, 30000. Hugonotorum seu Calvinistarum cæsa fuêre. Sanguinolenta hæ nuptiæ postmodùm dictæ fuerunt Lanienæ Parisienses; item S. Sanguinolenta Bartholomæa.

An. 1588. cùm Urbs ista adversùs Henricum III., quòd Hugonotis nimiùm favere ei videretur, ¶ dum ipse eam ad obedientiam reducturus obsidione cingit, à Jacobô Clemente Dominicano infixo in pectus pugione ¶ Anno 1590. ab Henricô IV. circumclusa est, et ad eas redacta incitas, ut cives fame vix non perierint; at Duce Parmensi cum Hispanicis copiis adventante, ab eâ Henricus recedere coactus fuit; ipse an. 1610. 14. maji à Franciscô Ravaillac cujusdam Causidici Engolismensis /: Angouleme :/ filiô curru vectus in mediâ Urbe trucidatus fuit.

¶ rebellasset,

¶ necatur.

Initio anni 1649. sub minoritate Ludovici XIV. qui tùm undecim^um duntaxat ætatis annum agebat, Urbs ista, quòd *Fundibulatorum /: Frondeurs :/ factioni adversùs Reginam Matrem et Cardinalem Mazarinum, qui sub illâ regnum moderabatur, excitatæ adhæresceret, demùm fermè trium mensium spatiô circumclusa fuit, atque tandem pactis conditionibus subacta.

* Hi factiosi Fundibulatores dicti sunt, quòd suprà pileos suos fundam velut foederis tesseram gestarent.

2º Versalia /: Versailles :/ angusta quidem et aperta, sed tamen venusta civitas, unà cum Regiô Palatiô, quatuor milliaribus à Lutetiâ occasum versùs distans. Olim nonnisi pagus erat et Parœcia seu Prioratus conventui S. Maglorii Parisiis subjectus. Speciales habuit suos Dominos Parisiensis Archiepiscopi feudatarios. Prædium istud emit Ludovicus XIII. et in mediô vallis, undè ex omni parte campi circumjacentes percurri possunt, castellum pro instrumentô suô venatoriô extrui curavit, quod propriè nonnisi domum, ut ajunt, campestrem exhibebat. At cùm posteà locus iste Ludovico XIV. ad venationem commodus videreretur, tùm ex pago Urbem, et ex castellô Palatium totius Europæ magnificentissimum, atque ab omnibus velut novum mundi miraculum celebratum effecit. Opus coeptum fuit annô 1661. et 1687. perfectum, si Capellam Regiam excipias, cui primùm an. 1710. ultima manus admota est.

In Urbe quinque numerantur Ecclesiæ speciosæ admodùm, inter quas eminet Parochialis, quam Patres Missionarii S. Lazari administrant. Adest etiam Conventus Fratrum Minorum S. Francisci, quos Recollectos vocant.

Innumera penè sunt, quæ in hoc vastô ac superbô Palatiô admirationem longè maximam merentur. In eo omnia aurô et marmore perpolita; conclavia et cubicula ingentis pretii speculis, præclaris exquisitisque picturarum tabulis ornata. Caliginem aspicientium oculis offundunt statuæ in areâ collocatæ et horto, cui, sive amplitudinem, sive pulchritudinem, stupendique ornatûs varietatem consideres, similem imaginari haud unquam possis. Præ cæteris summè admiranda est ingens aqua-

num copia, quæ opus machinæ ejusdam, quæ Marliensis |: La machine de Marly :| quòd propè Marliam Regium campestre palatium sita sit, nuncupatur, hue adducitur, atque in horto quantum plures Silanos, præcipites aquæ lapsus, et mappas aqueas exhibet. Siquæ Magnus Ille iste Louis hunc et tractum priùs invidum, rigidum, et civorum trecentorum millionum impensis amœnissimum effecit. Hinc etiam à Fonte Bellaqueo |: Fontainebleau :| ubi priùs Regia tenebat, sedem suam an. 1687. transtulit, atque ad mortem usque, quæ an. 1715. primâ die septembris contigit, ibidem habuit. anno 1757.

† 5. Januarii sub vesperam Robertus Damien patria Atrebatensis Regem Ludovicum XV. hîc rhedam nox consecutorum adacto intra costas cultro graviter vulneravit. Rex ex vulnere convaluit, Robertus verò quatuor equis in diversum artis divellus enormis flagitii pœnas luit.

2a cæteris memorabilis est amicitia et fœderis conventio 5. Maji an. 1778. hîc Versaliis inita Domum Austriacam inter et Borbonicam, quæ plerosque Europæ Principes admirationi affecit et stupore.

3ò Franum S. Dionysii, aliàs Dionysiopolis |: S. Denys :| Urbs duabus mil. Gallicis seu Leucis à Lutetiâ versùs Septentrionem distans et in amœnâ, quam undique paludes circumdant, planitie sita. Olim exiguus erat pagus paucis rusticorum tuguriis comprehensus, atque Vicus Catulicus seu Catholicensis dictus à Catulâ nobili Matronâ, quæ corpora SS. Dionysii Areopagitæ et Sociorum ejus Rustici et Eleutherii, quos in Monte Martyrum |: Mont-Martre :| propè Parisios, martyrium passos finxit traditio fert, ibidem in agrô Sepeliit, Cumque cenotaphio notavit, ei posteà Fidelium ergà Sanctos hos Martyres devotio Cappellam superinduxit, quæ Dein circà an. Chr. 469. à S. Genovefâ in Templum conversa fuit. Circà medium Sæculi VI. hîc residêre Monachi Benedictini, quorum rectus Clotarius II. Francorum Rex, qui hujusdem Sæculi finem et initiò sequentis imperavit, donatione auxit. Annô Dein 630. vel 632. Dagobertus ejus filius veteri dirutâ Ecclesiâ novam magnis sumtibus exstruxit, Monasteriumque ampliavit. Inde factum ut posteri Scriptores eum vel tutelium fundatorem Supexerint. Dein ingens fidelium, quos devotio ergà Sanctos Martyres hûc attraxit, commonus effecit, ut Vicus hic augustus in ampliorem excreverit, ac tandem Urbs factus sit, quæ veteri mutatô nomine à S. Dionysii nomine Dionysiopolis seu Franum S. Dionysii |: S. Denys :| Deinceps appellata fuit, nemori inter Francia munitas Urbes asseneri meruit; ac ultimis hisce temporibus obsidiones aliquas sustinere visa est.

Sanctô VIII. Pipinus Gallia Rex novam Ecclesiam, quæ priori amplior esset et magnificentior, hîc ædificare cœpit, Carolus Magnus ejus filius opus continuavit, quod tandem an. 775. mense Februario perfectum est. At cum posteà hæc eadem Ecclesia eos omnes, qui festis solemnioribus undique accurrebant fideles, ambitu suô continere non valeret, Abbas San-Dionysianus sub Ludovicô VII. novam eamque majorem extruxit, quæ an. 1144. vel, ut alii volunt, an. 1140 Rege præsente consecrata est; et quæ, cum Dein an. 1231. ruinam minaretur, sub Ludovicô Sanctô et ejus matre Blancâ de novô ædificata fuit. Magnifica est

crucis referens figuram, et unà cum turribus suis plumbeis laminis tecta. In eâ sepulturam suam habent Reges Franciæ à Dagobertô, qui diem supremum obiit 19. Januarii an. 630. atque primus in eâ sepultus est.

In eâ quoque asservatur Thesaurus, qui præter magnam reliquiarum copiam, multa pretiosa et rara continet, ut sunt aureæ et argenteæ cruces ac statuæ gemmis ornatæ; vasa aurea et succinea; libri aureis seu argenteis inauratis laminis contecti, aureisque litteris conscripti. Cyphus seu calix aureus hyacinthis, smaragdis, et saphyrô ornatus necnon imaginem Salomonis in thronô sedentis ad vivum referens, undè et cyphus seu calix Salomonis appellatur. Ensis S. Ludovici Turpini quondam Franciæ Cancellarii, ut et Joannæ de Arcâ* /: Jeanne d'Arc:/ vulgò Puella Aurelianensis dictæ, quòd sub Carolo VII. Rege Francorum Anglos Aureliæ urbis obsidionem solvere coëgerit. Coronæ variis gemmis ornatæ; uncinus Regii pallii; Ensis Regius; aureum Caroli Magni sceptrum; aurea calcaria gemmis resplendentia; necnon vestimenta omnia, quæ in Franciæ Regum coronatione adhibentur; manus justitiæ, *cornu unicornis superposita. Denique etiam, inter alia plura, Laterna, quam manu gestabat Malchus servus summi Sacerdotis, quando Petrus in hortô Gethsemani, cùm Christus à Judæis capiebatur, eductô gladiô illi dexteram amputavit auriculam, quomodò autem et quando Laterna ista è Jerosolymâ in Galliam incolumis allata fuerit, ignoratur; verùm apage anilem ineptiam.

Ut ut autem pretiosus prædicetur hic S. Dionysii Thesaurus; quidam tamen, qui illum viderunt, totum illius pretium viginti millia librarum gallicarum haud excedere testantur; nec tamen eis fidem adhibendam esse arbitramur.

Monasterii S. Dionysii à primævâ suâ fundatione usque versùs finem præteriti Sæculi XVII. septuaginta duo numerantur Abbates tàm Regulares quàm Commendatarii. Primus illius Abbas Commendatarius fuit Ludovicus Borbonius Cardinalis et Episcopus Senonensis /: de Sens:/ à Francisco I. an. 1528. nominatus: deincepsque hæc Abbatia semper data fuit in Commendam usque ad annum 1692. quô ad "instantiam Ludovici XIV. Abbatialis S. Dionysii titulus suppressus et extinctus fuit, illiusque dignitatis annui 100000 ℔ reditus Asceterio Monialium S. Cyricii /: S. Cyr:/ Ord. S. Augustini non procul à Versaliâ an. 1686. à laudatô Rege in honorem ultimæ concubinæ postmodùm uxoris suæ Dominæ de Maintenon fundato adjecti sunt ab Innocentiô Papâ XII. per Bullam 23. februarii ejusdem anni 1692. editam.

℔ librarum

* Hæc puella perperam vocatur "Joanna de Arcâ, velut in hoc oppidô ortum habuerit; cùm certum sit eam in pagô Dan-Remigiô /: Dam-Remy:/ natam fuisse. Uterque hic locus situs est in Ducatu Barensi.

* Scriptores omnes, qui de Monocerote seu unicorni meminerunt ajunt illum in Solâ Africâ reperiri, præcipuè autem in Agaosâ /: Agaos seu Agoos:/ provinciâ Regni Damutorum /: Damotes:/ in Æthiopiâ. At verò hujus animalis, ut et cornu ipsius figuram, colorem, omniumque illius partium adeò diversimodè referunt, ut sapientiores illud omninò fabulosum meritò reputent.

Non tamen diffitemur in Indiis repertâ fuisse animalia unicô corni instructa, ut Vaccæ, Tauri, Equi, Asini, Capreæ, Damæ, &c. Peyrera in suâ de Groenlandiâ relatione ait, id, quod vulgò creditur esse cornu monocerotis seu unicornis, esse dentem magni maris gla-

cialis pisces ab Islandis Narval, et alibi Rosmarus dicti, qui hujusmodi dentes seu cornua Unicornium repositoriis abundanter suppeditavit.

Carolus Ludovicus Sachsius Medicus monstrum marinum describit, quod monoceros seu Unicornem appellat, estque species Cetæ, quod cadaveribus pascitur, atque in Islandia et Groenlandia littoribus captatur; illius cornu est unicus dens maxillæ superioris, qui tornatus et striatus in cuspidem desinit. neutrum esse videtur, quin cornu illud, quod in Thesauro San-Dionysiano visitur, etiamnum hujusmodi dens sit; proindè Andreæ Thevetò suspecta admodùm fidei Scriptori quando ait se à Rege Monomotapæ ad Unicilia missum, cornis venationem, quam ibi frequentem esse ait, dutum, atque numeris locò ab eo bina Unicornis cornua accepisse, quæ in Gallias reportârit, unumque Regi donò dederit, quod est illud quod modò in Thesauro San-Dionysiano visitur.

S. Landericus /: S. Landry :/ Episcopus Parisiensis, qui circà medium Seculi VII. floruit, Monasterium istud à suâ et Successorum suorum jurisdictione liberum et exemptum fecit ita, ut etiam jurisdictionem in civitatem ipsam ejusque districtum Abbati et Monachis asserit. At cùm an. 1692. titulus et dignitas Abbatialis in eo suppressa et extincta fuisset, tùm Archiepiscopus Parisiensis jurisdictionem hanc ad se velut primum fontem, unde ipsa emanarat, itèrum redisse contendebat: contrà regerebant Monachi, quòd, cùm hæc jurisdictio non soli tantùm Abbatis persona cum exclusione Monachorum seu Communitatis adjuncta fuisset, ipsa quoque, etsi Abbas deficeret, penes Monasterium remanere deberet. Tandem 6. Augusti ejusdem anni 1692. initus fuit inter partes transactio, vi cujus Monachi dicto Archiepiscopo jurisdictionem illam cedere ita tamen, ut Monasterium ipsum, ædificia omnia et loca ad illud pertinentia necnon ambitu suo contenta, ab illâ in perpetuum exempta, et Summo Sedi immediatè subjecta manerent, Monasteriique Superior seu quilibet vices ejus gerens semper, et irrevocabiliter respectu civitatis ac ejus districtûs esset Archiepiscopi Parisiensis et ejus Successorum Vicarius Generalis natus.

Memorabile etiam est, quòd in hujus S. Dionysii Monasterii Ecclesiâ certis quibusdam solemnioribus festis tota et integra missa, in aliis verò aliquibus minùs solemnioribus solum Epistola et Evangelium græcè decantentur.

In hac Urbe seu Monasteriò quædam celebrata Concilia memorantur: ut an. 834. in quo Ludovicus Pius, quem Filii sui thronò dejecerant, cum Ecclesiâ denuò reconciliatus, atque Regno restitutus fuit, necnon Judithan Uxorem et Carolum Filium recepit. Anno item 1053. occasione litis Benedictinos S. Dionysii inter et Ratisbonenses S. Emerani, qui rumorem sparserant, se ab Arnulphò Rege Corpus S. Dionysii accepisse ac penes se retinere: at ejusdem S. Martyris tumulò reverato totum illius Corpus in eo inventum est præter brachium, quod Stephanus Papa III. Romam deferri curârat. pp.

Dominium Sæculare seu territorialis jurisdictio S. Dionysii penes Monasterium esse dicitur, subditorumque interjecta à judiciis et sententiis appellationes immediatè ad Senatum seu Parlamentum Parisiense devolvuntur.

Urbem hanc etiam celebrem faciunt nundinæ, quæ in eâ instituuntur.

In ejus platea an. 1567. famosum initum fuit prælium Catholicos inter sub Duce Montmorancio /: Montmorency :/ et Hugonotos sub Principe

Condæo /: le Prince de Condé :/ et Talassiarcho Coliniaco /: l'Ammiral Coligny :/ in quo hi à Catholicis cæsi fuêre; penes quos Civitas hæc diu stetit; tandémque Henricum IV. admisit, eique se subjecit.

4º. Montmorancium /: Montmorency :/ aliàs Montmoranciacum, seu Mons Morenciacus. Urbs angusta satis super collem posita, et quatuor leucis à Lutetiâ distans. Nomen suum jucundæ et fertili tribuit valli, ut et Familiæ Montmoranciænæ; à quâ Ecclesia S. Martini ibidem fuit ædificata. Variis fruitur privilegiis, necnon unà cum Tractu suô ad Ducalis et Pariatûs dignitatem evecta est, et olim sexcentos clientes fiduciarios, seu, ut ajunt, Vasallos numerasse dicitur.

Anno 1358. ab Anglis in cineres redacta fuit. Extant in ea quædam antiquitatis vestigia, quæ eam olim amplissimam fuisse produnt.

Anno 1632. extinctâ in Henricô II. qui decimâ Octobris ejusdem anni ob perduellionis crimen Tolosæ capite truncatus nullum post se reliquit heredem, Montmoranciacorum stirpe, urbem et Ducatum Henrico Borbonio Principi Condæo tradidit Ludovicus XII.

5º. Ganum S. Clodoaldi /: S. Clou :/ Oppidum vetustissimum duabus exiguis leucis à Lutetiâ ad Sequanæ ripam situm, olim Novigentum et Novientum /: Nogent :/ dictum. Jam initiô Sæculi VI. sub Clodovæi Regis filiis Oppidum erat, in quo Clodoardus Clodomiri Regis filius, postquam neci sibi intentatæ se subduxisset, tutum asylum invenit, ibique Monasterium construxit, quod postmodùm in Ecclesiam Collegiatam conversum est, in quâ hujus Sancti corpus arcæ inclusum asservatur; atque devotio, quâ fideles ipsum prosecuti sunt, effecit, ut Oppidum, relicto veteri, deinceps ejus nomine appellatum fuerit.

Oppidum ipsum unà cum Tractu suo idem S. Clodoardus Ecclesiæ Parisiensi dono dedit, et annô 1670. vel 1674. in gratiam Francisci de Harlay Archiepiscopi Parisiensis et Successorum ejus ad Ducalis Pariatûs ordinem Ludovicus XIV. evexit.

Longô temporum spatiô Episcopi Parisienses jure gavisi sunt ab hujus Oppidi incolis in festô S. Andreæ pro vectigali seu tributô tantum quantum ipsis placeret, exigendi titulô introductæ consuetudinis an 1381. sub Ludovicô VI. à Curiâ Parisiensi confirmatæ. At annô

1429. tributum istud ad 24. et an. 1509. ad 20. libras eadem Curia seu Parlamentum limitavit.

~~Salubriusque aëre excellentique aquâ, loci~~ ~~amoenitate ædes hîc habent~~

Multi Parisienses nobiles Salubri aëre, excellenti aquâ, locique amoenitate ideali ædes hîc habent, quas integrâ veris et aestatis tempestate incolunt. atque etiam Philippus Dux Aurelianensis unicus Ludovici XIV. germanus frater ibidem magnificum palatium exstitavit junctis eidem hortô et vivariô speciosissimis.

In Ecclesiâ S. Clodoaldo sacrâ visitur marmorea Capella, in quâ cor Henrici III. reconditum est. Rex iste, quod alibi jam totigimus, an. 1589. 1. augusti horâ octavâ matutinâ in quadam hujus Oppidi æde, quæ adhuc superest, dum Lutetiam assultu capere parabat, in Sellâ familiari sedens confossus est à Jacobo Clemente Dominicanô tunc vigesimum secundum aetatis annum agente.

6tô Vicenna seu Nemus Vicennarum /: Le Bois de Vincennes:/ Domus Regia ad amoenitatem et voluptatem comparata unà cum Vivariô seu Saltu cum muris, qui ab aliquot hinc annis dejecti sunt, cinctô. Miliari Gallicô seu Leucâ dentasat à Lutetiâ distat. Ibidem circà an. 1183. Philippus Augustus Nosocomium fundavit pro Monachis Ordinis Grandimontensis /: de l'ordre de Grammont:/ quos Henricus III. Parisios transtulit, atque eorum locô Patres Ordinis Minimorum hîc adduxit.

In veteri Parisiensis Ecclesiæ Chartulariô habetur, quòd anno 1270. Vicenna Manerium Regale, idest, Domus Regia fuerit; facile est conjicere eam ab eodem Philippô Augustô constructam fuisse, postquam nemus, quod undique apertum erat, muris vallasset. Ludovicus XIII. vetustis aliquot ædificiis solo aequatis eorum locô novum exstitavit, quod primùm subinitiô regni Ludovici XIV. perfectum est.

Quidam arbitrantur Carolum V. Franciæ Regem hîc an. 1338. natum fuisse; ajunt etiam hîc tres Reges diem Supremum obiisse, videlicet Ludovicum X. an. 1316. Carolum IX. an. 1574. et Henricum V. Angliæ Regem an. 1422.

7mô Marlia seu Marlium /: Marly:/ magnificentissimum palatium Regium in mediô Saltûs Versaliæ vivarium attingentis collocatum unà cum Speciosissimô

et amplissimô hortô, ob loci amoenitatem nulli totius Franciæ castro voluptuario secundum.

Hîc Ludovicus XIV. potissimùm voluptatem captare, ac saepissimè gratæ quietis suavitatem degustare solebat, ubi plerumque singulis mensibus bis aliquot dies transigebat nemini nisi intimis Consiliariis et Ministris suis audientiam præbens.

Ibidem etiam inter alia visuntur duo Globi, terrestris unus, Coelestis alter, immensæ magnitudinis, quorum quilibet ambitu suô continet quadraginta tres pedes, sex pollicas, et aliquot lineas à P. Coronelli inventi et confecti; quos an. 1704. 11. Junii Cardinalis Cæsar de Stratis |: d'Estrées :| Regi Ludovico XIV. donô dedit. Hîc quoque natus perhibetur S. Theobaldus ex stirpe Montmoranciacâ.

Propè Marliam et ad Sequanæ ripam conspicitur artificiosa Machina illa, quæ in suo genere nullibi parem habere dicitur; ope cujus aqua ex hoc flumine in altum evehitur atque in Versaliæ hortum ducitur.

§. II. 19

De Briâ Francicâ.

Bria Francica seu Parisina |: La Brie Francoise :| sic dicta ad distinctionem ejusdem nominis provinciæ in Campaniâ, cujus ipsa olim pars erat. Sita est Sequanam inter et Matronam |: La Marne :| fluvios. In eâ

Occurrit Latiniacum |: Lagny :| civitas exigua ad meridionalem Matronæ ripam, sex milliaribus seu leucis à Lutetiâ in viâ Meldas |: Meaux :| versùs sita cum titulô Comitatûs. In ea numerantur tres parochiæ et celebre Benedictinorum sub invocatione S. Petri Monasterium Sæculô VII. à S. Furseô nobili Scotô fundatum; cui Thibaldus seu Theobaldus Campaniæ Comes Comitatum hunc donavit.

Sæculo IX. vastata fuit hæc urbs à Normannis, et postmodum ab Heriberto de Veromanduanô Trecarum |: Troyes :| et Meldarum Comite restaurata.

Annô 1432. sub Regno Caroli VII. eam Angli obsederunt, at missis à Carolo copiis, quæ urbi ferrent suppetias, recedere coacti sunt. An. 1590. illam Dux Parmensis Henrico IV. postquam eum Lutetiæ obsidionem solvere compulisset, celeriter ~~[illegible]~~ eripuit, occupatámque penitùs devastavit.

§. III. 20.

De Hurepoliô seu Tractu Hurepoisiô.

Hurepolium seu Tractus Hurepoisius |: L'Hurepoix :| mediâ sæculorum nostrorum ætate Pagus Huripensis, Heri-

pensis, seu Auripensis, et etiam Mauripensis nuncupabatur. In Actis Synodi Suessionensis an. 862. celebratæ per corruptionem Morivensis Pagus appellatur.

Ut ut Tractus hic eniguus sit, de ejus tamen limitibus altercantur inter se Geographi, dum quidam ei urbes adscribunt, quas alii ei abjudicant; Nos eorum laborem satis ineptum judicamus et inanem; enimverò sufficere debet, quòd Tractus iste in Franciæ Insulâ situs sit, necnon à Sequanæ ripis usque Briam porrigatur. In eo occurrunt sequentes civitates notatu dignæ.

1º Melodunum |: Melun:| Urbs in confiniis Vastinii Tractûs |: Gastinois:| decem leucis suprà Parisios et quatuor infrà Fontem Blaudi |: Fontaine Bleau:| collocata.

Antiquissima est, et, si illius civibus fides, Lutetiam ædificantibus archetypi locô fuit: certè ambæ hæ civitates, sive figura sive situs spectetur, sibi omninò similes sunt: hîc Sequana insulam efformat urbemque, ut Parisios, in tres partes dividit, quarum una Briam respicit, altera insulam occupat, tertia verò ad partem Vastinii Tractûs collocata est.

In eâ visuntur adhuc reliquiæ Templi Ethnici Deæ Isidi dicati. Ut et B. Virginis Mariæ, S. Stephani, S. Ambrosii
4 Ecclesiæ, quæ parochiales sunt, eminet ea, quæ S. Aspasii |: S. Aspais:| dicitur; nomen habet à quodam Ausciæ |: Auch:| Episcopô qui à Synodô Aurelianensi redeuns an. 536. hîc vitâ functus est. Miracula quæ ad ejus sepulchrum patrata fuêre, Incolas permoverunt, ut in illius honorem hanc ædificarent Ecclesiam. Conventus Carmelitarum et Franciscanorum, ut et Abbatia S. Petri Suburbium occupant.

Civitas hæc ab Anglis, et à Ducibus Burgundiæ sæpiùs obsessa fuit et occupata. An. 1419. post quatuor mensium obsidionem fames eam adegit, ut Anglis se dederet, quam per decem annos tenuerunt usque ad an. 1429. scilicet, quo Cives iis exturbatis milites Caroli VII. susceperunt, qui ob id facinus variis eos recreavit privilegiis datô hanc in rem an. 1432. ultimâ februarii amplô et solemni diplomate.

Anno 1579. Clerus Gallicanus, idest, Antistites Galliæ hîc Conventum egerunt, in quo, inter alia, Romano Pontifici suprema in Ecclesiam universam auctoritas inque fidei et Morum definiendis quæstionibus infallibilitas non obscurè asserta ab ipsis fuit.

Ejus antiquum nomen Melodunum est, quamvis in Cæsaris Commentariorum exemplaribus omnibus, quæ

hodiedum supersunt, Metiosedum appellatur. Illius commercium constat in frumentô, vinô et Caseô, quæ vicinis Mercatoribus venduntur, vel Parisios per Sequanam vehuntur.

2º. Corbolium seu Josedum |: Corbeil :| Urbs ad ripam Sequanæ ubi Junnam |: la Juines :| sibi adjungit septem leucis à Parisiis et tribus à Melodunô sita, nomen, ut fertur, habet à Corbulone quondam sub Romanorum imperiô Galliæ Præfectô. Duos habet pontes lapideos unum trium duntaxat arcuum suprà Junnam, alterum suprà Sequanam, cui novem sunt arcus, atque Civitatem in binas dividit partes. In ea 800. foci, tres portæ, quatuor parochiæ numerantur. adest etiam Ecclesia Collegiata S. Exuperii |: S. Spire :| ab Haimone Corbolii Comite circà an. 912. in honorem SS: Exuperii et Lupi Bajoci |: Bajeux :| Episcoporum, quorum reliquias huc attulerat, fundata. Adest quoque Prioratus S. Guinaili |: S. Genau :| in quo Canonicus Regularis S. Victoris residet. Fratres Minores S. Francisci, quos Recollectos vocant, hîc etiam habent Conventum, ut et Moniales è Societate S. Ursulæ, vulgò Ursulinæ. Item Nosocomium.

Ingeburga Regina Philippi Augusti conjux Corbolii Domum voluptuariam sibi ædificavit, adquam à maritô repudiata se recepit, necnon toto repudiationis suæ tempore in eâ resedit; ubi et diem obiit supremum sepultáque fuit in Ecclesiâ S. Joannis Equitum Melitensium an. 1236. ubi ejus cenotaphium adhuc visitur. Harum ædium quædam adhuc supersunt vestigia.

An. 1418. Dux Burgundiæ Corbolium obsidione cinxit; at missô per Carolum VI. Franciæ Regem obsessis militari subsidiô, ille recessit. Anno item 1562. Calvinistæ seu Hugonoti Urbem hanc etiam impugnare coeperunt, at oppugnare haud valuerunt, Catholicis egregiè eam defendentibus.

3º. Fons Blaudi seu Bliaudi vel Bleaudi, non verò Fons bellaquens, prout quidam perperam scribunt |: Fontaine bleau :| Oppidum quatuordecim leucis à Lutetiâ versùs Meridiem, unà cum magnificô et amplô palatiô regiô. Nomen habere videtur à fonte et quodam veteri loci Dominô et possessore, qui Blaudus seu Bliaudus, vel etiam Bleaudus nuncupabatur.

Palatium, quamvis ex variis ædificiis, quæ à pluri-

bus Regibus variis temporibus sine ordine et analogiâ simul juncta fuêre, constet; hæc tamen confusio quidpiam ita magnum et majestaticum exhibet, ut videntium admirationem excitet. Locô inamoenô, necnon aridô inter colles et saxa depressô situm est, nemúsque ingens et longissimè porrectum ipsi murorum, quibus cingatur, loco est, in quô cùm maxima ferarum multitudo versetur, indè fit, ut Reges sæpiùs huc veniant venationis captaturi delectationem. Adsunt etiam horti ampli et speciosi, qui loco huic amoenitatem quamdam conciliant.

Oppidum ipsum videtur procul dubiô ab eo tempore exordia sumsisse, quo Reges hîc aliquamdiù demorari coeperunt. Ajunt Ludovicum XIV. priusquam Versaliam se conferret, continuò hîc loci resedisse.

21. [illegible]

§. IV.

De Tractu Vastiniô.

Tractus Vastinius |: le Gastinois :| Olim Pagus Vastinensis dictus, nomen habere videtur à vastitate, quòd in eo vasta sint nemora, solúmque arenosum et incultum. Dividitur in Aurelianensem et Francicum, de isto hîc agimus, cujus situs est circà Lupiam |: le Loing :| fluvium. In eo occurrit

1ò Nemosium, seu Nemosinum, vel etiam Nemosum |: Nemours :| Urbs propè Lupiam |: le Loing :| quatuor milliaribus à Fonte Blaudi et octodecim à Parisiis. Olim Nemus appellabatur, quòd in Nemore Fontis Blaudi collocata esset, ex quo nomine dein Nemosium latinè, et Gallicè Nemours enatum est: at postmodùm magnâ hujus nemoris parte excisâ modò Nemosium situm habet nemus istud inter et Montargii |: Montargis :| sylvam intrà duos colles eo ipso locô, in quo Cæsaris ætate Civitas Grex erat. Sensim ex oppido urbs facta est, ubi à Ludovico XII. annô 1507. unà cum Tractu suo è Comitatûs dignitate, quam initiô Sæculi XV. à Carolo VI. acceperat, in Ducatum evecta est. Demùm defuncto sine masculô herede ultimô Nemosii Duce Ludovicus XIV. Ducatum hunc ad se revocavit, necnon fratri suo Philippo tradidit; eúmque modò possidet ejus ab nepos Dux Aurelianensis.

Nemosii binæ sunt Ecclesiæ parochiales, una in ipsâ Civitate, altera in ejus suburbiô. Adsunt etiam duo Monialium Monasteria. Illius commercium consistit in frumentô, farinâ, vinô, et caseô, &c.

2°. Cortiniacum, seu Curtiniacum, vel etiam Cortemiacum, seu Cortenacum |: Courtenay :| urbs enigna Montargium inter et Senones sita unà cum veteri Castrô supra eodem collocatô. Jam ab annô 1000.mô propriis suique nominis habuit Dominos, quorum genealogia ad nostram usque aetatem celebrata fuit.

3°. Castellio ad Lupiam |: Chatillon sur Loing :| Urbs sic dicta ad distinctionem aliarum ejusdem nominis Galliae urbium, haud magna civitas in amoenâ tamen valle quatuor milliaribus à Montargio sita unà castellô in mediocriter edito loco extrà ipsam collocatô. Habet Ecclesiam Collegiatam sub nomine S. Petri, in quâ Archiepiscopus Senonensis omnes prabendas et officia confert, ut et Monasterium Monialium SS. Sacramenti. Ludovicus XIV. an. 1696. eam unà cum Tractu suô Ducatum dixit.

1719 22.

§. V.

De Tractu Meduntinô.

Tractus iste, gallicè Le Mantois, porrigitur à Fanô S. Germani usque ad confinia Normanniæ. De eo notatur

Fanum S. Germani, seu S. Germanus in Lediâ Sylvâ |: S. Germain en Laye :| urbs enigna quatuor leucis à Lutetiâ versùs Occidentem non procul à Sequanâ, ubi hæc ad Septentrionem flectitur, unà cum magnificentissimô Palatiô Regiô, cui Sylva voluptaria est contigua. Opinio est hanc urbem nomen suum accepisse à Monasteriô quodam à Rege Roberto Septingentis circiter abhinc annis ibidem sub nomine et patrocinio S. Germani constructô.

Populosa admodùm est, ejusque ædes peroptimæ et perpulchræ sunt, viisque magni nec non commodè intersecti. Variis etiam palatiis ea, quo Rex Galliæ hic Regiam tenuit, tempore à Regiis Ministris aliisque Nobilibus Viris constructis ornata est. In eâ unicæ est Ecclesia parochialis, et Monasterium Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum; item Conventus Ursulinarum. Monasterium verò Augustinianorum Discalceatorum Logianum |: des Loges :| dictum in mediô Sylva collocatum est.

Castrum seu Palatium Regium jucundissimam et opportunissimam totius Galliæ præbet habitationem, sive propter speciosa ipsius cœnacula, sive propter magnificum, qui ei contiguus est, hortum ad Sequanam usque ponce-

tum, sive denique propter Sylvam, quæ ipsi propinqua est; aër quoque hîc saluberrimus est, necnon animadversum fuit, homines ibi longævam ducere vitam.

Castri hujus seu palatii prima fundamenta jecit Rex Carolus V. Franciscus I. illud novô ampliavit ædificiô. Henricus IV. in apice montis et propiùs ad Sequanam aliud Castrum construi curavit, quod Castrum novum |: Château neuf:| appellatum est; necnon hortos ad fluvii hujus ripam usque propagavit. Ludovicus XIII. variis ornamentis illud decoravit. Denique Ludovicus XIV. qui ibidem 5. Septembris an. 1638. natus perhibetur, illud, inter alia, quinque Structuræ quadratæ ædificiis |: Pavillons:| auxit.

Hîc Jacobus II. Angliæ Rex an. 1689. regnô à subditis suis exturbatus unà cum conjuge et liberis resedit, atque diem supremum obiit 16. Septemb. an. 1701. Corpus ejus Parisios translatum ac inhumatum fuit in Ecclesiâ Monialium Vallis gratiæ |: Val de grace:| in S. Jacobi Suburbiô.

23. 180.

§. VI.

De Tractu Volcassinô.

Tractus Volcassinus, aliàs etiam Vecassinus, et Vulcassinus, seu Vulxinum et Vexinum |: Le Vexin:| dictus cum titulô Comitatûs.

Olim Tractus iste pars Normanniæ erat, at Ludovicus IV. cognomentô Transmarinus, qui circà medium Sæculi X. rebus gallicis præfuit, atque an. 954. vitam posuit, partem ab eo avulsit et Insulæ Francicæ adscripsit, necnon Tractum Volcassinum francicum dici voluit ad distinctionem Nortmannici*.

Ejus limites sunt ad Orientem Isara |: Oyse:| ad Meridiem Sequana; ad Occidentem Epta |: Epte:| quæ illum à Vulxinô Normannicô separat; et ad Septentrionem Ager Bellovacensis |: Le Beauvaisis:| In eo notatur Pontisara |: Pontoise:| Urbs. Nomen habet à ponte super Isaram stratô, ad cujus terminum in declivi collis parte sita est. Sex Leucis à Lutetiâ distat versùs caurum. à Castrô suprà collem positô defenditur.

Vetus ipsius nomen est Brivisara seu Briviasura juxtà Antonini itinerarium; et secundùm tabulas Peutingeri Brivaisara, quod idem est ac Pontisara; Brive enim antiquô Gallorum idiomate idem est ac pons; nomen Isara, teste Vibiô Sequestrô* in suô de fluminibus Tractatu, etiam in Oesiam seu Esiam mutatum fuit,

* Sunt, qui contrarium tueantur, atque dicant omnem hunc Tractatum olim Insulæ Franciæ ~~partem fe-~~ ~~cissam, atque~~ adjectum fuisse, et primùm à Ludovico IV. ut de Normannis benè mereretur, partem ~~abs~~ avulsam et Normanniæ adscriptam fuisse.

* Sequester |: Vibius:| Scriptor antiquus edidit ordine alpha-

undè gallicum Oise. Flumen istud Inisa quoque dictum fuit, prout habemus ex Auctore Anonymô vitæ S. Andoëni, qui Sæculô VIII. Scripsit.

Adest hic Ecclesia Collegiata S. Melloni primo Rothomagensi Episcopo Sacra à Philippô pulchrô an. 1286. fundata, in quâ etiam hujus Sancti corpus an. 880. Pontisaram allatum quiescit. Hic etiam sunt duæ parochiæ una S. Maclovii, altera S. Andreæ. Item Conventus Fratrum Minorum S. Francisci discalceatorum. Denique Monasterium Benedictinum S. Martini an. 1050. ab Amalricô primô ipsius Abbate fundatum.

Urbs ista an. 1442. 16. Septemb. ab exercitu Caroli VII. assultu Anglis erepta fuit. An. 1561. Regni Comitia hic celebrata sunt. An. 1720. 21. Julii Ludovicus XV. datô Decretô Senatum seu Parlamentum Parisiense huc transtulit, et eodem annô 16. Decemb. denuò Parisios revocavit.

betico Dictionarium geographicum de fluviis, fontibus, lacubus, montibus, Sylvis, et populis, p. quod primum Mazochius |: Jacobus :| Romæ an. 1505. post Aldus Manutius, et denique Franciscus Hesselius unà cum suis et Hadriani Relandi annotationibus Roterodami an. 1712. in 8. lucis publicæ fecerunt.

§. VII.

24.

De Agrô Bellovacensi.

Ager iste seu Tractus olim pars erat Picardiæ, sed jam à pluribus annis abeâ avulsus est; nuncque limites habet ad Septentrionem ipsam Picardiam; ad Occidentem Vulxinum Nortmannicum, à quo Epta |: l'Epte :| fluvius eum separat; ad Meridiem Vulxinum Francicum; et ad Orientem Comitatum Sylvanectensem |: le Baillages et Comté de Senlis :| à quo per Isaram |: L'Oise :| distinguitur.

Antiquitùs in hoc Tractu seu Agrô sedem habuêre Bellovaci populi, quos Cæsar memorat semper 60000. hominum exercitum paratum habuisse, necnon, ubi opus fuisset, 100000. educere potuisse. Ineo notatur Bellovacum |: Beauvais :| illius Metropolis, à qua Tractus ipse seu Ager Bellovacensis |: le Beauvaisi :| dictus est. Hujus urbis vetus nomen haud notum est. Cæsar, postquam illam occupasset, Cæsaro Magum dici voluit, quod nomen ipsa tamen postmodùm deposuit assumto Bellovaci populi nomine, atque Bellovacum nuncupata est. Posita est ad ripam Tharæ |: Therin :| fluminis 16. leucis à Parisiis versùs Meridiem, totque à Rothomagô versùs Occidentem. Situm habet haud injucundum, pars una Tharæ fossas ipsius implet, altera Opificibus, qui in lanâ, ex quâ panni exiles conficiuntur, laborant, deservit. Admodùm munita foret, ni-

si fermè undique ei montes insiderent. Per adagium Virgo nuncupatur, quòd nulli hostium unquam succubuerit. Omnes fermè illius vici venusti sunt et recti.

Habet Episcopum Archiepiscopi Rhemensis Suffraganeum, qui utramque jurisdictionem Civilem nempe et Ecclesiasticam tàm in civitate ipsâ quàm per totum ejus Tractum, qui Comitatûs Pariatus titulô decoratus est, exercet.

Comitatum hunc an. 996. Rogerius Comitis Blesensis filius et Bellovacensis Episcopus Ecclesiæ suæ dono dedit. Primus illius Episcopus fuit S. Lucianus, qui circà medium Sæculi III. floruit.

Annô 1196. Richardus Angliæ Rex et Nortmanniæ Dux hujus civitatis, quæ tùm adhuc Nortmanniæ attribuebatur, Episcopum adversùs ipsum rebellantem cataphractum seu loricâ indutum cepit; cùmque Summus Pontifex Româ ad eum scripsisset, ut suum in Christô filium missum faceret, Rex misit, qui hujus Antistitis loricam ad eum deferrent simulque dicerent: Hanc invenimus, vide, utrum tunica filii tui sit. Genes. c. 37. v. 32. An. 1561. Cardinalis Castillionæus hujus civitatis Episcopus ad Calvinistarum partes deficiens Ecclesiam suam vehementer afflixit.

Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ magnifica est, plures adhuc Ecclesiæ hîc sunt, inter quas sex Collegiatæ, et tredecim parochiales numerantur. Adsunt etiam tres Abbatiæ, una Benedictinorum, in cujus Ecclesiâ corpus S. Luciani primi Bellovacensis Episcopi quiescit, undè et Monasterium S. Luciani dicitur: altera S. Quintini Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Genovevæ: tertia S. Symphoriani olim Benedictinorum, nunc à Patribus Missionis habitata. Item Conventus Franciscanorum, Dominicanorum, Paulanorum seu S. Francisci de Paulâ, Capucinorum, Monialium S. Claræ, Urselinarum, Canonissarum Hospitalariarum. Monasteria SS. Luciani, Quintini, Symphoriani, et Capucinorum extrà muros urbis collocata sunt. Duo etiam adsunt Nosocomia.

Bellovaci varia memorantur celebrata Concilia: ut an. 845. præsente Rege Carolô Calvô. an. 1114. sub Conone Episcopô Prænestinô et Summæ Sedis Legatô, in quo Henricus V. Imperator excommunicatus est. Idem Conon duas adhuc Synodos ibidem celebravit, scilicet an. 1120. et 1124. Ludovicus VII. cognomentô Junior et Pius

Francia Rex hic etiam Comitium an. 1161. coqui curavit contrà Antipapam Victorem, qui Alexandro III. Legitimo Pontifici oppositus fuerat.

Annô 1443. Angli Urbem hanc frustrà obsederunt. Nec felicior fuit Carolus cognomentô Audax Dux Burgundiæ an. 1472. quamvis 80000. hominum haberet exercitum; valente hac ultimâ obsidione mulieres Bellovacenses præeunte Joanna de Serimâ |: Jeanne d'Hachette :| strenuorum animorum egregia edidêre specimina, atque, inter alia, hostibus vexillum eripuerunt; in hujus magnanimi facinoris perpetuam memoriam in processione, quæ singulis annis die 10 Julii instituitur, mulieres viros præcedunt.

1472. 25.

§. VIII.
De Valesiô.

Valesium seu Valosium, vel etiam Valesio, item Ager Valesius |: le Valois :| olim Picardiæ pars nunc Insula Galliæ. Limites habet versùs Septentrionem Agrum Suessionensem; versùs Orientem Campaniam; versùs Meridiem Briam et Insulam Galliæ propriè dictam; et versùs Occidentem Agrum Bellovacensem.

Tractus iste, qui olim Comitatus Duntaxat erat, hodie Ducatûs titulô gaudet. Olim Comitatus Vadensis nuncupabatur à Castrô, cui nomen Vadum |: Vé :| quod Comites illius Domini incolebant, atque Crepiacum |: Crepy :| inter et Villarium |: Villers-Coste-Raz :| situm est.

Comitatus hic seu Ducatus à Saculô X. proprios specialesque suos Dominos habuit. at cùm circà finem Saculi XII. horum Comitum et Dominorum prosapia tàm virilis quàm sequioris sexûs in Elisabethâ Philippi ab Alsatiâ Flandriæ Comitis conjuge defecisset, et penitùs extincta fuisset, tùm Philippus Augustus Comitatum hunc corona, cujus feudum fuerat, demùm adjunxit. Saculô XIV. Philippus cognomentô Audax Comitatum hunc tradidit filio suo Carolo patri Philippi, qui postmodùm scilicet an. 1328. extinctâ in Carolo IV. stirpe Capetingianâ sub nomine Philippi VI. Valesii |: de Valois :| Rex Galliæ salutatus fuit. Extinctâ demùm an. 1588. in Henrico III. Valesiorum familiâ Gallia regnum 2. Augusti an. 1589. ad Domum Borbonicam pervenit, in quâ hodiedùm adhuc perstat. Denique Saculô præterito hunc Comitatum seu Ducatum Philip-

pus Dux Aurelianensis à Rege Ludovico XIV. fratre hûs Urbis attributionis locô obtinuit, atque ad posteros hos transmisit.

Caterùm Tractus iste admodùm planus et fertilis est præsertim in frumentô; habet quoque Sylvas ... multùm elegantes. In eo Sequantes notantur Urbes

1º Crepiacum |: Crespi et Crepy :| Valesii Caput. Septem leucis à Melùn |: Meaux :| quinque à Compendiô |: Compiegne :| et tredecim à Lutetiâ distat. Urbs ista olim amplior erat quàm nunc sit. Sita est in peninsulâ inter duos rivos, quorum unus, qui Fons S. Agathæ |: La Fontaine de Ste Agathe :| dicitur ob eximiam qualitatem suam celebratur. Forum habet amplissimum, quod æquorum forum nuncupatur. [illegible] Castrum inest opus vetustissimum forti et præaltâ turri instructum.

Habet Ecclesiam Collegiatam S. Albini dictam, in quâ et ejus corpus quiescit. Ad hujus Sancti Sepulchrum frequens est fidelium concursus, qui ejus opem contrà pestem morbósque contagiosos implorant. Adest etiam Templum S. Dionysio dicatum. Capucini quoque hîc Conventum habent, quorum venustus et perampla hortus civibus ambulandi locô est. Hîc etiam an. 1544. Gravissimum I. Galliæ Regem inter et Carolum V. Imperatorem pax conclusa fuit.

2º. Silvanectum, seu Silvianum |: Senlis :| figuram ovalem exhibet, in declivitate collis, cujus pedem exiguus rivus Nonnetta |: Nonnette :| alluit. Muris et siccâ sed profundâ fossâ circumdatur necnon munitionibus lunatisque propugnaculis defenditur; ei etiam insidet Castrum Sancti Ludovici opus, in quo olim quidam Regii Principes ob aëris salubritatem aliquandiu morantur. Decem leucis à Lutetiâ, et duabus à Chantilliacô |: Chantilly :| disjuncta est. Creditur nomen suum habere à Silvis, quibus olim circumdata erat, velut Urbs quæ Silvis nititur, ex quo Silvanectum enatum videtur. A Romanis primùm exstructa Augustomagus ab ipsis dicta est; quando autem nomen istud in Silvanectum transmutatum fuerit, hactenùs mansit ignotum.

Est Sedes Episcopi Sub Archiepiscopô Rhemensi, Regulisque |: Rieul :| qui cum S. Dionysiô in Galliis appulisse dicitur, primus illius Episcopus fuisse memoratur;

alii tamen volunt S. Proculum primum hujus Ecclesiæ præfuisse. Cathedralis Ecclesiæ campanile inter altissima totius Galliæ computatur, neenon altitudine suâ editissimos regionis hujus montes superat, conspectúmque suum ad septem et octo milliaria gallica protendit. Tàm in ipsâ Civitate, quàm in Suburbiis seu numerantur Ecclesiæ parochiales, et præter Cathedralem, Ecclesia Collegiata.

Hîc etiam variæ Synodi habitæ fuerunt, ut an. 863. cui præsedit Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, in quâ Rothadus Suessionensis Antistes depositus et in Monasteriô quodam reclusus fuit. an. 900. in quâ Carolus Dux Lotharingiæ excommunicationis sententiâ percussus fuit, quòd Episcopum Laudunensem captivum detineret. an. 1310. occasione Templariorum. an. 1315. adversùs Petrum de Latilcô [: de Latilli :] Episcopum Catalaunensem et Regni Cancellarium, quòd causa diceretur mortis Philippi Regis, et Joannis de Castelô. Et denique anno 1402. occasione Schismatis inter Summos Pontifices Bonifacium IX. et Benedictum XIII.

In hac urbe habita sunt an. 1462. Regni Comitia, in quibus confirmata fuit Lex Salica, vi cujus fœmina eârúmque consanguinei à jure Successionis regiæ excluduntur. Hîc etiam an. 1493. pax conclusa fuit inter Maximilianum Imperatorem et Regem Galliæ: ~~item ab confœderatis Belgicis, ut interpretantur, ac Ludovico Sforcia Imperatorem ann. 1849.~~ Eam quoque Fœderati [: Les Liguistes :] obsiderunt, quibus- * Hoc nomine veniebant Franciæ Catholici, qui contrà Hugonotos et Henricum IV. fœdus Unio sancta ab ipsis nuncupatum inter se pepigêre, quod duravit ab anno 1576. usque ad an. 1593. quo Henricus IV. abjuratô Calvinismô fidem Catholicam amplexus est.
anum Dux de Longavilla [: Longueville :] prælium iniit.

3° Compendium [: Compiegne :] Urbs ad Isaram [: Oise :] ubi hæc Axonam [: l'Aisne :] in se suscipit, septemdecim à Sylvanectô, septendecim à Lutetiâ, quinque à Noviodano, octo à Suessione, et duodecim à Bellovacô distans. Nomen suum à Romanis habet. Cum Carolus Calvus eam de novo ædificasset Suô nomine Carlopolim [: Charleville :] vocari jussit: at postmodum vetus nomen suum denuò assumsit, quo et etiam nunc vocatur.

Ejus Castrum omnium fortè totius Galliæ Castrorum vetustissimum est, in quô Clotarius I. annô 561. diem suprenum obiit. an. 876. Carolus Calvus Castrum hoc extrà urbem de novô extrui curavit;

S. Ludovicus aliud ejus locô excitavit, quod Ludovicus XI. Franciscus I. pp. ampliârunt et ornârunt.

In hac Urbe duæ numerantur Ecclesiæ parochiales S. Jacobi una, altera S. Antonii; una Collegiata, quæ S. Clementis dicitur; Monasterium Benedictinum sub nomine S. Cornelii à Carolô Calvô fundatum, ibi sepulti fuêre Ludovici II. et V. Conventus Dominicanorum à S. Ludovicô ædificatum. Jesuitæ etiam ab an. 1653. hîc habent Collegium. Adest quoque Nosocomium à S. Ludovicô fundatum.

Hîc etiam varia fuêre celebrata Concilia, ut an. 757. in quo 18. Canones plerumque de Matrimoniô agentes conditi fuêre: item an. 833. in quo Ludovicus Pius trium suorum filiorum conspiratione, et Episcoporum ibidem congregatorum sententiâ coronam deponere compulsus fuit. annis quoque 1085. 1201. 1277. 1301. et 1329.

Celebris quoque Joanna de Arcâ, aliàs Puella Aurelianensis dicta, hîc ab Anglis capta Rothomagum abducta fuit, ibique velut saga igni addicta et consumta. Famosus etiam Cardinalis Ricolocus |: Richelieu :| an. 1624. cum Foederatis Belgii Ordinibus hîc foedus pepigit.

Non procul à Compendiô extat perampla et venusta Sylva ad venationem aptissima. Olim Sylva Cotia seu Cosia |: Cuise :| nuncupabatur; at modò nomen istud antiquatum est, quamvis pagus Cotia |: Cuise :| dictus ~~Camp~~ Urbem hanc inter et Suessionem adhuc supersit.

26. 100.

§. IX.

De Agrô Suessionensi.

Ager Suessionensis |: Le Soissonnois :| olim pars Picardiæ erat, at postmodùm ab eâ avulsus Insulæ francicæ attributus est. Limites ejus sunt ad Septentrionem Tractus Laudunensis, ad Orientem Campania, ad Meridiem Bria, et ad Occidentem Valesius Ager. Partem includit Regionis illius, quam antiquitùs Suessiones populi possidebant, quorum Cæsar in suis Commentariis meminit. Frumenti feracissimus est viretisque et nemoribus abundat. In eo notatur præcipuè Urbs

Suessio |: Soisson :| à quâ Tractus seu Ager nomen sumit; ampla et populosa civitas ad ripam Isaræ |: Oise :| suprà quam ponte stratô à suburbiô ad eam fit transitus, in amœnâ et fertili valle sita, 18. leucis à Lu-

tetiâ. Galli, priusquàm Romani eâ potirentur, illam Noviodunum dixêre: postmodùm sub Octavianô Augustô Romanorum Imperatore, mutatô nomine, Augusta Suessionum nuncupari coepit. Ptolomaeus eam Αυγούστα Συεσσόνων nominat; post Suessionæ, Suessionis, ac denique simpliciter Suessio dicta fuit, quod nomen adhuc hodie retinet.

Romanorum Imperatorum ætate hîc palatium erat in quo ipsi interdùm morabantur, et ut de primæ stirpis Franciæ Regibus, qui sedem suam in hac urbe collocârant, nihil commemoremus, certum est ibidem sub Ludovicô Piô propè S. Medardi Monasterium Regium fuisse palatium. Illud, quod nunc extat, et in quo an. 1728. irritus pacis inter Imperatorem Carolum VI. Galliam, Hispaniam, Angliam, Hollandiam, &c. congressus fuit celebratus, antiquô ritu et formâ ædificatum est, ejusque latera rotundæ et densæ turres stipant. Præter Castrum hoc aliud adhuc erat extrà urbis mœnia ad ripam Isaræ collocatum, in quo Suessionum Reges residebant; illius adhuc extant vestigia quædam, quæ produnt, illud amplum, et pro eâ, quâ excitatum fuit, ætate fuisse magnificum; in illius ambitu Benedictinum S. Medardi Monasterium fundatum fuit. Adest etiam aliud Monialium ejusdem Ordinis et instituti Monasterium sub nomine et invocatione B. V. Mariæ ante 1000. et quod excurrit, annos à Præfectô Domûs Ebroini fundatum.

Hujus Urbis Episcopus est primus Archiepiscopi Rhemensis Suffraganeus, juréque gaudet Metropolitanâ Rhemensi Sede vacante Reges Franciæ consecrandi; prout factum est in unctione S. Ludovici, et Ludovici XIV. Floret hîc etiam Academia Scientiarum viginti constans membris Parisiensi foedere juncta, et à Ludovico XIV. an. 1674. litteris patentibus an. 1675. in tabulas Senatûs seu Parlamenti Parisiensis relatis confirmata.

Varia etiam hîc memorantur celebrata Concilia: An. 1744. hîc viginti tres Episcopi convenêre. annô 853. alterum habitum est Concilium præsente Carolô Calvô, in quo res Ecclesiasticorum illorum, quos Ebbo Rhemensis Archiepiscopus ordinaverat, examinatæ fuerunt, Ebbo ipse Sede suâ pulsus, eáque Hincmaro delata, quod multis turbis, atque alii etiamnum

Praeculum conventui, qui an. 866. coactus est, ansam praebuit. An. 941. hic convenêre aliquot Episcopi litem Hugonem inter et Artaldum de Archiepiscopatu Rhemensi contendentes definituri; priori Sedes haec asserta fuit, ipseque consecratus. Manasses Rhemensis an. 1078. et Reinaldus item Rhemensis an. 1094. Concilia hic habuêre, in quibus Roscelinus suos errores rejecit et damnavit, de quo meminit S. Anselmus. Conon Praenestinae Episcopus et S. Sedis Legatus hic Conciliis an. 1137. et 1140. celebratis praesedit adversus Petrum Abaelardum. An. 1155. hic Provinciarum Rhemensis et Senonensis Episcopi conventum egerunt, ut varia regni negotia et causas pertractarent ac disponerent, necnon iis, qui Ecclesiastica aequè ac saecularia bona invadebant, obsisterent. Rigordus etiam memorat an. 1210. vel, ut alii volunt, an. 1202. hic convenisse Praesules, ut causam Philippi Augusti, qui Ingeburgam conjugem suam repudiârat, definirent: at priusquàm ipsi hac de re deliberare coepissent, Rex conjuge acceptâ et receptâ clam et iis insalutatis se subduxit ac discessit.

27. 684.

§. X.

De Tractu Laudunensi.

Tractus Laudunensis |: Le Laonnois :| olim Picardiae modò autem Insulae Francicae pars. Limites ejus sunt ad Septentrionem Tirascia |: Tirasche :| ad Orientem Campania, ad Meridiem et Occidentem Ager Suessionensis. In eo occurrunt

1.º Laudunum seu Lodunum |: Laon :| Caput Tractûs eique nomen tribuens, urbs suprà editum montem collocata sub 24. gr. 1. min. longit. et 49. gr. 30. min. latitud. cum Castellô. Munitionibus novâ arte comparatis destitutam situs tamen munitissimam efficit; necnon olim velut totius Franciae propugnaculum habebatur; de eâ disserens Guibertus Nogingentanus |: de Nogent :| abbas* illam Regni Caput, Regiae ambitionis thalamum, et unicum hac aetate propugnaculum nuncupat. Optimè aedificata est, vicósque habet venustos, et illius putei, quamvis non admodum profundi sint, sufficientem tamen aquam incolis suppeditant. Aër quoque salubre hic spirat! Multi Reges hic regiam habuêre, modò in eorum palatiô Urbis Dicasteria Sessiones suas celebrant.

* in gestis Dei per Francos, quod opus Lucas Dacherius Ord. S. Bened. Congreg. S. Mauri edidit Parisiis an. 1651.

Idius Episcopus titulo Ducis et Paris Galliæ gaudet, quamvis Rex ipse vobis hujus veros et immediatus sit Dominus. In antiquis monumentis invenimus eam Lugdunum Clavatum fuisse nuncupatam.

Sub Romanorum imperio admodum incelebris erat, ut quo nonnisi Rhemensis ditionis oppidum esset. S. Remigius Rhemensis Antistes eam à suâ Diocesi avulsit circa an. 515. necnon primum illius Episcopum constituit S. Genebaldum, quod Hincmarus in suis epistolis memorat.

Inter Cathedralem in eâ adhuc tres numerantur Ecclesiæ Collegiatæ SS. Joannis scilicet, Genovevæ, et Juliani. Item duo Monasteria Benedictina S. Vincentii nempè et S. Joannis; prius fundavit Brunegilda Regina Sigeberti Austrasiæ Regis conjux, alterum S. Salabergis sub Attilone hujus civitatis Episcopo. Et Abbatia S. Martini Ordinis Premonstratensium. Adest etiam Monasterium Monialium Monstrolium /: Montreuil les Dames:/ dictum Ordinis Cisterciensis, in quo asservatur copia Sudarii S. Veronicæ faciem christi referentis an. 1249. ab Urbano IV. dum adhuc Innocentii IV. Capellanus esset, ad ipsas missa cum hac Sclavonicâ inscriptione Obraz Gospoden naoubrous, idest Imago Domini in linteo.

Ludovicus XI. hujus Urbis incolas à vectigalibus immunes fecit, quo privilegio adhuc hodie gaudent.

Vigente suo foedere Dux Mediana /: le Duc de Mayenne:/ eam subegit: at an. 1594. ab Henrico Magno obsessa et capta fuit.

Dicunt aliqui Laudunum esse urbem illam quæ à Cæsare lib. 2. c. 5. et 6. de Bello Gallico Bibrax nuncupatur.

2°. Noviodunum, alias Noviomagum, Nojonum, Noviomagus Veromanduorum, Noviodunum seu Neodunum Belgarum, Noviodunum seu Neodunum Suessionum, Noviomagus Vadicassium, et Castellum Noviomaeum /: Noyon:/ Urbs vetustissima et satis ampla, nonnon quatuor Suburbiis instructa, atque ad commercium opportunè sita.. In eâ 4500. numerantur Incolæ. Loco versus meridiem mediocriter edito collocata est, ad ripam exigui fluvii Vor-

sæ |: Vorse :| qui leucæ quadrante ab eâ Isaræ immergitur, viginti duobus milliaribus à Lutetiâ collocata est.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Rhemensi Subjectam ex Veromanduanô |: Vermandois :| an. 531. à S. Medardô hûc translatam. Illius Episcopus Comes est et Par Franciæ. Ecclesiam Cathedralem Pipinus et Carolus Magnus ejus filius ædificavêre. Præter eam octo adhuc Ecclesiæ parochiales hîc numerantur: duo Monasteria unum illudque antiquius, quod S. Electi nomen fert atque à Benedictinis Congregationis S. Mauri possidetur, ab ipso S. Electô vel fundatum vel saltem ampliatum, necnon ipsius tumulô celebre factum: alterum S. Bartholomæi an. 1064. à Balduinô I. Noviodunensi Episcopô erectum atque Canonicis Regularibus S. Augustini traditum. Adsunt etiam Franciscani et Capucini. Xenodochium S. Joannis Sæculô XII. fundatum curant Moniales Ordinis S. Augustini. Urselinæ quoque hîc habent Conventum. Sub finem præteriti Sæculi hûc pariter introductæ fuerunt Sorores S. Familiæ, quarum interest mulieribus solitudinem eligentibus subvenire, juvenésque puellas instituere. In hunc eundémque finem sunt hîc etiam duæ vel tres foeminæ, quibus sub nomine Beguinarum jam à longô tempore de sustentatione provisum est.

Civitas hæc multis calamitatibus olim penè oppressa fuit. Cæsar multo labore eam subegit. Sæculô IX. Nortmanni eam occupârunt et expilârunt Ismonemque tùm temporis illius Episcopum secum abduxerunt captivum. Sæculis XI. XII. et XV. sexies abivit in flammas. Durante sacrô foedere mox à Catholicis mox ab Hugonotis expugnata fuit, donec tandem an. 1594. Henrico Magno cessit. Hîc an. 1516. Franciscum I. inter et Carolum Austriacum conventio inita fuit.

Eam quoque celebrem reddidêre specialibus aliquot eventibus tres Regum Franciæ Stirpes. Ex primâ Stirpe Chilpericus II. hîc an. 721. sepultus fuit. Ex secundâ Carolus Magnus ibidem an. 768. coronam regni adeptus est. Et ex tertiâ Hugo Capetus an. 987. hîc Rex electus et salutatus fuit.

Hîc etiam an. 1509. 10. Julii natus perhibetur Jo-

annes Cauvinus; qui postmodùm Calvinus dici voluit. Ecclesiæ ministerio manûpratus primùm Capellam habuit in Ecclesiâ Cathedrali, postèa Pontis Episcopi |: Pont L'Evêque :| Parochus factus, tùm Sectam invenit in Ecclesiam, quæ ab ipsius nomine Calviniana dicta est, et cui perplures tùm in Galliâ tùm alibi adhæserunt, necnon atrocium dissidiorum et bellorum semina jecit. Ipse Calvinus tandem Genevæ |: Geneve :| decessit è vitâ 22. Maji an. 1564.

Caput Tractus II. §. 28.

De Provinciâ Aurelianensi.

Provincia Aurelianensis |: L'Orleanois :| sita est circùm Ligerim, quæ illam perfluit ac in duas fermè æquales dividit partes, Septentrionalem scilicet et Meridionalem. Ejus limites sunt ab Oriente provincia seu ager Lugdunensis, Ducatus Burgundiæ, et Campania; à Septentrione Insula Francia, et Normannia; ab Occidente Britannia; et à Meridie Guienna. Frumenti feracissima est, undè et Francia Granarium vulgò nuncupatur.

Illius tredecim numerantur minores provinciæ seu Tractus, quos singulis §§. exhibemus.

§. I. 1000. 29.

De Provinciâ seu Agrô Aurelianensi propriè et Spectatim sic dictô.

Hujus Provinciæ seu Agri, quem Gallî L'Orleanois proprè nuncupant, exiguus est Tractus. circà Ligerim ad Orientalem totius Provinciæ plagam Situm habet. in eo occurrit

Aurelia seu Aurelianum |: Orleans :| totius provinciæ Metropolis, et maximis jucundissimisque totius Regni civitatibus facilè adnumeranda Urbs Triginta duobus Milliaribus à Lutetiâ, octodecim supra Blesam |: Blois :| et triginta quatuor à Turonibus |: Tours :| distans, in amœnâ planitie ad borealem Ligeris ripam Sita, ad quam ab hujus amnis aquilonari ripâ Sexdecim arcuum lapidibus quadris Structô ponte transitur. Pervetusta civitas Romanis sub nomine Genabi nota. Illius Situs tûs amœnitate et commoditate impulsus Aurelianus Imperator eam ampliavit, atque suô nomine Aurelianum seu Aurelianum dici voluit.

Ab Atilâ Hunnorum Rege an. 450. perperàm obsessa fuit, et sub Romanorum potestate permansit, donec Clodovæus Francorum Rex Syagriô, qui tùm ibi pro Ro-

manis imperabat, deviitò, Romani ~~amm~~ in Galliâ Imperii reliquias extinxit, tum enim ejus Francorum facta est. Anno 1429. famosa Aurelianensis puella impedivit, quominùs Angli, qui eam obsidebant, illâ potiti sunt, idque primum illius belli fasinus fuit, quod pro Carolo VII. Francia Lege edidit.

Vicos habet adèque ~~oonostas~~ inamenitas, ovalemque refert figuram. Titulo Ducatûs gaudet unàcum Tractu hûc, eique dominatur Dux Aurelianensis primus Regii sanguinis Princeps. Habet Sedem Episcopalem Metropoli Parisiensi subjectam; ut et Universitatem, in quâ tamen nonnisi Jus Canonicum et Civile docentur. Gaze Cathedralem Ecclesiam, varia alia hîc numerantur Ecclesiæ Collegiatæ, Monasteria et Conventus; inter quæ celebratur Monasterium Benedictinorum Congregationis S. Mauri.

Varia quoque Aurelliani memorantur celebrata Concilia: Primum sub Regnô Clodovæi an. 511. Secundum sub Joanne Papâ II. an. 533. vel, ut vult Baronius, an. 536. Tertium an. 538. Quartum an. 541. Quintum an. 549. vel, ut alii volunt, 552. Sextum an. 646. Septimum an. 766. Octavum an. 1022. Nonum annô 1029. Decimum an. 1172. Et denique Undecimum annô 1411.

§. II.

30. ~~Mm~~.

De Tractu Nivernensi.

Tractus Nivernensis /: Le Nivernois:/ limitas habet versùs Septentrionem Tractum Vastinium /: Le gatinois:/ versùs Orientem Burgundiam; versùs Meridiem Bubonensem provinciam; et versùs Occidentem Regionem Bituricensem. Fertilis est in vinô, frumentô, variisque fructibus; feri fodinis etiam dives; pluresque fluvii idem perfluunt, quorum tres navigia sustinent, nempè Ligeris /: La Loire:/ Elaverim /: L' Allier:/ et Jemma /: L' Yonne:/ Habet titulum Ducatûs Paris. In eo solùm hîc notatur

Nivernum seu Nevernum /: Nevers:/ urbs venusta, et pro suâ amplitudine satis populosa, ut quæ 8000. circiter incolas et 1008. focos numeret. Caput est Ducatûs, à quâ ipse nomen habet. Amoenô loco sita amphitheatri figuram exhibet, et ad ripam Ligeris ~~ortus~~ est, quæ sub viginti arcuum ponte fluit. Plateas seu vicos habet angustos, domûsque inaequale. Adest etiam Palatium Ducale Opus antiquum.

Olim hîc Civitas Augustonemetum, Neodunum, seu

Noviodunum Æduorum nuncupata fuit. Julius Cæsar de Bell. Gall. lib. 7. Ptolomæus, et vetustissimi Scriptores eam Noviodunum vocant: at jam Antonini, qui circà an. 337. floruisse creditur, ætate nomen mutaverat, ut qui in suô Itinerariô eam Nivernum seu Nevernum appellet, quod nomen Niveris flumen, quod hîc Ligeri influit, eidem imposuisse videtur.

Episcopatus Nivernensis inter vetustissimos totius Franciæ numeratur; enimverò statim post Apostolorum ætatem initium sumsisse dicitur, quamvis hæc opinio non omnibus probetur. Episcopus Nivernensis est Suffraganeus Archiepiscopi Senonensis. Adest hîc etiam Abbatia Canonicorum Regularium S. Augustini, et Monasterium Monialium Ordinis S. Benedicti.

§. III

De Bartiâ seu Ducatu Bituricensi.

Bartia seu Ducatus Bituricensis /: Berry:/ confinis est ad Septentrionem Agro Aurelianensi; ad Orientem Nivernensi; ad Meridiem Burbonensi et Marchiæ Superiori, atque ad Occidentem Tractui Pictaviensi. Nomen, teste Juliô Cæsare in suis Commentariis, accepit à Biturigibus celeberrimis Celtarum populis, qui Bituriges Cubi dicti sunt ad distinctionem Biturigum Vibiscorum, qui circà Burdegalam sedes habebant. Tota hæc provincia aëre temperatô gaudet, frumenti, leguminum, fructuum, canabis, lini, et vini, quod multis in locis Burgundo haud palmam cedit, feracissima; optima quoque pascua mitéque clima multum conferunt ad vervecum pinguedinem delicatámque eorum lanam. Ferunt hîc etiam reperiri argenti ferriq́ue fodinas, in quibus tamen nulli adhibentur operarii. Ochræ quoque fodinam habet, quæ ad metalla fundenda, et colorem inducendum perutilis est. An. 1754. 23. Aug. Delphino natus est Princeps, quem Rex Ludovicus XV. Ducem Bituricensem dixit. Hîc solùm notatur

Biturix seu Biturigæ, aut Bituricæ, et Bituriges /: Bourges:/ Urbs amplissima et totius provinciæ caput, quam, præter propria propugnacula, circumjacentes paludes satis munitam efficiunt. Sita est Auronium /: Auron:/ inter et Avaram seu Evram /: Evre:/ fluvios. Olim, ut Cæsar memorat, Avaricum appellabatur, quod nomen ab Avarâ flumine, quod eam alluit, acceperat: at sub finem

31.

Saculi V. relictâ veteri nomine Bituria seu Bituriges et Bituriga vii vocpit. 590. ante Christi adventum annis Sedes fuit Celtarum regni illius, quod Ambigatus tenebat. Sub Imperatore Augustô caput erat prima Aquitania, postquam Julius Cæsar viginti quinque ante Christum annis eam occupasset jam, atque ex 40000. incolis 800. duntaxat vivere permisisset. Sæculô V. à Wisigothis multas exantlavit et perpessa est calamitates. In bello internô et civili Hugonotos inter et Catholicos, quod Sæculo XVI. Galliam afflixit, ab Hugonotis occupata fuit 27. maji. an. 1562. et eodem anno 1. Septemb. à Duce Guisiô pro rege Carolo IX. recuperata fuit; atque ipsa ab eo tempore foederatis Catholicis semper adhæsit, donec tandem an. 1594. Henrico IV. se submisit.

Licet amplissima sit, non tamen admodùm populosa est, præsertimque involarum qui singulatim 14800. numerum haud excedunt, partem implent Clerici, Nobiles et Studiosi. Nullarum rerum hîc exercetur negotiatio nisi earum, quæ civibus ad sustentationem sunt necessaria. Hîc autem tot viros Nobiles eximia privilegia à Ludovicô XI. hujus civitatis Consuli et Sabinis indulta adversunt, et etiam quòd Cives à Congô jam tempore negotiationi incumbere detrectent: hi, per jocum, Veveres Bituricenses nuncupantur, quòd urbs pro insignibus Venerem habeat; at alii dicunt, ipsius insignia exhibere Asinum in Cathedrâ sedentem, undè illud de imperitô quovis, qui doctoris lauream adeptus est, proverbium, quòd Civitatis Bituricensis aroma seu insignia exhibeat. In veterem et novam dividitur, hâcque tantum fermè occupat spatium ac ibi.

Habet Sedem Archiepiscopalem à S. Ursinô fundatam. Illius Præsul prater Metropolitani, adhuc Patriarcha, et Primatis titulos sibi vindicat in Aquitaniis; tanquam Patriarcha jurisdictionem exercet in Archiepiscopos Narbonensem et Tolosanum; tanquàm Primas in Archiepiscopos Burdigalensem et Auscorum in secundâ et tertiâ Aquitaniâ Metropolitanos; denique tanquàm Metropolita quinque numerat Suffraganeos.

Ecclesia Cathedralis S. Stephano dedicata est, ildemque Capitulum Summo Sedi immediatè subjectum est. Capitulum, quod Sancta Capella dicitur, à Summo De-

Franciâ Dux Bituricensi anno 1400. fundatum fuit.
Ecclesia Collegiata ad S. Ursinum fundata perhibetur
à S. Deuderatô Bituricensi Archiepiscopô, qui an. 552.
diem supremum obiit: primùm S. Symphoriani, cui dica-
ta erat, nomen habuit, at postquam an. circiter 558.
corpus S. Ursini primi Bituricensis Episcopi in illam
fuit illatum, tùm etiam ab ipso nuncupari coepit.
Alia adhuc hîc numerantur Collegiata Ecclesia.

Maximo huic Civitati ornamento est Universi-
tas à S. Ludoviô, ut ferunt, fundata. Quatuor
facultatibus constat: Theologiam obtinent Jesui-
tæ an. 1625. ab Henriô Borbonio fundatam ipsique
traditam.

Hîc etiam varia Synodi celebrata memorantur,
ut an. 1031. 1145. 1215. 1227. vel 26. 1276. 1286. &
an. 1438. sub Carolô VII. hîc Cleri Gallicani Conventus
habitus fuit, in quo Basileense Concilium velut legiti-
mum actum et declaratum est, ad cujus Decretorum
normam famosa illa Constitutio Sanctio pragmatica
dicta, in quâ Concilium istud probabatur, prouisa et
edita fuit, quæ usque ad an. 1516. restitit, quo Leo-
nem X. Papam inter et Franciscum I. Franciæ Regem
erectis concordatis Suppressa fuit et antiquata.

Supra memoratus Carolus VII. duos adhuc Cleri Gal-
cani Conventus in hac Urbe instituit, in quibus Euge-
nius IV. velut legitimus Papa agnitus fuit. an. 1516.
1584. et 1643. alia adhuc Synodi ab Archiepiscopis
hîc celebratæ memorantur.

§. IV. 1809. 32.

De Turoniâ seu Tractu Turonensi.

Turonia seu Tractus Turonensis |: Touraine :| à Liger-
i in duas partes dividitur. Limites ejus sunt ad Septen-
trionem Cenomania; ad Orientem Aurelianensis Ager;
ad Meridiem Tractus Bituricensis; ad Caurum Pictavia,
et ad Occidentem Andegavia. Ejus latitudo ab ortu
in occasum nonnisi 22. milliaria comprehendit, et
longitudo ab austro ad boream 24. Prater mul-
tos rivos, quibus Regio hæc irrigatur, Septemdecim
flumina illam perfluunt, inter quæ eminet Ligeris,
quæ ei tàm ad negotiationem quàm cum cæteris pro-
vinciis communicationem multa afferunt commoda.

Ipsius clima temperatum est. Planities et cam-
pi qui juxtà Ligerim sunt cultu faciles et semper con-
siti in unâ provinciâ vinum et far proferunt, Zeam
quoque, hordeum, milium, legumina, poma, nuces,

amygdalas, et specialiter pruna, quibuscum Incolæ negotiationem exercent. Hic etiam inveniuntur ferri et cupri fodinæ. Hæc provincia hand ita populosa est ac ipsi vicinæ regiones.

Julius Cæsar lib. 7. et 11. Comment. Turones Celtis annumerat. Ipsi verò semper habiti sunt velut bellum abhorrentes; undè Tacitus eos imbelles nominat, et Sidonius Apollinaris* in panegyricô Majoriani ait eum Turones bella timentes adversùs Gothos defendisse. Illorum characterem optimè expressisse dicitur Tassus |: Tasse:| celebris Poëta Italus in suâ Jerosolymâ liberatâ |: Gierusaleme liberata:| Canto I. hisce versibus:

Non è gente robusta, ò faticosa,
Se ben tutta di ferro ella riluce.
La terra molle, e lieta, e dilettosa
Simili à se gli habitator' produce:
Impeto fà nelle battaglie prime;
Mà di leggier poi langue, et si reprime

Quos versus Sicilianus Poëta quidam æquè ingeniosus ac Tassus sic latinè reddidit:

Turba licet chalybis cataphracta horrore nitentis,
Ægra labore tamen, nec vivida robore: mollis
Blandáque terra sibi similes educit alumnos,
Scilicet, hi sub prima ruunt discrimina pugnæ
Præcipites, sed restinctô mox fulgure torpent.

In hac provinciâ præcipuè notantur

1º Toronum, Turonium, Turonum, seu Turones |: Tours:| totius provinciæ seu Tractûs Caput, à quâ et ipse nomen habet, urbs posita ad ripam meridionalem ligeris ipsam inter et Carum seu Carim |: Cher:| flumen, quod ab Austrô fluens posteà ligeri miscetur. Ampla est et venusta, nec non antiqua, locóque jucundissimô collocata; undè communiter Franciæ hortus nuncupatur. Vetus illius nomen, prout ex Ptolomæô et tabulâ Peutingeri* patet, Cæsarodunum fuit, id est, Cæsaris munimentum, nam Dun Celtarum linguâ non modò montem sed et munimentum significabat. Post Romani Imperii in Galliâ excidium Wisigothis parent usque ad tempora Clodovæi Francorum Regis, qui, devictô Alaricô eorum Rege, illam occupavit. Prima esse dicitur Franciæ Civitas, cui privilegia fuerint indulta patentibus litteris à primæ Stirpis Regibus confirmata. Prima etiam fuit, quæ post tumultum adversùs Henricum III. Franciæ Regem an. 1588. Parisiis excitatum, ubi Cives doliaribus munitionibus

* Cajus Sollius „Sidonius" Appollinaris Lugduni Patre Prætorii Præfectô, sub Honoriô Imperatore, natus primùm Urbis Romæ Præfectus et Patricius, demùm Episcopus Claramontanus dicendi arte cæterisque scientiis emicuit. ejus etiam larga ergà pauperes liberalitas commendatur. floruit Sæculô V.

* Conradus Peutinger seu Peutingerus natus Augustæ Vindelicorum an. 1465. cujusdam Aurifabri filius |: quamvis alii eum ex nobili Sueviæ prosapiâ oriundum dicant:| vir litterarum peritiâ celeberrimus Maximiliano I. et Carolo V. à consiliis fuit. ad Lutheri partes

|: Barricades:| vicorum aditus intercluserant, Legatos ad eum misit, quæ animi gratitudo illum permovit, ut Parlamentum aliosque Senatus et Dicasteria illuc transtulerit.

Per duodecim majores portas in eam patet aditus, quarum una Hugonis nomen gestat*. Hugo iste, juxtà Eginhardum in vitâ Caroli Magni. et alios, Turonibus imperavit, qui cùm perditè et immanè vitam duxisset inque Cives multùm ferox fuisset, post mortem adhuc etiamnum illos vexasse narratur. De eo sic scribit Thuanus lib. 24. Hist. Cæsaroduni Hugo Rex celebratur, qui noctu pomoeria Civitatis obequitare, et obvios homines pulsare et rapere dicitur. verùm hæc fabulam redolere videntur fortè à nutricibus inventam, quò puerulis territamentum injicerent. Ab hac Hugonis historiâ, quod jam suprà Sect. 1. n. 172. in not. memoravimus, Calvinistæ primùm Hugonoti nuncupari coepisse dicuntur, quòd, qui primi in hac urbe Sectæ isti nomen dederunt, in hypogeis subterraneisque speluncis propè Hugonis portam ad sacra sua peragenda noctu convenirent. Castrum ei impendet vetustum quidem, at satis munitum, ut in necessitate Civitati possit esse præsidio.

Quinque etiam sunt illius suburbia. Domus illius ex albicantibus lapidibus extructæ gratum præbent aspectum. Vicos habet venustos, illisque munditiem conciliant varii rivi, qui sex publicos fontes efformant. Celebres quoque in eâ sunt panni et serici Officinæ; eo tempore, quo hæc opificia maximè florebant, 60000. Incolas urbs numerabat, qui numerus ad 30000. defecit. Libera est, et ab omni vectigali immunis. Ab illius etiam nomine ortum ducit vox Turonensis |: Tournois:| quæ Francicarum monetarum nomini solet adjici, cùm e. g. dicitur Libra Turonensis |: livre Tournois:| quia olim hîc celeberrima monetalis Officina fuisse perhibetur.

In eâ quoque est Sedes Archiepiscopalis, quæ jam ab annî Christi 250. Præsules numeravit. S. Gratianus primus illius fuisse Episcopus memoratur, qui ad finem vergente Sæculô III. vitam posuit. Annô 371. S. Martinus è Panoniâ oriundus, cùm priùs sub Julianô Apostatâ militasset, hujus Civitatis Episcopus factus est, atque Sedem hanc tenuit usque ad annum 397. quo in coelos abiit.

Ecclesia Cathedralis S. Gratiani fert nomen; speciosa est, turrésque ejus magnificæ, ibique horologium vi-

secedens, eas totis viribus propugnavit. obiit Augustæ an. 1547. 28. octob. Tabulas, quæ nomen ipsius referunt, à conrado Celte detectas ipse servavit, et Marcus Velserus Augustanus Patricius cum notis, edidit.

* La porte Hugon, nunc per corruptionem à plebe Gourgon locò Geu Hugon, id est defuncti Hugonis porta, nuncupatur.

fitur tantâ arte elaboratum, ut ei vix simile totâ Franciâ reperiatur.

Ecclesia Collegiata S. Martini Cathedrali nihil cedit, amplissimisque totius Franciæ Templis facilè annumeratur. Rex Franciæ perpetuus est illius Abbas, ea quo hæc dignitas in personâ Hugonis Capeti coronæ adjecta fuit; undè illud Stigma, quòd Abbas S. Martini Turonensis jus habeat cum Reginâ Franciæ conveniendi. Retrò Summum illius altare visitur S. Martini Sepulchrum marmoreum, è quò an. 1562. Hugonoti corpus ipsius erutum flammis addixerunt, quemadmodùm sequentes versus, qui ibidem legantur, indicant:

Impia Religio furiis agitata malignis
Ossa viri Sancti hîc igne cremanda dedit.
Crudeles fuerant, Diro Phlegetontis ab omne
Exuiti, tantum qui potuêre nefas.

Tùm ipse S. Martinus hæc eloquitur:

Tantus olim Confessor eram, nunc igne crematus
Gente malâ oblata est Causa Martyrii.

Olim huic Ecclesiæ Monachi præerant, in eâque Divina peragebant Officia, quando autem Canonicorum Secularium facta sit, id nobis ignotum.

In Suburbiô, quod S. Symphoriani dicitur, adest Autissiodorum, Majus Monasterium |: Marmoutier :| nuncupatum à suô fundatore S. Martinô, et à Sacris, quæ ibidem asservantur, olei ampullâ celebre. Sulpitius Severus ejusdem S. Martini Discipulus in illius, quam conscripsit, vitâ narrat, quòd, cùm Sanctus iste ex gravi Capitis lethale vulnus accepisset, noctu venerit Angelus, qui cœlesti quodam unguentô vulnus linivit ac penitùs curavit, adeò, ut alterâ die S. Martinus æquè Sanus fuerit, ac si nunquam incommodum aliquod passus fuisset. Quadragesimus quartus et Quadragesimus quintus Cabilonensis Concilii Canones hujus Sacræ ampullæ mentionem faciunt; necnon ejus unguentô Henricus IV. in Ecclesiâ Cathedrali 27. feb. 1594. in Regem Franciæ unctus fuit. In hoc etiam Monasteriô cineres reliquiarum S. Martini à Calvinistis crematarum asservari dicuntur.

Ad portas Civitatis duo Cari fluminis brachia insulam efficiunt, quæ S. Cosmæ dicitur, in quâ est Monasterium Benedictinorum. In ejus Ecclesiâ Berengarius jacet sepultus. Natales in hac urbe sortitus primùm Thesaurarius et Scholasticus Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini, deindè Andegavi Archidiaconus fuit, hæc docere et asserere cœpit Eucharistiam esse tantùm figuram Corporis Christi. In variis Conciliis

hac de re habitis error iste proscriptus fuit, ipsèque an. 1078. Romam ad Concilium citatus, comparuit, erroremque suum retractavit, et damnavit, atque novam fidei professionem edidit, quam refert Gratianus 3. part. Decret. dist. 2. can. 42. cujus hoc est initium: Ego Berengarius, &c. Verisimile est illum posteà errorem suum denuò assumsisse, nam an. 1080. in Synodô Burdigalensi de eo iterùm fuit insimulatus, necnon ad reddendam fidei suæ rationem adactus. Tandem assumtô habitu Monachi, in hac Insulâ et Monasteriô se abdidit, ibique reliquum vitæ suæ transegit, atque 6. Jan. an. 1088. obiit. Ut verè Catholicum decessisse aliqui memorant, alii verò ut Hæreticum.

Annô 1684. Ministri Calvinistæ seu Prædicantes hîc officiô dejecti et urbe expulsi fuerunt, quòd Romanæ Ecclesiæ ritus per ludibrium traduxissent.

Memorabile etiam est prælium, quod quartô ab hac Civitate lapidis jactu an. 726. Carolus Martellus cum Saracenis, qui Franciam æquè ac Hispaniam inundaverant, iniit, in quo 370000. eorum cæsa fuisse dicuntur: de majori et celebriori pugna nullibi Historia quidquam meminit.

Ajunt quoque propè Civitatem speluncam quamdam esse, quæ aquam illi infusam in varias transformat figuras.

Hîc etiam varia fuêre celebrata Concilia, ut an. 570. an. 813. curante Carolô Magnô. An. 1163. Alexander Papa III. præsente Ludovicô VII. Franciæ Rege hîc Concilium celebravit adversùs Imperatorem Fridericum I. et Victorem IV. Antipapam ab eodem Fridericô Sedi Romanæ intrusum: eidem interfuêre 30. Cardinales, 124. Episcopi, et 414. Abbates. Item an. 1236. et an. 1282. Denique an. 1510. curante Ludovicô XII. hîc Franciæ Præsules egêre Conventum, in quô conclusum fuit monendum esse Papam, ut Concilium Universale convocaret, idque factum non modò à Franciæ, ~~legatis~~ sed et à Maximiliani Imperatoris Legatis.

2º. Ambacia seu Ambasia, et Castrum Ambaciacum |: Amboise :| Urbs eo locô posita, ubi Ligeris et Amatissa |: Amasse :| confluunt, atque ab hoc situ scilicet ab ambabus seu eam ambientibus ~~lis~~ aquis nomen suum accepisse videtur. Per pontem quatuordecim arcuum ex lapidibus quadris suprà ligerim extructum ad eam transitur. Non adeò ampla est, ut quæ duabus duntaxat plateis constet; Suburbiis tamen cingitur ipsa urbe majoribus: in ipsa ~~urbe~~ 325. foci;

in Suburbiis 465. ac universim 4000. Incolæ numerantur.

Castrum ei insidet in eminenti Saxô collocatum multisque turribus rotundis munitum, et à primariô quodam Ambaciæ virô nomine Ingelger locô illius, quod à Danis seu Nortmannis circa an. 882. vastatum fuerat, olim extructum. In hoc castrô monstratur cornu cervinum stupendæ magnitudinis, at non à naturâ sed arte humanisque manibus factum, quod an. 1700. Philippus Dux Andegavensis, dum in Hispaniam ad capessendam hujus Monarchiæ sibi delatam coronam pergeret, et fratres ejus Burgundiæ et Bartiæ Duces, qui eum comitabantur, hâc transeuntes detexerunt. In eodem Castrô an. 1469. Ludovicus XI. Equestrem S. Michaëlis Ordinem instituit; à quô etiam an. 1482. mense Octobri Civitas hæc ab omni vectigali et tributô immunis facta est, datis hanc in rem ab ipso litteris patentibus: Suburbia tamen huic oneri subjecta permansêre. Carolus VIII. Ambasiæ natus et an. 1498. denatus est.

Hanc Urbem etiam celebrem reddidit Calvinistarum conjuratio adversus Catholicos an. 1561. facta, quæ bello civili dedit initium, ubi et Hugonotorum nomen, quo Calvinistæ Turonibus jam notati fuerant, palam erupisse videtur.

33. §. V.

De Agro Blesensi.

Blesensis Ager seu Tractus (: Le Blaisois :) limites habet versùs Septentrionem Belsiam Specialem; ad Orientem Agrum Aurelianensem; versùs Meridiem Tractum Bituricensem; et versùs Occidentem Tractum Turonensem. Longitudo ejus est 38. latitudo autem 23. milliarium, eámque Ligeris in duas partes dividit. Inter vetustissimos et præcipuos totius Regni Comitatus reputatur. In eo occurrunt Urbes

1º Blesæ (: Blois :) aliàs Castrum Blesense, Blisium, et Blesum Castrum nuncupata Urbs. Sita est ad ripam Ligeris partim in planitie, partim in paulò eminentiori locô, in mediô regionis, quâ amoeniar in totâ Franciâ vix occurrit. Ponte ex lapidibus quadris suprà Ligerim stratô ad ejus Suburbium, quod Vigenna q dicitur, fit transitus; jam ante annum 1078. ædificatum ajunt, in eo visitur Obeliscus in honorem Henrici IV. erectus.

q (: Vienne :)

Primus hujus Urbis mentionem fecisse videtur Gregorius Turonensis* Sæculi VI. Scriptor celeberrimus lib. 3. Hist. franc.

* Gregorius Turonen-

et ex Caroli Calvi Capitularibus facilè est colligere eam Saeculo IX. et hujus Principis aetate percelebrem fuisse.

Suavi et Sanô gaudet aëre, frequénsque praeteritis temporibus Regum Aulaeque Regiae ibidem praesentia effecit, ut dicantur Cives optimum possidere linguae Gallicae accentum illamque eleganter et politè loqui; nec Regum et Aulae Regiae absentia comitatis et facilitatis laude, quam dudum jam meruerunt, eos exuit.

Hujus Urbis commercium ferè nonnisi in aquis distillatis consistit, et vinô, quae suprà ligerim Aureliam, Turones, Andegavum, Lavallium, ac indè in Hollandiam exterásque regiones transvehuntur. Praestantia etiam hîc conficiuntur horologia. Suprà omnes ejus portas collocata est effigies B. V. Mariae, quòd an. 1631. ad eandem B. Virginem votô factô ab immani peste, quae tùm dirè hîc grassabatur, cives statim ac per miraculum liberati fuerint.

Habet Sedem Episcopalem primùm an. 1697. ab Innocentiô Papâ XII. erectam et Metropoli Parisiensi subjectam. Hîc etiam ortum habuêre plures viri liberalibus artibus et scientiis percelebres, inter quos emicuêre duo Congregationis Oratorii Alumni Morinus et Vignierus, qui abjectô Calvinismô, in quo nati et educati fuerant, Catholicam Religionem amplexi huic Congregationi nomen dederunt.

Praecipuum denique hujus Civitatis ornamentum est Castellum, multorum Principum Opus: primô aspectu ab eâ separatum videtur, cui tamen per viam saxo incisam conjungitur. Hîc Henricô III. jubente Henricus Dux Guisius 13. decemb. an. 1588. miserè trucidatus est, et postridiè ejus frater Ludovicus Cardinalis Guisius, quòd in suspicionem venissent, quasi sub specie tuendae Religionis Catholicae Regem thronô dejicere machinati essent. Castrum hoc aliàs etiam tumulus Principum nuncupatur, quòd in eo permulti Franciae Reges tumulati sint. Adjunctos habet hortos, qui pulchritudine et magnificentiâ eidem vel maximè conveniunt.

2°. Camborium |: Chambort :| Castrum seu Palatium Regium ad voluptatem capiendam comparatum, quatuor milliaribus à Blesis |: Blois :| versùs Euronotum situm in locô ubi Cussianus |: Cousson :| amnis fluit, et in mediô Sylvae muris circumdatae ferisque abundantis; cujus ambitus ad septem milliaria porrigitur.

Ab. annô 1190. hîc domus venatoria extitit; Gran-

sis praecipuis suae aetatis Scriptoribus adnumeratus nobili prosapiâ in Alverniâ oriundus, natus perhibetur an. 544. et an. 573 Episcopus Turonensis factus obiit 17. Nov. an. 595. Româ, ubi D. Gregorium Magnum inviserat, reduc. Scripsit inter alia Opera Historiam seu Annales Francorum.

cisus I. ab Hispaniâ, ubi captivus fuerat detentus, redeuns, illâ dirutâ, ejus locô Castrum hoc seu Palatium excitavit; ferunt in eo ædificandô 1800. operarios duodecim annorum spatiô laborasse, ajuntque Franciam nullum inter Gothica ædificia magnificentius exhibere posse, quamvis haud absolutum sit. In eo Stanislaus Leczinski Franciæ Reginæ pater olim Poloniæ Rex, nunc Lotharingiæ Dux, Poloniâ pulsus resedit, donec Lotharingiæ Ducatu potitus Lunevillæ sedem fixit. Castrum hoc posteà Ludovicus XV. donô dedit Franciæ Marescallô Saxoniæ Comiti Augusti Regis Poloniæ et Saxoniæ Electoris filio naturali, qui jam diem supremum obiit.

§. VI.

De Agrô Dudocinensi seu Vindocinensi.

34. [illegible]. Dudocinensis seu Vindocinensis Ager |: le Vendomois :| olim Comitatus, et à Francisco I. Ducatus dictus, angusta satis provincia. Ejus limites sunt ad Septentrionem Perticensis Regio; ad Orientem Blesensis Ager; ad Meridiem Tractus Turonensis; et ad Occidentem Ager Cenomanensis. Dividitur in Superiorem et Inferiorem.

In hac provinciâ lacus est, qui per integros sibi invicem subsequentes † annos aquis est repletus, per alios autem septem annos siccus et aridus est, tumque antra horrenda stupendæque abyssi in eo cernuntur. Incolæ ex aquarum altitudine augurari solent, num septem anni illi, quibus aqua illum deficit, fertiles futuri sint, nec ne. Hic solummodô notatur urbs

† Septem

Vindocinum |: Vendome :| Caput provinciæ, à quâ Vindocinenses Duces nomen ferunt. Ad ripam Leræ seu Ledi |: le Loir :| amnis sita est, novem milliaribus à Castello-dunô |: Châteaudun :| et septem à Blesis |: Blois :|

An. 1562. Hugonoti eâ occupatâ, Sanctorum Statuas et imagines dejecêre, altaria demoliti sunt, multâqs alia execranda in Catholicæ Religionis odium exercuêre. Post urbs ista confoederatorum Catholicorum seu Ligistarum partes amplexa est. An. 1586. Henricus IV. ei, ut se dederet, denuntiari fecit, id facere renuentem adortus cepit, atque militibus suis diripiendam tradidit.

Inter Ecclesias, quæ in hac Civitate sunt, eminet Ecclesia SS. Trinitatis à Godofredô Martellô Comite Andegavensi an. 1042. extructa, et Majoris Monasterii |: Marmoutier :| Benedictinis tradita. Dicunt ibidem in vase vitreô, cujus nullum orificium seu apertura depre-

prehenditur, sacras lacrymas asservari, quas memoratus Comes à terrâ sanctâ secum attulit, et quæ ex iis esse dicuntur, quas Christus Dominus propè Lazari Sepulchrum fudisse ab Evangelistâ Joanne c. 11. v. 35. memoratur, et quæ ab Angelo exempta S. Maria Magdalena donò data ab ipso fuerunt. Neminem tamen cogere intendimus, ut id ita credat.

Adest etiam Ecclesia Collegiata S. Georgii, in quâ extat Sepulchrum veterum Comitum Vindocinensium à Burchardo I. usque ad Burchardum IV. Præterea hîc adhuc ostendunt quædam Monasteria tàm virorum, quam mulierum.

Joan. 35.

§. VII.
De Belsiâ.

Cùm Belsiam hîc memoramus, sermo nobis non est de illâ regione, quæ sub Belsiæ nomine non modò Agrum Carnutensem sedet partem Insulæ Franciæ nec non Aurelianensis Agri in se complectitur, atque ad Ligerim usque protenditur; sed de Belsiâ in specie, quæ aliàs Ager Carnutensis nuncupatur. Igitur

Belsia in specie |: Beauce :| regio est satis populosa, quamvis haud multum protensa; frumentóque dives, undè et Granaria Lotharii nuncupatur. Limitas habet à Septentrione et Oriente Insulam Franciæ; à Meridie Agrum Blesensem; et ab Occidente Regionem Carnutensem. in ea notantur

jò Carnutum |: Chartres :| Urbs satis ampla, provinciæ Metropolis, à Francisco I. titulo Ducatûs ornata, à quâ proinde Duces Carnutenses nomen trahunt. Olim Carnotum, Carnotenus, Carnotena civitas, item Carnotena dicebatur. Antiquitùs Autricum à flumine Auturâ |: Eure :| quod illam perfluit, dicebatur, sed postmodùm depositâ veteri, populi Carnutî, cujus caput erat, nomen assumsit, atque primùm Civitas Carnutum vocari cœpit, tùm mediæ ætatis ignorantiâ genitivum pluralis numeri nominativum singularis, et neutrius generis existimans Urbem hanc Carnutum nuncupavit, quod nomen ei adhæsit.

Inter Galliæ antiquissimas Civitates computatur, et si iis, quæ ibi narrantur, fides, haud procul à fabulis suam trahit originem. Ab Aturâ fluvio in duas partes dividitur; illius major pars collem occupat, in eâque vici seu plateæ admodùm angustæ sunt, ipsum

antiquitatis monumentum. Novem numerat portas, quarum sex muro obductæ sunt, suprà quamlibet earum conspicitur effigies B. V. Mariæ, quòd ejus tutelæ et patrocinio urbs ipsa sit devota.

Diu adversùs Romanos libertatem suam tutata est, tandemque cum Juliô Cæsare, cujus potentiæ resistere imparem se sensit, foedus pepigit. An. 911. à Rollone Nortmannorum Duce obsessa, et an. 1091 flammis penè absumta fuit. An. 1591. Henricus IV. eam occupavit, atque ibidem an. 1594. in Regem unctus et coronatus fuit, quòd Rhemorum Civitas foederi sacro seu ligæ adhuc esset implicita, et in rebellione persisteret.

Carnuti forfices et novaculæ excellentes conficiuntur, adsunt etiam varia lanæ opificia. Incolæ tamen admodùm pauperes sunt et egeni.

Habet Sedem Episcopalem jam antiquitùs fundatam, cujus tamen initium ignoratur; idcertum est, quòd jam an. 497. hîc Episcopus fuerit. Olim Metropoli Senonensi subjecta erat, sed ab an. 1622. Parisiensi paret.

Præter Templum Cathedrale, quod magnificum est, adhuc quædam aliæ hîc numerantur Collegiatæ Ecclesiæ, item et Parochiales. Hîc etiam nonnulla commemorantur celebrata Concilia, ut an. 1124. an. 1146. in quo expeditio in terram Sanctam decreta fuit. an. 1536. et 1550. in quibus ordinationes quædam circà Disciplinam editæ fuerunt.

Inter magnos viros, quos Carnutum protulit, præcipuè celebratur Petrus Nicolius |: Pierre Nicole :| vir, cui pietas et doctrina summam laudem conciliârunt. Ipsi inter alia Opera adscribitur Versio Latina Epistolarum Gallicarum Ludovici Montaltii ad Provincialem adversùs Sæculi præteriti laxiores Casuistas editarum lucis publicæ facta sub nomine Willelmi Wendrockii Salisburgensis Theologi. Natus perhibetur Nicolius an. 1625. Denatus Parisiis 16. Nov. an. 1695.

Principis Regii Sanguinis Aurelianensis Ducis filius primogenitus Dux Carnutensis nuncupatur |: Le Duc de Chartres :|

2ò. Bona vallis |: Bonneval :| Urbs ad Ligerim sita tribus milliaribus à Castello-Dunô in viâ Vendocinum versùs. Celebri Benedictinorum Monasteriô decorata est. Ab eâ nomen habuisse dicitur famosus ille Comes Bonvallius |: Le Comte de Bonneval :| qui sub hujus Sæculi initium à Galliâ ad Austriacos transfuga ab Imperatore Carolô VI. inter suos Belliduces cooptatus, Legioneque donatus fuit.

Demum quòd tricas excitasset Sabaudiaeque Principem Eugenium Supremum Imperatoris Belliducem reique militaris Praefectum injuriâ affecisset, dignitate suâ exutus et exactus ad Turcas se recepit, atque Constinopoli periit.

§. VIII. 36.

De Perticô seu Perticensi Regione.

Perticus seu Regio Perticensis |: Perche :| vix non totius Franciae minima, ut cujus longitudo 15 leucarum seu milliarium, latitudo autem 12. duntaxat sit. Confinis est ad Septentrionem Nortmanniae; ad Orientem Theodemerensi seu Timerensi pago |: Thimerais :| et Agro Carnutensi; ad meridiem Dunensi, Vindocinensi, et Cenomanensi Tractibus; et ad Occidentem Sartae |: Sarte :| fluvio.

Haec Regio nomen sortita est a magna Sylvâ, quae Perticus Saltus nuncupatur, et cujus varii Scriptores usque ad an. 1000. meminerunt.

Solum est inaequale et montosum; montes ejus inculti ovibus et vaccis pascua subministrant; valles verò omnis generis frumenta, canabum, et foenum abundanter proferunt. Hic etiam poma magnô numerô colliguntur, ex quibus mustum exprimitur communis et consuetus Incolarum potus. Regio enim vini penuriam patitur, et quod ibi in exiguâ admodum quantitate colligitur adeò tenue est, ut mustum illud ei facilè praeferatur. Habet etiam fontem mineralem Saluberrimum, cujus aqua ferri colorem refert.

Haec provincia etsi fortè inter alias franciae Regiones minima tres tamen Dioeceses numerat. In eâ occurrunt Civitates notatu dignae.

1º. Moritonia seu Moritania |: Mortagne seu Mortaigne :| Caput provinciae et caeteris illius urbibus populosior. Sita est propè Alenconium |: Alençon :| flumen sub 20. grad. 45. min. longit. et 48. grad. 26. min. ~~longit.~~ latit. In eâ est Ecclesia Collegiata omnibus Sanctis dedicata. Duae Parochiales Ecclesiae; Monasteria Recollectorum, et Capucinorum; Prioratus Canonicorum Regularium; Monialium Ord. S. Francisci; et Xenodochium.

2º. Nonigentum seu Noginentum, oppidum populosissimum multisque franciae Civitatibus haud cedens. ad ripam Huynae |: Huyne :| fluvii situm. Antiquum ejus nomen est Novigentum Rotrodi, Nonigentum Rotrodi, Noginentum Rotrodi, Nogentum Ro-

trodi, et Noniandum Rotrodi seu Rotroci, undè gallicè Nogent le Rotrou nuncupatur. Nomen hoc habet à Pertici Comite Rotrodô seu Rotrocô, qui in hujus Oppidi Castrô sedem habuit.

Salisburiensis Comes Anglus bellô Carolum VII. ~~Angliæ~~ Regem franciæ inter et Anglos fervescente urbem hanc occupavit, omnesque ejus Incolas suspendiô enecavit. at Carolus VII. an. 1449. denuò eam recuperavit, atque munitionibus formidabilem effecit.

§. IX.

37. ~~[illegible]~~.

De Cenomaniâ seu Agrô Cenomanensi.

Cenomania seu Provincia Cenomanensis |: le Maine :| confinitima est ad Orientem Pertico et Agro Vindocinensi; ad Meridiem Tractibus Andegavensi et Turonensi; ad Occidentem Britanniæ; et ad Septentrionem Nortmanniæ. Ejus longitudo ab Ortu in Occasum est 35. et latitudo ab austrô ad Boream ultrà 20. totúsque ejus ambitus 90. milliarum gallicorum seu leucarum.

Nomen accepit à Cenomanis Celtarum populis, qui etiam Aulerci dicti sunt. Cæsar et Ptolomæus hujus provinciæ Incolas Cenomanos Aulercos nominant, necnon Livius, Polybius*, et inter Recentiores Leander Alberti memorant eos circà an. 160. urbis Romæ Elitoviô Duce in Italiâ terras quasdam occupasse, necnon Veronam, Brixiam, Bergomum, et Mantuam ædificasse.

Hæc Provincia primùm Gallis, dein Romanis, ac demùm Francis paruit. Qui eam ~~possederunt~~ postmodùm possederunt, solùm Comites dicti sunt, at postquam Ludovicus XIV. an. 1673. notho filio suo Ludovico Augusto eam adseruit, tùm hic Cenomaniæ Dux nuncupari coepit.

In eâ sunt arva læta, vineta, vireta, colles amoeni, saltus, stagna, et plures fluvii, quorum præcipui sunt Meduana |: La Majene :| Huina |: L'Huisne :| Sarata |: Sarte :| et Lera seu Ledus |: le Loir :| adsunt etiam ferri fodinæ, et duodecim circiter Officinæ ferrariæ; item saluberrimi fontes minerales, quorum aquæ ferri colorem exhibent; necnon saxi albi et marmoris, et lapidis fissilis sed rudis admodùm fodinæ.

Cæterùm Cenomani adeò rationibus suis servire dicuntur, ut omnia ad usus suos et commoda convertant. In hac Provinciâ occurrunt urbes

* Polybius insignis Historiographus Græcus ex Megalopoli Arcadiæ urbe Lycostæ Reipublicæ Achajensis Præfecti et Rectoris primarii filius, Romam veniens Scipionis Africani et Lælii necessitudinem sibi conciliavit, ac ibidem Romanam historiam libris 40. conscripsit, cùm priùs varias peragrasset regiones, ut locorum, de quibus dicturus erat, notitiam sibi compararet.

notatu digna Sequentes:

1º Cenomanum |: Mans :| Provinciæ Caput, Civitas antiquissima ad ripam Sartæ |: Sarte :| fluminis sub 20. gr. 19. min. longit. et 48. gr. 7. min. latit. collocata. Ptolomæus lib. 2. c. 8. eam Ουινδινον, id est, Vindinum, sentingeri tabula Subdinum, Valesius in Notit. Gall. p. 64. Vindinum nuncupant. In Notitiis provinciarum et urbium Galliæ vocatur Civitas Cenomanorum seu Cenomanorum, et Cenomanni.

Urbs hæc tempora Caroli Magni inter amplissimas et pulcherrimas Regni Franciæ Civitates computebatur: at Normannorum sæculo IX. irruptiones, bella Comitum Andegavensium, quibus olim ipsa parebat, inter et Normanniæ Duces sæculo XII. gesta; necnon incendia, quibus variis temporibus afflicta fuit, multum eam deprimere. Singulis fere sæculis obsidiones, vel alia infortunia, quæ enarrare nimis longum foret, sustinuit et perpessa est. Sub Henricis III. et IV. Sacri foederis seu Ligæ partes amplexa est, at an. 1589. 2. Decemb. pactis conditionibus Henrico IV. se dedidit.

In eâ ejusque Suburbiis 3200. foci, et 15000. circiter animæ numerantur. Habet etiam Eadem Episcopalem Metropoli Turonensi subjectam. Liborius, qui sub finem Imperii Constantini Magni floruit, atque S. Martini amicus fuit, inter cujus manus animam efflavit, primus hujus Civitatis Episcopus fuisse perhibetur; nec fides adhibenda est fabulosæ traditioni quorundam, qua primum illius Episcopum statuit Simonem leprosum illum, apud quem Christum Dominum cœnasse Evangelium memorat, et qui deinde baptizatus in Baptismo Julianus dictus fuerit.

Præter Ecclesiam Cathedralem S. Petro dicatam 16. vel 17. adhuc tam in Civitate, quam in ejus Suburbiis numerantur Ecclesiæ. Presbyteri Oratorii ibi habent collegium an. 1624. mense Novembri fundatum. adsunt etiam Capucini, Dominicani, Franciscani, Minimi. Moniales Ursulinæ, Visitationis, S. Dominici, et S. Augustini.

2º Meduana |: Majenne seu Mayenne :| propè Meduanam |: Mayenne :| fluvium, à quo nomen cepit Sita Civitas. Olim propter validas ejus munitiones, et situm Arcis in Sacri cacumine collocatæ ædes spectata erat, ut inexpugnabilis æstimaretur. Attamen an. 1423.

postquam trium mensium spatiô se adversùs Anglorum exercitum, cui Salisburiensis Comes praerat, tutata fuisset atque quatuor sustinuisset assultus, tandem ei sub certis conditionibus se dedere compulsa fuit.

Populosa est, duâque in eâ sunt Ecclesia parochiales, pluráque Monasteria. An. 1527. Franciscus I. in gratiam Claudii à Lotharingiâ primi quisia Ducis eam ad Ducatûs et Cariatûs dignitatem evexit.

3°. Lavallium |:Laval:| Sita est haec Civitas ad ripam Meduanae seu milliaribus ab ejus nominis urbe, Meduanâ scilicet, et Scadecim à Cenomanô, quatuordecim à Redonibus |:Rennes:| versùs Britanniae confinia, et in eâdem distantiâ ab Andegavô |:Angers:| et Flexia |:Flèche:|

Urbs ista, quae olim à Guidone primô ejus Comite Vallis Guidonis |:Laval Guyon:| nuncupabatur, dignitate Comitatûs et Cariatûs gaudet, et frequenti, quae in eâ exercetur, lanuariâ negotiatione celebris facta est.

In eâ sunt Collegium, et duae Parochiales Ecclesiae, nec non duae Collegiatae, quarum una Parochialis est; Prioratus Canonicorum regularium S. Augustini Congregationis S. Genovevae, item S. Martini, qui Suburbio nomen tribuit; Conventus Franciscanorum discalceatorum, quorum Ecclesia speciosa est et marmore superbiens, item Dominicanorum, Capucinorum, et Ursulinarum, nec non Monasterium Benedictinorum; Xenodochium pro pauperibus aegrotis, et aliud commune.

Duo sunt hîc arces fortibus muris et turribus munita unà cum ponte ex lapidibus quadris supra Meduanam structô, per quem ad unum illius Suburbiorum transitur.

38. 170

§. X.

De Andegaviâ seu Tractu Andegavensi.

Andegavia seu Tractus et Ducatus Andegavensis |:Anjou:| augusta quidem provincia, quam tamen plurimi amnes perfluunt, inter quos eminent Ligeris |:La Loire:| Leva |:le Loir:| Sarta |:Sarte:| et Meduana |:Mayenne:| Ejus Longitudo est 30. et Latitudo 20. milliarium gallicorum seu Cuneorum. Confinis est ad Septentrionem Cenomania; ad Occidentem Britannia; ad Meridiem Pictavia, et ad Orientem Turonensi Agro. Dividitur juxtà Ligeris fluvium in Superiorem et Inferiorem, seu Septentrionalem et meridionalem.

Aërem habet temperatum, solúmque amoenum collibus et planitiebus interminatum. triginta tres Sylvas numerat quercubus et fagis superbientes. Adsunt etiam

virota, in quibus equorum pullatio instituitur; ibidem etiam permulti boves, vacæ, et vituli pascuntur provincia divitiarum pars magna. Hic quoque eruuntur latomiæ carbonum bituminosorum, ut et ferri, necnon marmoris et lapidis fissilis fodinæ. Demùm optimi albi vini, frumenti, aliarúmque variæ generis frugum ferax est.

Hæc Provincia initiò Comitatûs duntaxat titulò insignita erat, posteà verò ad Ducatûs ordinem evecta est. Sæpiùs minoribus regii sanguinis principibus seu Regis ipsius aut Delphini filiis Usuaria attributionis, seu, ut ajunt, Apanagii locò est. In ea notantur præcipuè hæ Civitates:

1° Andegavum, seu Andegavi, et Andecavus |: Angers:| Urbs sic dicta à populò, qui olim hîc sedem habuit. Caput provinciæ, paulò ultrà Comum, ubi Madiana et Sarta in Ligerim præcipitantur, collocata. Antiquitùs à Julio Cæsare Juliomagus nuncupata fuit, quamvis ab eo ædificata non fuerit. Post medium sæculi V. Childericus Francorum Rex eam occupavit, comite Paulò Romanorum Bellidure, qui tùm ipsi provinciæ præerat.

Urbs hæc ab aliquibus Nigra vocatur, quòd omnes ejus domus lapidibus fissilibus seu sarais scissilibus tecta sint: inter eas eminet Palatium famosi Cardinalis Richelii seu Richelii. Ei impendet Castrum in promontò saxò à S. Ludovicò, ut fertur, ædificatum, fossis, turribus, alioque munimentis instructum. In civitate hac 9000. foci, et 30000. civitas Insolæ numerantur.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Turonensi subjectam antè annum 380. jam fundatam, et ut, quantùm memoriâ proditum est, S. Defensor primus præfuit. Præter eam nulla alia in totâ provincia recensetur.

Ecclesiam Cathedralem celebrem efficiunt tria campanilia ad illius principem portam admodùm in sublime porrecta, quorum medium velut in aëre pendens videtur, quòd nullo nisi binorum aliorum fundamentò nitatur. Illius forma præaltus est et latus, multisque fultus columnis, quo navi elegantia conciliatur. In ea thesaurus asservatur, qui nonnisi in festis principalioribus populo exhibetur; inter alia gladius ostenditur, quem S. Mauritii Thebæorum Legionis sub Maximianò Imperatore Primicerii et ob fidem Christianam unà cum totâ illâ Legione martyriò coronati fuisse dicunt, ut et Hydria subnubro Jaspidi haud absimilis, quæ una esse dicitur illarum sex, in quibus Christus Dominus, quod

refert S. Joannes Evangelista c. 2. aquam in vinum convertit, à Renatô Siciliæ Rege, qui hîc sepultus jacet, adata. Sed hæc nonnullis recentioris ævi eruditis fabulam redolere videntur.

q celebratur

Multùm hîc etiam admiranda processio, quæ singulis annis in festô Corporis Christi institui solet, et ad quam undique populi ingenti numerô accurrunt, atque à mane usque ad vesperam perdurat. Hæc cerimonia in perpetuam hæreseos Berengarii olim hujus Ecclesiæ Archi-Diaconi, qui primus realem Christi in Eucharistiâ præsentiam impugnavit, memoriam primùm hîc instituta dicitur, quæ dein ad omnes Catholicii orbis Ecclesias propagata est.

q damnata

Præter Ecclesiam Cathedralem hîc quoque numerantur 16. Ecclesiæ Parochiales, quarum 12. in Civitate, et 4. in Suburbiis extant. Octo Capitula Ecclesiastica, et varia utriusque Sexus Monasteria.

Adest etiam Universitas, cujus quatuor sunt Facultates, Theologica nempè; Juris Utriusque Canonici hîc et Civilis; Medica; et Liberalium Artium, à D. Ludovicô fundata et erecta. Adest etiam Academia politiorum litterarum an. 1685. mense Junio jussu Regis Ludovici XIV. Stabilita. Item Curia monetalis.

Hîc quoque variæ circà Disciplinam Ecclesiasticam celebratæ Synodi memorantur, ut an. 453. 1269. 1328. 1448. 1618. 1617. pp.

Inter celebres viros, qui in hac civitate ortum habuerunt, meritò recensetur Ægidius Menagius, qui variis Operibus, iisque Selectis Seculum præteritum illustravit. Natus perhibetur 15. Aug. an. 1613. Denatus 23. Julii. an. 1692. cum ætatem Suam ad 79. annos protulisset.

2do. Salmurium seu Salmuram, item Salmuria [:Saumur:] Urbs antiqua, et quæ jam an. 400. Stetit. ad meridionalem Ligeris ripam sub 47. gr. 16. min. Latitud. et 17. gr. 32. numut. longitud. posita, et ob pontem Sumn, qui momentosum Ligeris transitum præbet, in historiâ multùm celebrata.

Civitas hæc sub Hugonotis celebrior fuit, quàm nunc sit, ut quæ in eâ omnium Scientiarum Academiam habuerint à celebri Du Plessi-Mornay sub Henrico IV. auspiciis fundatam et erectam. at an. 1684. post revocationem et abrogationem Nannetensis edicti, et ipsa suppressa fuit et abolita. Habet Suburbia muris cincta, ipsaque Urbe præstantiora et venustiora. Modò

1720. fori in eâ numerantur, anima verò circiter 6500. Ast ubi olim Hugonotorum Academiâ decorata erat longè populosior fuit. Ipsius tamen jucundus et amoenus situs multos exteros ad eam allicit.

Ei insidet Castellum opere antiquô munitum: Sal-, nuvus dicitur velut per corruptionem Salvus murus, ex quo Urbs ipsa nomen accepisse videtur. Antiquitùs Castellum istud Francus |: Le Frone :| vocabatur, non tamen eo, quo nunc est, locô situm. Imò ajunt Urbem ipsam antiquitùs propè Vigennam |: Vienne :| quæ quinque abeâ milliaribus Ligeri influit, fuisse. Vitri et ferramentorum negotiationem præcipuè exercet.

In eâ sunt tres Ecclesiæ Parochiales, quas unius Parochi tres Vicarii administrant: variâque utriusque sexûs Monasteria.

Milliaris ab Urbe quadrante Situm est celebre S. Florentii Monasterium Benedictinorum Congregationis S. Mauri an. 1030. ab Abbate Friderico ædificatum, cùm priùs Sæculo X. scilicet intrà Salmuriensis Arcis ambitum à Gibaldô Comite Blesensi fundatum fuisset.

Historia Ecclesiastica Salmurum celebrat ob varia ibidem celebrata Concilia, ut annis 1208. 1276. 1295. 1315. 1595. 1602. et 1611.

3ò Flexia |: La Flèche :| Urbs in ultimis Andegavia finibus versùs Agrum Cenomanensem decem ab Andegavô milliaribus ad ripam Ligeris in amplâ et perjucundâ valle cujus colles vineta et virgulta contegunt, sita.

Unicam habet Ecclesiam Parochialem, quamvis 6000. circiter Incolarum contineat. Splendorem suum Henrico IV. acceptum refert, à quo pulchrior et clarior effecta est. Inter alia Rex iste magnificum quoque Jesuitarum Collegium ibidem an. 1603. fundavit, in cujus Templô ipsius et Mariæ de Medicis conjugis sua corda asservantur.* In eo scedecim numerantur Regentes seu Professores, quatuor qui Theologiam, tres qui Philosophiam, duo qui Mathematicam, duo qui Rhetoricam, et quinque qui Humaniora docent. Hîc celebris Cartesius Philosophiam docuit, quam postèa, quod ejus prodeunt Opera, contemsisse videtur.

* Jam Jesuitis tota Francia exturbatis Collegium eorum hîc alii possident.

§. XI.

De Pictavia.

Pictavia seu Pictavorum aut Pictaviensis provincia |: Le Poitou :| amyla admodum Regio, cujus longitudo ab oriente ad Occidentem est 75. et Latitudo à Meridie ad

Septentrionem 25. milliarium. Confinis est versùs Orientem Agris Turonensi, Bituricensi, et Marchiæ; Ad Septentrionem Britanniæ et Andegaviæ; versùs Occidentem Mari Aquitanico seu Vasconico; et ad Meridiem provinciæ Engolismensi et Agro Santonico.

À Pictonibus seu Pictavis, qui Julii Cæsaris ætate inter Celtas fuêre celebres, nomen habet. Post Barbarorum in Romani Imperii Gallicas regiones Sæculo V. irruptionem Wisigothi provinciam hanc occupaverunt à quâ eos Clodovæus Grancorum Rex post initum propè Vougliam seu Vogladium |: Vougle :| Oppidum, quod vetus Voclade est, cum ipsis prælium, in quo Alaricus ipsorum Rex interemtus est, exturbavit.

Juxtà locorum hujus Provinciæ situm, solum ejus magis aut minùs est fertile; Summatim dici potest, quòd partim pratis partim saltibus et sylvis constet: pauci in eâ sunt montes; bini etiam fluvii, qui navigia ferant, eam duntaxat perfluunt, Vigenna seu Vignana |: Vienne :| nempè, et Separa Nannetensis |: la Sevre Nantoise :| In ea etiam occurrit fons mineralis satis celebratus, cujus aquæ salis saporem habent. Adest quoque Viperarum species quædam magno apud Medicos usu. Novem exiguos portus numerat, qui tamen nonnisi cymbas et scaphas recipiunt exceptô portu, qui Arenæ Olonenses |: les Sables d'Olonne :| nuncupatur, ad quem 150. cuparum navigia appellere possunt.

In duas partes dividitur Superiorem scilicet, quæ Orientalis est, et Agris Bituricensi et Turonensi adjacet, et Inferiorem, quæ Occidentalis est, atque Oceano et Nannetensi provinciæ confinis est. In eâ sequentes notantur Urbes.

1.º Pictavium |: Poitiers seu Poictiers :| ab Augusti Imperatoris nomine olim Augustoritum, item Limonium seu Lemonum dicta Civitas, totius provinciæ Caput, suprà collem ad lævam exigui fluminis Clinæ seu Clanæ |: Clain :| ripam ædificata.

Si de meritô civitatis cujusdam ex illius magnitudine et ambitu dijudicandum esset, fortè Pictavium omnium post Lutetiam Franciæ civitatum præcipua esset; at profectò nunc inter humillimas et abjectissimas computari potest, ut quæ bellis internis et Civilibus penè attrita fuerit; undè nonnisi ligneas et luteas domos habet, minimèque populosa est, atque in eâ quamplurimæ ædes vacuæ reperiuntur, aliæ verò jam collapsæ sunt, quin ullus eas denuò excitare cogitet. Attamen aliquot magnifica palatia speciosásque numerat Ecclesias. Ei Castrum insidet pervetustum, propè

quod visuntur rudera Amphitheatri, aliorúmque Romanorum monumentorum. Ædilius seu sunt porta.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Burdigalensi subjectam, circà an. 260. fundatam. Inter illius Episcopos in historiâ sive profanâ sive Ecclesiasticâ ♀ S. Hilarius Trinitatis divinæ adversùs Arianos propugnator acerrimus. ♀ multùm celebratur

Post Ecclesiam Cathedralem S. Petro sacratam inter cæteras eminet Ecclesia Collegiata S. Hilarii: in eâ visitur tumulus marmoreus Gilberti Comitani circà medium sæculi XII. hujus Urbis Episcopi, hic Episcopus, cum quòdam de SS. Trinitate et Verbi divini Incarnatione erronea et hæretica sentiret, à S. Bernardô convictus, errorem suum ultrò agnovit et humiliter deprecatus est in Concilio Remensi an. 1148. sub Eugeniô Papâ III. celebratô; à quo etiam pacificè in suam Ecclesiam remissus fuit, quòd, etsi ipsius assertiones hæreticæ fuissent, ipse tamen hæreticus non esset, utpotè pertinaciæ adversùs Ecclesiam expers. Hîc illius effractô tumulô Hugonoti cadaver indè extractum igni addixerunt.

Propè hanc Urbem an. 1356. famosum illud prælium Joannem Galliæ Regem inter et Eduardum Angliæ Principem, postèa sub nomine Eduardi IV. Angliæ Regem initum est, in quo Joannes victus et captus fuit.

Hîc etiam numerantur 22. parochiales Ecclesiæ; novem Virorum Monasteria, quorum duo sunt Benedictinorum. 12. Monialium, præter abbatias duas Monialium Ordinis S. Benedicti, quarum una S. Crucis, altera SS. Trinitatis dicitur. Duo Seminaria. et tria Xenodochia.

2º Ricolocus seu Richelium |: Richelieu :| Urbs ad ripam Amobilis |: Amable :| fluvii novem milliaribus à Pictaviô sita. Priùs nonnisi vicus erat, celebris Cardinalis Ricolocii seu Richelii tamen locus natalis. Hinc cum celebraturus idem Cardinalis ~~~~ in Speciosam civitatem convertit adjunctô ei dem magnificô palatiô, nec non amplô Vivariô. In eâ 200. fœci numerantur. Titulô Ducatûs gaudet, cui multa Urbes et oppida adjecta sunt. Ipse Cardinalis vitam posuit Parisiis 24. novemb. an. 1642. exiguum sui desiderium relinquens. ♀ vel, ut alii volunt, 4. Decemtûs.

3º Lusignanum seu Luzinianum, aliàs etiam Lezinianum seu Luzinianum Castrum |: Lusignan seu Luzignan, antiquitùs Lesignen, Lesignem, Lezingen, et Lizen :| Urbs et Castrum ad ripam Vigenna |: Vienne :|

fluminis, in viâ, quâ Pictavio Rupellam pergitur. Castrum eodem occupat, ad cujus pedem Urbs sita est. Locus iste jam à Saculo XI. notus est, Specialésque hos Dominos habuit, qui posteà Marchia et Engolismæ Comites facti sunt.

Castrum ab Hugone II. Lusignani Dominô adificatum inexpugnabile habitum est; attamen an. 1573. sub Henrico III. à Ludovico Borbonio Duce de Montpensierio post quatuor mensium obsidionem subactum fuit.

Civitas ipsa angusta est, nec in eâ præter Castrum quidquam memorabile occurrit. Familia Lusignana non modò Marchiæ et Engolismæ Comites protulit, sed et Reges Jerusalem et Cypri insulæ. Philippus Pulcher horum Comitum præda et possessiones iterùm Coronæ adjunxit; et postquam Lusignanum Comitatus Pictaviensi adjectum fuit, tum et eadem cum illis sortem expertum est.

4º Rupes ad Yonem |: Roche sur Yon :| Oppidum cum titulô Ducatûs. Ab exiguo fluvio Yone |: Yon :| nomen accepit, adjujus ripam quinque à Luconiâ |: Luçon :| milliaribus versùs Septentrionem collocatum est. Pertinet ad prospiam Borboniam de Contiô |: Conti :| quod ipsa à Monpensierianis hereditate obtinuit.

5º Tremolia seu Trimolia, et etiam Trimulium |: Trimouille seu Tremoille :| Urbs, cui magnificum imminet Castellum. Titulô Ducatûs gaudet; estque avita Domus famosæ Ducalis Trimuliana prosapia, à quâ Principes Roanii |: Rohan :| et Duces Nigri Monasterii |: Noir Moutier :| duxêre originem.

6º Noviliacum |: Noaille :| Oppidum tribus milliaribus à Pictaviô versùs Meridiem situm, in quo extat celebre Benedictinorum Monasterium à Carolô Magnô fundatum.

7º Luciona seu Lucionum, item Lusconia, Cuciona et Secor |: Luçon, seu Luson et Lusson :| Urbs inter paludes duobus à Mari milliaribus sita, undè et insalubrem habet aërem. Propriè loquendo non est nisi Oppidum muris carens, atque ideò duntaxat Urbibus annumeratum est, quòd ibidem Abbatia Benedictinorum ad Sedis Episcopalis dignitatem evecta fuerit. Luciona originem habet à memoratâ Abbatiâ seu Monasteriô olim à quodam S. Philiberti Discipulô, cui nomen Lucius erat, hîc fundatâ, cui et nomen suum indidit, quod pòst ad ipsum Oppidum Monasteriô ipso posterius derivatum est.

Cùm Monasterium hoc aliquot Sæculis sub Regulâ S. Benedicti floruisset, Joannes Papa XXII. an. 1317. illud Episcopatum dixit, et Metropoli Burdigalensi subjecit, hujusque primum illius Antistitem constituit Petrum de

Viariâ |: De la Voyrie :| ejusdem Monasterii Abbatem. Illius Monachi semper hujus Cathedralis Ecclesiæ Capitulum constituerunt usque ad tempora Ludovici XI. Franciæ Regis, tùm enim ad ejus instantiam Paulus Papa III. an. 1468. hos monachos unà cum suô Episcopô ad Sæculares transiisit, eorúmque Monasterium in Canonicorum sæcularium Capitulum transmutavit. De hujusmodi Ecclesiis, qui eo tempore relictô Monachatu ad Sæculum transibant, ait Trithemius, eos ex malis Monachis factos esse pessimos Canonicos.

Lucionensis Episcopus Baronem se nominat. Inter famosissimos hujus loci Episcopos facilè præcipuus fuit celebris Cardinalis Richelius. 1577. 40.

§XII.

De Provinciâ Engolismensi.

Provincia Engolismensis |: L'Angoumois :| sita est juxtà Carentonum |: Charente :| fluvium, qui partem illius perfluit. Limites ejus sunt ad Septentrionem Britavia; ad Orientem Lemovicensis Ager et Marchia; ad Meridiem Regio Petrocoriensis |: Perigord :| et ad Occidentem Santonia. Ejus longitudo est 25. et latitudo 18. milliarium. Frumenti, vini, et croci fertilissima, pecorúmque pecuris dives est. Illius Incolæ comites sunt et urbani, naemon ingeniô præstantes, litterarum quoque cultores enimii. Mercaturam negligunt, in militiâ et bello fortes et generosi. In ea præcipuè nostantur bina sequentes civitates.

1.° Engolisma |: Angoulême :| Urbs in mediô provinciæ ipsius collocata supra montem rupibus et saxis circumdatum, ad cujus pedem Carentonus |: Charente :| fluit. Illius sub nomine Iuulisma velut de civitate parvum notâ parúmque spectabili primus meminisse videtur Ausonius*, qui circà finem Sæculi IV. floruit. Auctores, qui post ipsum Scripsêre nomen hoc compererunt, atque ex eo Iuulismam et tandem Engolismam effecerunt. Provinciæ caput est, cui et nomen tribuit.

Sæculô V. quô jam spectabilior erat, Visigothi eam occupaverunt, quâ Clodovæus Francorum Rex, reportatâ de Alarico eorum Rege victoriâ, eos ejecit. Sub Carolô V. Franciæ Rege Civitas hæc speciale fidelitatis suæ monimentum edidit, cùm, ejectô Anglorum præsidiô, Principi legitimo sese subjecit. Hugonotis bis eâ potiti sunt. Ubi an. 1586. Architalassus de Colinianô |: L'Amiral de Coligny :| pactis conditionibus illam obtinuisset, ipsius copiæ loca sacra profanârunt ac incendiârunt, multâque alia inhumana et crudelia exercuerunt. 8000. civiter numerat animas. Iuvola ejus ad Studium litterarum multùm

* Decius seu potiùs Decimus Magnus Ausonius insignis Sæculi IV. Poeta Gallus Burdegalæ natus, ubi et tirocinô ætatis huc amô Rhetoricam docuit; patrem habuit celebrem quendam Medicum. primùm Gratiani Imperatoris Valentiniani filii præceptor, post Urbis Romæ Præfectus an. 379. Mortis ipsius tempus est incertum, an. 392. vel saltem 388. adhuc superfuisse dicitur. Uxor Paulini Senatoris Romani Solitudi-

propendent; at simul arrogantes sunt, inscitique solos affacti, qui eorum tenerint encomia. Hic ortum duxit Franciscus Ravaillac, qui Henricum IV. Parisiis confodit.

Hujus Civitatis Episcopus Metropolitano Burdigalensi subjicitur; hicque primus Episcopus fuisse memoratur S. Ausonius, qui sub finem Saeculi III. floruit.

2°. Rupes Fucaldi |: Roche Foucaud :| Urbs cum Castello munitissimo, propè Tardueram |: Tardoure :| fluvium quatuor leucis seu milliaribus ab Engolismâ versus Orientem sita, quæ celebri et magnæ Rupe-fucaldicæ familiæ nomen suum impertivit. Franciscus I. an. 1515. Civitatem hanc ut à cum Tractu huc Comitatum dixit, et Ludovicus XIII. ad Ducatûs et Pariatûs dignitatem evexit, datis hanc in rem an. 1622. mense Aprili patentibus litteris, quæ an. 1631. 3. Septemb. in tabulas Parlamenti relatæ fuerunt. In eâ est Ecclesia Collegiata, et Conventus Carmelitarum.

§. XIII.

De Alnia seu Tractu Alnensi vel. Alnetensi.

Tractus hic, quem Galli L'Aunois seu le Païs d'Aunis nuncupant, latinè Alnia, Alnisium, et Alnetum, item Alnisiensis et Alnetensis Pagus, vel etiam Alnensis Tractus dicitur. In Itinerario Antonini, et in Tabulâ Peutingerianâ Avedonacum nominatur.

Est minima totius Galliæ provincia olim Santonicæ attributa, post verò ab eâ avulsa et Pictaviæ adscripta. Ejus limites sunt ad Septentrionem Pictavia, à quâ per Separam |: Sevre :| flumen distinguitur; ad Occidentem Oceanus seu mare Vasonicum, ad Meridiem verò et Orientem Santonia |: Saintonge :| frater Separam Carentonus |: Charente :| illam quoque perfluit. Habet etiam varios maris portus, qui ei haud exiguo sunt emolumento.

Quamvis Solum ejus aridum et siccum sit, frumenti tamen et vini ferax est. Adsunt etiam viveta, in quibus pecora pascuntur: item quamplurimi Salsi Lacus, è quibus optimum totius Europæ Sal ducitur. Hic notantur

1°. Rupella |: La Rochelle :| Caput Provinciæ ad mare Vasonicum sub 18. gr. 55. min. Longit. et 48. gr. 54. min. Latit. Sita Vdis. Veteres eam Portum Santonum vocavêre, quòd tum Santonia adscripta esset, neuon optimus universum hujus Oceani plagæ portuum. Postmodùm Roula seu Rocella, Rochella, Rubella, demùm Rupella dicta est; nomina, quæ exiguum sanum indi-

nem damnavit, "et Symmacho Ethico amicissimus fuit, neuon Scriptionibus his multa obscura inmiscuit, dubitant aliqui num Christianus fuerit; attamen eum Christianum fuisse Scripta ipsius clarè videntur demonstrare. Latent illius Epigrammata, et alia quædam opuscula.

21. 1678.

cant. Cùm autem hîc neque saxum seu rupes aliqua, neque mons aut collis occurrant, oportet, ut vel à solô petrosô, super quod ædificata est, vel quia primùm enigmum Castrum unà cum quibusdam Stagnicolarum tuguriis hîc loci extabat, nomen istud ei advenerit. Castrum istud initiô ad Comites de Malleone |: Mauleon :| in Pictaviâ pertinuit: at Sæculô XII. Wilhelmus ultimus Pictaviæ Comes iis ereptum in Urbem convertit. Hic unicam filiam Eleonoram suarum ditionum reliquit heredem, quæ Henrico II. Angliæ Regi nubens unà cum cæteris Patris sui dominiis Rupellam quoque, datâ Comitibus de Malleone pro eâ satisfactione, Anglicanæ Coronæ adjunxit, è quâ an. 1224. Ludovicus VIII. Philippi Augusti filius Anglos ejecit. at an. 1356. seu, ut alii volunt, 1360. in pace Angliæ Regem inter et Franciæ Bretiniaci |: Bretigni :| conclusâ iterùm ad Anglos pervenit: verùm duodecim post annis ipsamet Civitas abjectô Anglorum dominatu, eorúmque exturbatô præsidiô, Carolô V. Franciæ Regi se subjecit, qui ejus privilegia nedum confirmavit, sed et adauxit, quibus deinde abusa est.

An. 1557. Calvinismus in eam introductus est, et an. 1567. dum internum et Civile bellum in Franciâ fervesceret, Hugonotorum partes fortiter amplexa est; Civésque, abjectô prorsùs Regis imperiô, Democratiam invexêre Genevensi haud absimilem. Annô 1574. Henricus Andegaviæ Dux Caroli IX. Germanus frater, ejúsque postmodùm sub Henrici III. nomine in Regnô successor, eam obsidione cinxit, at ad capessendam Poloniæ Coronam ab hujus Regni Legatis invitatus ab eâ recessit. Tandem Ludovicus XIII. ad illam castra movit, ac extructô non procul ab Urbe munimentô, quod fortalitium Ludovicianum* nuncupatum est, undè tàm urbis mœnia, quàm in portum aditus tormentis quaterentur et impeterentur; tùm ipsam obsidere coepit, ductô etiam stupendô 747. perticarum aggere, quo illius portus omninò obstruebatur. Denique post tredecim mensium obsidionem, et postquam ex 18000. hominibus, ultrà 13000. in eâ fame periissent, atque Angli binâ vice suppetias eidem afferre nequicquam conati fuissent, se dedere coacta fuit. Rex an. 1628. Urbem solemniter ingressus Catholicos Presbyteros et Ecclesiasticos, quos Cives exturbârant, Magistratúsque, quos deposuerant, denuò restituit, Civitatémque privilegiis suis mulctavit.

An. 1649. ad instantiam Ludovici XIV. Innocentius Papa X. Sedem Episcopalem Malliacô |: Maillezais :| hûc transtulit.

* Fort-Louis.

Hujus Urbis portûs opportunitas, ejusque navalis seu crepidinis securitas jam pridem illam celebrem effecêre, necnon exteras naves penè innumeras, quæ continuò ad eam appellunt, attraxêre. Præcipuum commercium exercet ad Insulas Gajanam |: Cajenne :| S. Dominici |: San-Domingo :| item ad Senegaliam |: Senegal :| ad Novam Franciam |: Canada :| Cades, Portugalliam, et ad Insulas Accipitrum |: Azores :| Sueci, Dani, Angli, et Hollandi quotannis quamplurimas hûc mittunt naves, quæ vinum, spiritum vini, Sal, chartam seu papyrum, linum, byssum, et levioris texturæ pannum indè devehunt.

Hîc Jesuitæ habent Collegium, in quo humaniora, Philosophiam, et Theologiam docent*.

* Dum hæc scribebantur, nondum tota Francia pulsi erant Jesuitæ.

2ò Rea Insula |: L'Isle de Ré :| sita in Oceanô versùs Occidentem uno à continente milliari et tribus à Rupellâ. Ejus longitudo est circiter quatuor, latitudo duarum circiter leucarum. Ante Sæculum VIII. hujus Insulæ nulla fit apud Scriptores mentio, et in omnibus monumentis, quæ de illâ loquuntur, Radis, Ratis, seu Insula Ratensis nuncupatur.

Olim in hac Insulâ celebre extitit Benedictinorum Monasterium, cujus origo ignota est; id duntaxat scitur, Hunoldum |: Hunaud :| Aquitaniæ Ducem Ottonis filium ibi an. 744. Monachum induisse. Sæculô IX Nortmanni piratæ illud devastaverunt, et solo æquârunt. Sæculô XI. Comites de Malleone |: Mauleon :| sub quorum dominiô tunc erat Insula, eodem locô aliud excitarunt B. V. Mariæ consecratum, quod usque ad Hugonotorum dissidia et bellum stetit, à quibus et funditùs eversum est.

Annô 1457. Carolus VII. Franciæ Rex litteris patentibus hos Insulanos à vectigalibus immunes fecit, eisque alia adhuc jura et privilegia concessit hac conditione, ut scilicet ad apparatus maritimos et navales operam suam impigrè conferrent. Post Caroli VII. tempora Rupellenses, qui sibi, præter Alniæ dominium, in vicinas Insulas maritimum imperium arrogabant, hanc Insulam occupârunt, et suo dominatui adjunxerunt; quorum plerique Incolæ posteà Calvinismo nomen dedêre. At postquam Ludovicus XIII. an. 1625. navali prælio Rupellenses devicisset, tùm hanc Insulam cepit sibique subjecit, atque in eâ duo egregia munimenta extruxit unum ad S. Martinum, ad Prateam |: la Prée :| alterum. Cùm Angli sub Duce Buckingamô illorum Architalassiô Rupellæ ab exercitu Ludovici XIII. circumclusæ suppetias allaturi venissent, ex scensione factâ S. Martini munimentum frustrà adorti sunt præsidiô Regiô strenuè illud defendente, cui et galli

sub Duce Schombergiô fuêre auxiliô. Redactâ Rupellâ idem Ludovicus Rex S. Martini fanum munimentis nudari jussit: at Ludovicus XIV. illud, ut et tria alia hujus Insulæ loca novis propugnaculis munivit, ut eam ab hostium, præsertim Hollandorum incursionibus tutam præstaret.

Hæc Insula sal et vinum abundanter profert; vinum illius tamen non ita exquisitum est, sed mediocre duntaxat. Nec frumentum, nec foenum habet, paucissimasque numerat arbores. Quantùm ad negotiationem commoda est, undè et populosissima, sexque continet Parochias. Annô 1712. inexplicabile ab aquis passa est detrimentum, quo omnia ejus domicilia subversa fuêre, ipsa verò ex parte in mari sepulta fuit.

3ò Uliarius Insula |: L'Isle d'Oleron:| Fretum Antiochenum |: le Pertuis d'Antioche:| illam à Reâ Insulâ sejungit, et fretum Marmussonium |: Maumusson:| à Santoniâ. Antiquis sub nomine Ularii jam nota fuit; à Sidoniô Apollinari Sæculi V. Scriptore Olario nuncupatur. Ejus longitudo est circiter quinque, latitudo autem duorum milliarium. Illius Incolæ jam à 700. annis expertissimorum Navigatorum nomen meruerunt, ut qui Rei maritimæ et navalis leges tulerint, quæ hodiedum adhuc Uliariis leges |: les loix d'Oleron:| vocantur.

Rupellenses sæculô XVI. hanc Insulam occupaverunt, et quia Incolæ propter Calvinismum, quem plerique amplexi fuerant, ipsis omninò addicti erant, eam conservavêre, donec Ludovicus XIII. illam sibi subegit, necnon eo locô, ubi vetus Castellum erat, munimentum extrui curavit.

Olim à Santoniâ pendebat, pòst ab eâ avulsa Alniæ addita fuit. In eâ numerantur 12000. Incolæ. Solum ipsius fertilissimum est, frumentô, sale, vinô, pro dives. Ñ munitissimô Castellô in illius Orientali plagâ collocatô, et cui 600. milites sunt præsidio, protegitur. In eâ continentur sex Parochiæ, Recollectorum Monasterium, et alia Beneficia. Oppidi ambitus unà cum Castellô sumsit initium, videturque successu temporis in venustam Urbem excreturum: in eo sunt duo Xenodochia unum pro militibus, alterum pro Operariis, et Remigibus seu Nautiis.

42. 1999.

Caput III.

De Provinciâ Lugdunensi.

Provincia Lugdunensis |: le Lionnois :| inter amplissimas Franciæ provincias recensetur; ejusque latitudo ab Occidente ad Orientem est 80. Latitudo autem à Meridie ad Septentrionem 30. Milliarium Germanicorum. Ejus limites sunt versùs Septentrionem Ducatus Bituricensis, Nivernensis, et Burgundiæ; ad Orientem Brefria, et Delphinatus; ad Meridiem Tractus Cemmenicus seu Cebennicus |: les Sevennes :| et Lutevensis Regio |: Rovergue :| et versùs Occidentem Carduorum Regio |: Quercy :| Lemovicensis provincia |: Limosin :| et Pictavia |: Poitou :|

Hujus provinciæ populi antiquitùs Segusiani diti sunt. Illorum meminit Cæsar in suis Commentariis, asseritque eos Æduis, idest, Augustodunensibus subjectos, atque primos fuisse cis Rhodanum, proximósque Romanis provinciis. Sub Imperatore Augustô ab Æduorum subjectione liberati sunt; undè Plinius Segusianos liberos eos vocat. In antiquis Annalibus Regni Philippi, et est in partitione Regni Franciæ sub Carolô Magnô, Ludoviô Piô, et Lothariô, nec non alibi sæpiùs hæc Provincia Pagus Lugdunensis in Regnô Burgundiæ nuncupatur.

Frumenti, vini, fructuum, et præsertim optimorum magnarúmque Castaneorum fera est. Admistetur argenti fodina, quæ tamen nemo sentitur aut pervestigat; item carbonum terræ[q] et uva lupri, quæ amba alimoniæ sunt utilitatis.

[q] seu bituminosorum

Eam perfluunt Rhodanus |: le Rhone :| Araris |: la Saone :| et Ligeris |: la Loire :| atque ad commercium reddunt idoneam. Ibius negotiatio consistit præsertim in Lugdunensibus textis bombycinibus, Castaneis, Cayyrô, minutis mercibus, tubis seu fistulis ferreis, et omnis generis ferramentis. Ser comprehendit minores provincias seu tractus, quas sequentibus §§. expendimus.

§. 1.

De Agro Lugdunensi.

Ager Lugdunensis seu territorium lugdunense proprium et speciale |: le Lyonnois particulier :| versùs Septentrionem Agro Bellejoviensi |: Beaujolois :| adjacet. Longitudo ejus est 12. latitudo 4. milliaria haud excedit. In eo notatur duntaxat Civitas

Lugdunum |: Lion seu Lyon :| non modò Specialis hujus Agri sed et totius magnæ Provinciæ Caput, à quô hæc nomen habet. Prima post Lutetiam totius Franciæ Civitas, et quæ post ipsam supra omnes alias præeminentiam sibi vindicat: Velut totius Europæ centrum ce-

cupare dicitur. Sita est partim suprà montem, olim montem Veneris dictum |: forviere :| partim adejus pedem in valle, eolocô, ubi Rhodanus et Araris confluunt, ad confinia Bressiæ et Delphinatûs, sub 25. gr. 13. min. long. et 45. gr. 18. min. latit. propugnaculis instructa, et è cujus regione propè Ararim collocatum est Castrum munitum Petra Scissa |: Pierre Enise :| dictum. Inter pulcherrimas et spectatissimas totius Europæ facilè reputatur tùm ob situm suum, tum amplitudinem, tùm ædium, Palatiorum, et Ecclesiarum magnificentiam et venustatem, tùm denique divitias.

Sæculô VIII. ab Urbe conditâ an. 40. vel 41. ante Æram Christianam circiter à Luciô Munatiô Plancô, qui unà cum Æmiliô Lepidô Consul fuit, ædificata, necnon Romanis civibus tradita fuit, atque Lugdunum dicta à veteri Gallicô nomine Lugdun, quod Montem cervi significat, quia huic monti affixa fuit: posteà ad distinctionem aliarum tùm Galliæ tùm exterarum regionum ejusdem nominis Civitatum primò Lugdunum Celtarum, quòd hanc oram Celtæ priùs incoluissent; deindè Lugdunum Segusianorum, quòd postmodùm hujus populi Metropolis fuerit; denique Lugdunum Gallorum, quia in Galliâ sita est, nuncupata fuit. In veteribus Inscriptionibus sæpè Colonia Claudia Copia vocatur, idque partim quia Claudius Imperator in ea natus fuit, partim quòd Romani Urbem hanc propter illius anonæ et commeatûs abundantiam seu copiam velut totius Galliæ granarium habuerint. Centum circiter ab ejus conditu annis videlicet an. 59. æræ Christianæ sub Nerone Imperatore igne è coelô delapsô unâ nocte penitùs consumta fuit; undè Seneca* ep. 91. de hoc incendiô disserens: Inter magnam, inquit, Urbem et nullam nox una interfuit. At missâ dein à Nerone ingenti pecuniarum summâ, brevi post restaurata fuit.

Anno Chr. 198. Severus Imperator direptam et expilatam incendit Cives ulturus, quòd Albinum hostem suum suscepissent. Idem Imperator an. 202. Christianos hîc dirè et crudeliter persecutus est, adeò, ut eorum sanguine fluvii fluerent, vicique publici illorum cadaveribus implerentur. Hîc Magnentius Tyrannus, acceptô adventûs Constantii Imperatoris nuntiô, sibi ipsi violentas injecit manus an. 353. 10. vel 11. Augusti. Gratianus quoque Imperator an. 383. ab Andragatô trucidatus est. Majorianus Leonis I. Orientis Imperatoris supremus Belli Dux, posteà, videlicet an. 457. Oc-

* Lucius Annæus Seneca Philosophus Stoicus patre Marco Annæo Seneca viro nobili et Oratore præstantissimo Cordubæ in Hispaniâ natus Neronis Imperatoris præceptor; ex cujus institutione initio multùm proficere visus est adeò, ut primis quinque Imperii sui annis verum virtuosi Principis exemplar esset, at post in turpissima quæque vitia proruens Senecam ultrò auscultare detrectavit, cujus virtus cùm flagitiorum suorum perpetua correptio esset, eum è medio tollere

tentavit, constitutô Cleonicô libertô, qui ei venenum porrigeret, quod cùm ad vota non succederet, tandem arreptâ Pisonis conspirationis, cujus notitiam habuisse Seneca dictus est, occasione, ad mortem damnatus ab ipso fuit datâ tamen optione sibi, quod vellet, mortis genus eligendi. Seneca igitur venam aperiri sibi jussit, sicque sanguine profusô interiit an. Chr. 65. Neronis 12. Quidam ajunt Christianum eum fuisse, necnon cum S. Paulô Apostolô Litterarum habuisse commercium, at id fabulosum esse jam diu demonstratum est. Ejus opera edidit Lipsius additô praestanti Commenturiô.

cidentis Imperator, hortante Sidoniô Apollinari hanc Urbem restauravit, nihilque eorum omisit, quae ad ejus ornamentum quoquo modô conferre poterant. At non multô post à Germanis et Gothis, atque Saeculô VIII. à Saracenis incessita fuit.

Romani Lugdunum tenuerunt usque ad tempora Honorii Imperatoris, qui ab an. 393. usque ad an. 423. quo apoplexiâ tactus obiit, occidentis Imperii rebus praefuit: tùm enim Stilico, postquam Gothos Burgundorum auxiliô devicisset, eisdem Civitatem hanc tradidit, quam ipsi in Regni sui Metropolim evexerunt. An. 532. sub Regno Clotarii Franci, Burgundicô Regnô excisô, eam occupârunt, atque circà an. 955. illam Conradô I. Burgundiae Transjuranae Regi cesserunt: posteà facta est Comitum Florensium |: Les Comtes de Forez :| usque ad annum 1173. quo illi eam Lugdunensi Archiepiscopo Guichardo donârunt. Tandem ad Reges Franciae, qui in eâ altum dominium jàm dudùm possederant, tota pervenit, praesertim postquam circà an. 1563. sub Carolô IX. jurisdictio illa, quam Cassam vocant, quaque ad illius Antistitem pertinebat, velut sub hastâ venum exposita est, necnon ad Regem ipsum tanquam plus offerentem devoluta.

Anno 1562. ab Hugonotis occupata fuit, at pace conclusâ ipsam restituerunt. Postmodùm sub Henricô III. adversùs ipsum Sacro foederi seu Ligae adhaesit, annô autem 1594. quorumdam ergà Henricum IV. benè affectorum operâ ipsius facta est.

Lugduni visuntur reliquiae magnificorum quorumdam Operum, quibus Romani hanc Urbem decoraverant, ut Theatri, ad quod populus spectacula visurus conveniebat, et aquae ductuum duorum, quorum disturbati quidam arcus sunt residui. In ea numerantur ad minimum 90000. animae. Adest etiam Curia monetalis.

Lugdunenses commercium exercent cum Hispanis, Italis, Germanis, Hollandis, Anglis, &c.

Ipsius Metropolita Primatum super quatuor Galliae provincias sibi vindicat; ejusque Ecclesia inter celeberrimas totius Orbis Catholici numeratur. Inter primos, aut fortè primus hîc Episcopus fuit S. Potinus seu Photinus, qui sub Marcô Aureliô martyrii coronam adeptus est, successorémque habuit Magnum

Irenaeum, qui S. Polycarpum S. Joannis Evangelistae Discipulum viderat.

Praeter Ecclesiam Cathedralem quamplurimae aliae sunt Lugduni Ecclesiae, et utriusque sexûs Monasteria. Jesuitae quoque duo ibidem possident Collegia. Adest etiam Academia politiorum litterarum, quae an. 1700. sumsit initium.

Varia quoque Lugduni commemorantur celebrata Concilia: ut an. 581. et 829. Memorabiliora sunt ea, quae ibidem sub Innocentio IV. Summô Pontifice an. 1244. 1245. vel 1246. adversùs Fridericum II. Imperatorem celebrata fuerunt, quibus ipse Pontifex praesedit, nemon interfuêre Balduinus II. Orientis Imperator unà cum 140. Praesulibus. Et an. 1274. sub Gregorio X. cui praeter Michaëlem Palaeologum Orientis Imperatorem*, Jacobum Arragoniae Regem, et permultos Imperatorios et Regios Legatos, interfuêre 15. Cardinales. 70. Archiepiscopi. 500. Episcopi, et usque 1000. alii Viri Ecclesiastici; in quo inita fuit unio Ecclesiae Graecanae cum Latinâ, quae tamen haud stetit: et praeter alia quaedam capita circa Summorum Pontificum electiones, et Disciplinam Ecclesiasticam, etiam de expeditione in terram Sanctam actum est.

Lugduni Saeculô XII. ortum habuit Waldensium secta, à Waldo Lugdunensi Mercatore ejusdem auctore sic dicta.

* Hunc Imperatorem haud per se ipsum, sed per Nuntios duntaxat huic Concilio interfuisse scribit Cabassutius Not. Eccl. Saecul. XIII. hic. idque probat ex ipsi Concilii actis contrà Trithemium et alios qui scribunt Imperatorem hunc adfuisse p. 43.

§. II.

De Alverniâ seu Arverniâ.

Alvernia seu Arvernia (: Auvergne :) limites habet ad meridiem provinciam Burbonensem (: Le Bourbonois :) ad Orientem Tractum Florensem (: le Forez :) ad Occidentem Agrum Lemovicensem Superiorem (: Le Haut Limousin :) Carducorum Regionem (: le Querci :) et Marchiam (: la Marche :) ad Septentrionem denique Ruteniensem provinciam (: le Rovergue :) et Tractum Cebennicum (: Les Sevennes :) à Meridie in Septentrionem ad 40. milliaria, et ab Occidente in Orientem ad 30. porrigitur. Dividitur in Superiorem et Inferiorem, haec alio nomine Limania (: Limagne :) nuncupatur.

Montes, qui Alverniam Superiorem occupant, obsunt, ne ipsa aequè fertilis sit ac Inferior seu Limania; attamen Montes hi abundanter pabulum praebent armentis, quae in magnâ copiâ ibidem educantur et aluntur Provinciae ipsius divitiae. Proindè hujus provinciae Clima non ubique est aequale: In Limaniâ seu Alverniâ inferiori callidius est et amoenius quàm in Superiori, ubi propter montes, quos

per Septem aut octo integros anni menses nix continuò tegit, frigidissimum est.

Præcipui, qui eam perfluunt amnes, sunt Elaverus seu Elever |: Allier :| Duranius seu Dordonna |: Dordogne vel Dordogne :| et Alagonius |: Alagon :| Maximi illius montes sunt Mons dominans |: Puy Dome :| Mons aureus |: Mont d'or :| et Cantal.

Hujus Provinciæ populi inter veteres Galliæ incolas celeberrimi fuêre ac spectatissimi, séque, non seùs ac Romanos, à Trojanis originem trahere gloriabantur. Strabo eorum Regni seu Imperii meminit, quod à Ligeri ex unâ parte Narbonam et Massiliam usque, ex alterâ verò ad Oceanum, Montes Pyrenæos, ac Rhenum usque porrigebatur. Historia Romana plerorumque eorum Regum nomina ad Nos transmisit. Florus*, Cæsar, et Titus Livius** Ambigatum, Luerium, Bituitum, et Vercingentoricem celebrant. Bituitus à Fabiô Maximô devictus est prælio, in quo suorum 120000. desiderata fuerunt. Vercingentorix à Cæsare captus an. ab Urbe Conditâ 702. Romam deductus est: tùmque Alvernia Romanorum provinciis adjecta est. Eam deinde Gothi sub Imperatore Juliô Nepote subegerunt, servârunt-que donec an. 507. propè Vogladium |: Vouglé seu Vouillé :| in Pictaviâ Clodovæus Francorum Rex prælio victos eâ dejecit; tùmque Francorum facta est.

Hujus Provinciæ commercium consistit non modò in frumentô, vinô, cannabe, abietibus, et aliis rebus, quas solum ejus profert, sed et in armentis, caseô, glutine taurinô, papyrô, cerâ, linteô, filô, ꝛc. Adsunt etiam opificia tenuis cilicini |: Etamine :| cilicii lanei panni |: Camelot de laine :| ac vilioris panni |: Cadis seu Bouraillès :| item Patagii seu Texti è filô denticulati, variisque figuris descripti |: Dentelles :| cultrorum, forficum, et novacularum. Solent etiam Alverni 5. vel 6000. numerô in Hispaniam proficisci, ubi operas suas Hispanis commodant, atque inde 70. vel 80. librarum millia secum reportant domum*. Occurrunt hîc sequentes urbes

1º Claramontium, seu Arverna Civitas |: Clermont seu Clairmont :| posita est in Arverniâ inferiori, totius provinciæ caput, milliari circiter à monte, cui Gergovius nomen |: Gergoje :| super quem olim Gergovia Arvernorum Civitas præcipuumque munimentum erat, quæ scilicet, ut ait Cæsar in suis Commentariis, in altissimô monte posita aditus omnes difficiles habebat. Ab Augustô Imperatore ~~[illegible]~~ nomine suô Augustonemetum seu Augustonemosum dicta fuit, quo postmodùm depo-

* Lucius Annæus Florus Historiographus Latinus sub Trajano Imperatore celebris. Scripsit quatuor libris Epitomen rerum Romanarum, ab an. 750. ante Christi adventum usque ad 27.um post ejus adventum.

** Titus Livius vid. c. 1. n. 140

* aliqui loco 70. vel 80. ponunt 700. vel 800. millia librarum; quod nobis verum haud videtur.

positô, populi sui nomen assumsit, atque Urbs seu Civitas Arvernorum vel etiam Arverna nuncupata est, quod nomen ætate Pipini Francorum Regis etiamnum adhuc retinebat. Denique Claramontium dici coepit, vel à præaltô, quod ei insidebat, Castrô, vel quòd Sequiorem sexum totâ Franciâ formosissimum haberet, vel ob speciosas suas ædes, quæ tùm in illâ erant.

Urbs hæc dives est et populosa, at vici ejus angusti sunt ædésque obscuræ. In eâ quoque est celebris chartæ seu papyri officina.

Habet Sedem Episcopalem, quæ inter totius Galliæ antiquissimas computatur. S. Austremonius hîc primus fuisse Episcopus perhibetur. S. Vir iste à S. Fabianô Papâ an. 253. hûc missus prædicatione et miraculis Arvernorum gentem ad fidem convertit. Ab eo usque ad hanc, quam vivimus, ætatem 92. hujus Civitatis Episcopi numerantur, quorum 26. Sanctorum Albo adscribi meruerunt. Illius Episcopus primus est inter Suffraganeos Archiepiscopi Bituricensis.

Ecclesiâ Cathedralis ampla est, et magnitudine Parisiensi vix cedit. Præter eam tres adhuc numerantur Collegiatæ Ecclesiæ, quæ simul Parochiales sunt; quamplura Monasteria, et Jesuitarum Collegium, quod novum est ac magnificum ædificium.

An. 1095. hîc habitum fuit celebre illud Concilium, cui Urbanus Papa II. præsedit, et in quo bellum sacrum seu expeditio in Terram Sanctam conclusa fuit. Annô etiam 1130. Innocentius Papa II. hîc adversùs Antipapam Anacletum celebravit Concilium; eodémque Sæculô Alexander III. contrà Pseudopapam Victorem IV.

In hac Urbe natus est Blasius ~~Corrhalis~~ Pascalis celebrium litterarum Provincialium contrà sæculi præteriti laxiores Casuistas Auctor; quæ multis, atque etiamnùm iis, quibus ridendi minimè cupido fuit, risum excussêre, quòd adeò lepidè sint exarata.

2°. Floriopolis, Floropolis, seu Fanum S. Flori |: Saint Flour:| Urbs Superioris Alverniæ cujus caput est, suprà rigidum saxum posita, cujus pedem Laderus |: Lader:| amnis exiguus alluit. 20. milliaribus à Claramontiô versùs meridiem. Originem suam S. Floro, cujus nomen gerit, acceptam refert. Hic primus Lutevæ |: Lodeve:| in Occitaniâ |: Languedoc:| Episcopus in Alverniam Evangelium prædicaturus veniens in locô, qui Indiacum seu Indiciacum

vocabatur, circà an. Chr. 389. vitâ functus, atque ibidem sepultus fuit, super cujus tumulum exiguum quoddam Oratorium erectum est; at postmodum frequenti peregrinantium accursu spectabile factum est oppidum. Sæculô XII. S. Odilô Abbas Cluniacensis ibidem Ecclesiam et Monasterium ædificavit, in quô sui Ordinis Monachos collocavit, utque Incolarum securitati consuleret, oppidum muris cingi curavit, sicque Civitatem fecit.

A Papâ Joanne XXII. qui sæculo XIV. ab an. 1316. usque ad an. 1334. res Ecclesiæ moderatus est, in hac Urbe Sedes Episcopalis erecta est, atque Metropoli Bituricensi subjecta. Tredecim primi illius Episcopi Monachi Benedictini fuerunt.

Urbs ipsa sive in politicis sive in Ecclesiasticis Episcopo subjicitur, ac proinde in eâ utriusque fori jurisdictionem exercet. In Nundinis, quæ hîc celebrantur, multi venduntur muli, qui in Occitaniam, Hispaniam, aliásque regiones abducuntur. Magna etiam exercetur frumenti negotiatio. Pretiosi etiam tapetes, optimi panni, et cultri conficiuntur.

§. III.

44. [illegible]

De Tractu Borbonensi.

Tractus seu provincia Borbonensis (: Le Bourbonnois:) fermè medium Franciæ occupat. Confinis est versùs Septentrionem Tractibus Nivernensi et Bituricensi; versùs Occidentem Marchiæ Superiori; versùs Meridiem Alverniæ; et versùs Orientem Burgundiæ et Tractui Forensi. Haud vetus Galliæ provincia, sed nova admodum atque ex variis à Bituricensi, Augustodunensi, et Alverniensi Tractibus avulsis frustis composita. Nomen suum habet à Burbone (: Bourbon:) Urbe jam Pipini ætate notâ tunc que Bituricensi provinciæ adscriptâ; quam ipse Gaifrido (: Gaifre:) Aquitaniæ Duci eripuit.

An. 1329. Philippus Valesius Franciæ Rex eam ad Ducatûs Pariatûsque dignitatem evexit. Inter illius Duces celebratur Carolus III. Regii Sanguinis Princeps et Regiorum exercituum Supremus Magister: hic regnante in Galliâ Franciscô I. sub acceptarum injuriarum prætextu relictâ Franciâ ad Carolum V. Romanorum Imperatorem defecit; atque an. 1527, in Urbis Romæ à Germanô exercitu, cui ille præerat, occupatione glande trajectus periit. An. 1659. in pace Pyrenæâ Ducatus iste Ludovico II. Principi Condæo, qui priùs etiam ad Hispanos transfugerat, traditus est in indemnitatem Principatûs Albretani, quo antequam Regnum deseruisset, exutus fuerat. Henricus IV. Primus fuit, qui

*

ex Stirpe Burbonicâ Franciæ Thronum conscendit, postquam scilicet Valesiorum prosapiâ in Henricô III. antecessore suô desiisset.

Provincia hæc temperato fruitur aëre; plana est et admodùm fertilis, præsertim in frumentô, vinô, cannabe, fructibus, et pascuis. Habet etiam fodinas quasdam carbonum bituminosorum, unamque plumbi. Plures quoque in eâ inveniuntur aquæ minerales: variaque ibidem exercentur opificia. Inter flumina, quæ illam perfluunt præcipui sunt Ligeris |: La Loire :| Elaverus seu Elever |: L'Allier :| et Carus |: Le Cher :| Hic sequentes duntaxat notantur urbes:

1.º Molinum seu Molinæ, Molina, et Moulinæ, Moulina, ac Moulinum |: Moulins :| Provinciæ caput ad lævam Elaveri ripam in jucunda et fertili planitie posita 12. milliaribus à Nivernô, 20. à Claramontiô Alverniæ, et 64. à Lutetiâ. Vetus haud est, et Regii Sanguinis duntaxat Principibus ipsius Burbonensis provinciæ possessoribus suam debet originem, qui primùm Arcem hic extruxerunt, cui loci amoenitas et commoditas Civitatem adjecit, quæ Molinæ seu Molinum dicta est ob frequentes, quæ ibidem extabant, molinas. Ante ætatem Roberti Sancti Ludovici Franciæ Regis filii, qui in eâ Xenodochium construi fecit, exigua illius fuit memoria.

In quatuor partes dividi potest, quæ sunt Civitas vetus, Civitas nova, Suburbium Carmelitarum, et Suburbium Elaveri. Venusta est sed aperta murisque nudata. Quamplurima numerat utriusque sexûs Monasteria. Annô 1696. in eâ 1139 animæ fuisse perhibentur. Cives variarum rerum exercent negotiationem, ut vini, frumenti, cannabis, armentorum, Ivum, ligni, ferramentorum &c.

2.º Burbo Erchenbaldi et Archembaldi, seu Arcimbaldi Burbonium |: Bourbon l'Archambaud :| exigua Civitas, quæ tamen provinciæ ipsi ejusque Ducibus nomen tribuit; undè olim provinciæ caput erat, quem titulum Molino cedere debuit. Nomen trahit gallicum à lutô à gallis bourbe dictô, quod ipsius aquis inest. Quinque milliaribus à Molinô distat. Olim et sæculô VIII. circà an. 761. spectabilem præcipuè munimenta, quibus instructa erat, reddebant, eámque Pipinus adversus Gaifredum |: Gaifre :| Aquitaniæ Ducem belligerans occupavit; modò autem muris nudata conspicitur. Locô inamoenô posita est inter quatuor colles, quorum unum occupat vetus quoddam Castellum olim sedes provinciæ Domi-

norum, quorum novem Erchenbaldi seu Arcimbaldi dicti sunt.

Huic Castello nihil amplius integrum præter tres angustas Ecclesias seu Capellas. Prima et præcipua B. V. Mariæ dedicata est procul dubiô à quodam ex Arcimbaldis fundata: cùm autem nimis angusta esset, ejus loco Petrus II. Burbonis Dux an. 1508. novam excitavit magnificentiâ et venustate nulli in totâ Galliâ Capellæ secundam.

Ipsa Civitas satis comta est, atque 306. circiter continet focos et 1200. animas. Præter Ecclesiam parochialem adest Capucinorum conventus. Gaudet titulô Ducatûs Paris, necnon vetus celebrisque Burbonica Franciæ prosapia, è quâ hodierna domus Regia originem trahit, ab eâ nomen accepit. Burbonis Dux est modò Ludovicus Josephus Princeps Condæus natus 9. Augusti an. 1736. ex Carolinâ Principe Hasso-Rhenofeldensi |: Von Hessen-Rheinfelß :| Ludovici Henrici patris ejus conjuge.

Cæterùm Burbo Thermis gloriatur longè latéque celeberrimis.

§. IV.

45. [illegible]

De Agrô Bellojoviensi.

Bellojoviensis, seu Bellijocensis, aut Bellojocensis Ager |: Le Beaujolois :| confinis est ad Septentrionem Lugdunensi Tractui; ad Meridiem Matisconensi Agro; ad Occidentem per Ligerim à Forensi provinciâ, et ad Orientem per Ararim |: Saone :| à Principatu Dombarum |: la Principauté de Dombes :| separatur. Nomen habet ab Urbe Bellojoviô seu Bellioco |: Beaujeu :| Longitudo ejus est decem, latitudo octo milliarium. Fertilissimus etiam est. In eo notantur sequentes Urbes.

1º Villafranca, seu Francopolis |: Villefranche :| Provinciæ Caput quinque milliaribus à Lugdunô, et sex à Matisconâ ad Morgonem |: Morgon :| fluvium, qui milliari ab eâ Arari influit, posita. Plateam habet speciosam tantæque latitudinis, ut in ambitu suô, qui ab uno Civitatis extremô ad aliud protenditur, nonnisi unicum forum amplissimum esse videatur. Initiô Sæculi XII. ab Humbertô IV. Bellojovii Dominô fundata perhibetur. Inter privilegia, quæ, ut eo facilius in eam traduceret incolas, eidem concessit, celebratur illud, quô Maritis jus tribuebatur uxores suas ad sanguinis effusionem usque impunè cædendi, dummodò verbera mors ipsarum haud sequeretur. Eo tempore, quô Bressia |: Bresse :| adhuc ad Gaubaudiæ Duces pertinebat, Francopolis limitaneum erat munimentum; modò etiamnùm fortibus muris latisque fossis instructa est.

2.º Bellojovium seu Belliorum |: Beaujeu:| olim et antequam Francopolis extiterit, provinciæ Caput, à quâ etiamnum ipsa nomen habet; modò autem angusta est urbs oppido quàm Civitati similior; tribus milliaribus ab Arari versùs Occidentem, et quinque à Matisconâ |: Macon:| ad Meridiem versùs Lugdunum, et totidem à Ligeri versùs Orientem ad ripam Arderi |: Ardiere:| fluminis sita in pede montis ~~[illegible]~~, quem Castrum benè munitum occupat, jam initiô Sæculi XII. à S. Petrô Cluniacensi tùm ob ejus magnificentiam, tùm munimenta, tùm denique ob possidentium potentiam celebratum. In eo est Ecclesia Collegiata, quam unus Decanus et decem Canonici administrant, qui et ibidem sua habent domicilia, an. 1076. à Berardô seu Beraldô |: Berard seu Beraud:| Bellojovii Dominô, et ejus Conjuge Vandolmodâ |: Vandolmode:| fundata et marmore albô ornata.

§. V. 46.

De Forensi provinciâ.

Angusta satis est hæc Forensis provincia |: Le Forez:| posita inter Lugdunensem, Bellojoviensem, Burbonensem Agros, Alverniam, et Velañiam |: Velay:| provincias. Ad Occidentem eam montes ab Alverniâ, ad Orientem alii montes ab Agrô Lugdunensi separant. Ad Meridiem Velanniæ confinis est, et ad Septentrionem Tractui Burbonensi. Est pars Dominii veterum Segusianorum, nomenque suum traxit ab urbe, quæ apud veteres Forum Segusianorum audiebat, modò apud Francigenas Feurs locô Fors dicitur. Vox ista Forum significat locum, ad quem provinciæ populi in propriis negotiis sive circà justitiam sive commercium convenire solebant, undè remota admodùm Fori Segusianorum antiquitas colligitur, de quo Ptolomæus lib. 2. c. 8. meminit, atque etiam in Tabulis Peutingerianis notatum invenitur.

Hæc provincia fertilis est et jucunda vallis, pluribus rivis intersecta, quámque Ligeris à Meridie ad Septentrionem perfluit, ejusque rivos omnes recipit. Dividi solet in Superiorem et Inferiorem. In eâ occurrunt sequentes Urbes.

1.º Furanum, seu Fanum S. Stephani |: S. Estienne de Furens:| Caput Superioris provinciæ seu Tractûs. Initiô Oppidum duntaxat fuit, et primùm sub Carolô VII. qui post initium Sæculi XV. rebus Galliæ præfuit, incolæ obtentâ ab eo facultate illam muris cinxerunt; temporis successu autem Opificia et Commercium tot civibus eam oppleverunt, ut hodie ad minimum 18000. animarum in eâ

numerentur. Guranus rivus, ad cujus ripam posita est, et à quo nomen habere fertur, indurando ferro et calybi aptissimus est, insulisque praebet occasionem arma et alia ferramenta optima et celebria conficiendi. In Hugonotorum bello multas calamitates exantlavit haec civitas, necnon abipsis binâ vice Scilicet an. 1563. et 1570. capta fuit.

§. VI.

~~De Marchiâ Gallicâ~~.

Marchia Gallica |: La Marche :| confinis est ad Septentrionem Agro Bituricensi; ad Orientem Alvernia; ad Occidentem Pictavia et provincia Engolismensis; ad Meridiem Agro Lemovicensi, ita quidem, ut unico duntaxat milliari à Lemovicâ |: Limoge :| distet.

Haec provincia olim Lemovicensi adjecta erat, à quâ sub finem Saeculi X. separata fuit, retentâ tamen ad ejus Diocesim subjectione. Marchia dicta est, quòd ad fines Pictavienis et Bituricensis provinciarum sita sit. Ejus longitudo est fere ter 22. latitudo 8. vel 10. milliarium, clima verò fermè aequaliter distat à lineâ aequinoctiali et polo Arctico ~~xxx~~. Dividitur communiter in Superiorem et

2°. Forum Segusianorum |: Feurs :| Urbs provinciae superioris, et à quâ tota ipsa provincia nuncupatur, sita ad ripam Ligeris, ubi hoc Lignonem |: Lignon :| fluvium in se recipit, inter Rodumnam |: Roanne :| versùs Septentrionem, et Forum S. Stephani versùs meridiem, à quibus sex milliaribus distat, et à Lugdunò octo versùs Occidentem. Urbs vetus et Romanis sub nomine Fori Segusianorum jam nota. Satis venusta est jucundoque loco collocata.

3°. Mons Brusonis, Mons Borso, et Mombrisonium |: Monbrison :| Inferioris provinciae Caput, ad Vezizam |: Vezize seu Vesise :| rivum posita. Antiquitùs nonisi Castellum erat, cui paulatim adjuncta fuerunt Domus, quae tandem ad tantum excrevêre numerum, ut Urbis nomen meruerint, quo an. 1428. sub Carolo VII. muris cincta fuit. Habet Splendidam Ecclesiam Collegiatam B. V. Mariae dedicatam.

4°. Rodumna |: Roanne seu Roane :| ad ripam Ligeris in inferiori provinciae parte collocata, cui et Segùs nomen suum indidit. Urbs antiqua à Ptolomaeo praecipuis Segusianorum civitatibus annumerata. Hìc Ligeris navigia sustinere incipit. In eâ Jesuitae pauperum habent Collegium.

§. VI.
De Marchiâ Gallicâ.

Marchia Gallica |: La Marche :| confinis est ad Septentrionem Agro Bituricensi; ad Orientem Alverniæ; ad Occidentem Pictaviæ et Engolismensi provinciæ; ad Meridiem Agro Lemovicensi ita quidem, ut unicô duntaxat milliari à Lemovicô |: Limoge :| distet.

Hæc provincia olim Lemovicensi adjecta erat, à quâ sub finem Sæculi X. separata fuit, retentâ tamen ad ejus Dioecesim subjectione. Marchia dicta est, quòd ad fines Pictaviensis et Bituricensis provinciarum sita sit. Ejus longitudo est circiter 22. latitudo 8. vel 10. milliarium, Clima verò in æquali fermè distantiâ est à lineâ æquinoctiali et polô arcticô. Dividitur communiter in Superiorem et Inferiorem. Habet vineta, parsque Superior frumenti feracissima est. Ipsius commercium consistit præcipuè in pecoribus, et pannis, quorum præstantia adsunt Opificia. Eam perfluunt Vigenna |: Vienne :| Carus |: Cher :| Crosa seu Crassia |: Creuse :| et Vartimpa |: Gartempe :|.

Incolæ mores à Lemovicensium vicinorum suorum moribus habent longè alienos: hi enim inhumani sunt et feroces, ac sine causâ et velut gratis se se mutuò trucidant, quô sufficienter indicatur eos ab Anglis, qui longô tempore apud ipsos dominati sunt, ortum ducere. At contrà Marchiæ Incolæ humani sunt et mansueti. In hac provinciâ notantur hîc sequentes Urbes;

1º Waractus, Caractum, seu Gueretum |: Gueret :| Urbs Superioris Marchiæ satis angusta, quamvis non modò hujus partis sed et totius provinciæ Caput esse velit, sita ad ripam Vatimpæ |: Gartempe :| decem milliaribus à Lemovicô, et tribus à Crosâ |: Creuse :| flumine. Verisimile est, eam suam origine Monasterio debere, quod circà an. Dñi 720. à Lauthariô Lemovici quondam Præfectô constructum fuit in gratiam S. Pardulphi |: S. Pardoux :| qui hûc venerat, necnon ibidem eo tempore Abbas erat, quo Carolus Martellus Saracenos internecione delevit. modò nonnisi Prioratus Ordinis S. Benedicti ibi extat. In hac Urbe unica est Parochia, cujus Ecclesia videtur fuisse Monasterii Templum. annô 1616. Patres Recollecti hîc sedem fixerunt. Barnabitæ etiam habent Collegium ex munificentiâ Antonii Varillæ |: Varillas :| Regii Historiographi celeberrimi, qui in hac Civitate primam aspexit lucem, atque Parisiis 9. Junii. an. 1696. annos natus 72. mortuus est.

2°. Grandis Mons, seu Grandi-Montium [: Grand-Mont :] seu Grammont :] exiguâ Civitas, sex milliaribus à Quenetâ Britanniæ posita supra montem frigidum et sterilem, qui nomen dedit celebri Abbatiæ, quæ caput est Ordinis Grandimontensis à S. Stephano de Thiern seu Tiers Nobili Arvernensi an. 1076. prope Muretum montem in Lemovicensi provinciâ fundatum, undè et ipse Stephanus de Muretâ cognominatus est. Eo vitâ functo Discipuli ~~ipsius~~ corpus ipsius huc ad grandem montem transtulerunt ibique Domicilium fixerunt, undè hujus montis nomen postea toti Ordini attributum fuit, ipseque Ordo Grandimontensis, Religiosi verò Monachi Grandimontenses nuncupati. Mons iste, ut jam dictum, tristis est, frigidus, et sterilis, nabulisque et ventis expositus, in quo quidem multi lapides, arbores verò nulla inveniuntur, imò nec quidquam eorum, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria; attamen subeo occurrunt quædam vineta, prata, horti, arbores fructifera, et alia quædam ad cultum apta loca.

Cœnium devectum est ad eremiticam et pœnitentem vitam agendam vel maximè idoneum; qui hîc sunt Monachi, in summâ vivunt austeritate.

Ordo iste usque ad an. 1318. nonnisi Priores habuit pro Superioribus; eo autem annô Wilhelmus Bellicensis [: Bellicense :] primus Abbas à Nicolaô Cardinali Ostiensi consecratus est. Abbatia ista immediatè Summo Pontifici subjecta est, et quia caput Ordinis est, in Concordatis an. 1516 Bononiæ Leonem Papam X. inter et Franciscum I. Franciæ Regem initis à Regiâ nominatione exempta fuit.

Primum et aliorum Nobilium Virorum munificentiâ varias hîc pertraxit familias, à quibus parva civitas facta est, atque montis ipsius seu Monasterii nomine vocata. In eâ an. 1527. Marcus Antonius Muretus Orator celebris, qui in latinâ linguâ miram Styli puritatem et elegantiam adeptus fuit, natus perhibetur; ac in provectâ satis ætate Romæ vitam posuit.

48. ~~105~~

Caput ~~Sextum~~ IV.
De Britannia Minori seu Armoricâ

Britannia Minor [: Bretagne :] tùm propter amplitudinem, tùm propter urbium vetustatem, tùm ingentem insularum multitudinem, tùm denique propter opulentiam suam, et quam situs mediante commerciô etiam aliarum regionum divitiarum participem effecit, una ex præcipuis totius Galliæ provinciis posita est ad partem Oceani seu Maris Atlantici Occidentalem, estque peninsula

undique mari circumdatâ, si eam partem excipias, quâ versùs Orientem Andegaviæ et Agro Cenomanensi, et ad Euronotum Nortmanniæ, necnon ad Euro-Aquilonem Mesem Pictaviæ confinis est. Ejus maxima longitudo ab Oriente ad Occidentem est circiter 60. milliarium: ejus latitudo autem, propter varias terræ linguas in mare excurrentes et littorum sinus admodùm est inæqualis; maxima est à Nannetô |: Nantes:| Sanmaclovium |: S. Malo:| usque, et 45. milliaria circiter efficit.

Anno Urbis conditæ 696. Julius Cæsar hanc provinciam subegit, eáque sub Romanorum potestate et imperiô mansit, donec Maximus Tyrannus sumtis in Angliâ an. 382. Imperatoris titulô et insignibus Conano cognomentô Meriodac Belliduci et Vicario suo permisit, ut illam in Regnum erigeret.

Ad distinctionem Magnæ Britanniæ, quæ Angliam et Scotiam comprehendit, Britannia Minor vocatur, quod nomen à Britannis accepit, qui circà medium Sæculi V. ab Anglo-Saxonibus patriâ suâ ejecti in Galliam transfretârunt, atque postquam in eâ aliquamdiu huc illúcque vagati fuissent, tandem in illâ plaga, quæ Armorica dicebatur, resederunt, eámque sibi subjecerunt. Antiquum ergò et proprium hujus provinciæ nomen Armorica, seu ut quidam è veteribus scripserunt, Aremorica est, Celticum nomen, quod idem significat ac propè mare; unde Britanni, apud quos Celtica seu vetus Gallica lingua in usu est, Mare ipsum Ar-Mor nuncupant. Gregorius Turonensis, qui sub finem Sæculi VI. scripsit, lib. 5. hist. Franc. primus Britanniæ nomen usurpat.

Britanni igitur hîc summô imperiô aliquantô tempore dominati sunt; at ubi Franci sub Childericô Clodovæi patre Britanniæ vicinas Romanorum urbes occupassent, tùm Britanni ab illis utpotè potentioribus et fortioribus leges accipere coacti fuerunt, ipsorúmque reges, depositô regiô, Comitum duntaxat titulô contenti esse debuerunt. Successu temporis excussô velut Francorum jugô speciales Principes habuerunt, qui sub Ducum titulô ipsis imperârunt usque ad obitum Francisci II. cujus filia Anna ipsius heres unica, cùm priùs Imperatori Maximiliano I. desponsata fuisset, eidem renuntiare adacta primùm Carolo VIII. dein eo demortuô Ludovico XII. Franciæ regibus nupsit, atque Britanniæ Ducatum Coronæ adjunxit.

Hæc provincia dividitur in Superiorem, quæ Orientalis est, et Inferiorem, quæ Occidentalis est; Superioris incolæ linguâ Francicâ utuntur, Inferioris verò Britannicâ,

quæ linguâ Matrix et primigenia atque una ex vetustissimis esse dignoscitur, ut quam, si doctissimis Antiquariis fides, Celtæ Galli, qui primi et antiquissimi hujus Regionis populi fuêre, necnon statim post diluvium ad eam appulisse dicuntur, locuti sint.

Hæc provincia gaudet temperatô aëre, qui tamen prope Mare densior est et humidior. Illius fertilitas consistit in frumentô, cannabe, lacte, et vinô sed modicô et tenui; item in pinguibus pascuis, undè amplas habet pecorum et equorum pecuarias. Variæ etiam adsunt ferri et plumbi fodinæ, ¶ plures etiam numerat portus Maris. Inter flumina, quæ illam perfluunt, Ligeris tantùm et Vilona seu Vicenomia, Vicenonia, Vidona, Vindona, aut Herius, (: La Vilaine :) navigia sustinent. Ipsa verò planitiebus et montibus intermixta in parte inferiori magis montosa est. Ipsius Sylvarum arbores sunt communiter Fagi, Quercus, Castaneæ, &c. Cæterùm incolæ illius egregii sunt Navigatores, et quamvis quodammodò plumbei et subinsulsi videantur, attamen nec dexteritas, nec intelligentia ipsos deficit, præsertim quantùm ad Commercium.

¶ necnon Salinæ;

Universim in novem Dioeceses distribuitur, quorum quinque superiorem illius partem, et quatuor inferiorem occupant. Ad eam quoque spectant aliquot insulæ ipsi vicinæ. Primò igitur hîc quinque superioris Britanniæ Dioeceses expendimus, post quatuor inferioris, ac denique insulas ipsas.

49. [illegible]

§. I.

De Episcopatu seu Dioecesi Redonensi.

Episcopatus iste inter antiquissimos Britanniæ Episcopatus recensetur. Ajunt S. Moderanum, qui Sæculo III. vixit, primum hîc fuisse Antistitem. Ipsius Successores Britanniæ Principes coronandi jus sibi deberi contenderunt, et re ipsâ juris hujus supersunt exempla.

Nomen habet à Rhedonibus populis, qui olim inter Armoricos celeberrimi fuerunt. Superioris provinciæ partem ita occupat, ut vix Maris sentiat viciniam.

Solum ipsius siliginis, Zeæ, avenæ, et frumenti Saraceni ferax est, quæ tamen plerùmque in ipsâ Dioecesi consumuntur. Hîc etiam aluntur quamplurimæ vaccæ, ex quarum lacte excellens butyrum premitur, quorum frequens negotiatio Parisios usque exercetur. Adsunt etiam Apificia lintei, ex quo vela conficiuntur; item fili ad nendum, quod variis tingitur coloribus; necnon manicarum, tibialium, &c. ex filô. Hîc solùm notatur Urbs

Rhedones seu Redones, Redonæ, vel etiam Civitas Rhedonum

|: Rennes :| totius Britanniæ seu Armoricæ Caput. Superioris illius partis medium fermè occupat paulò versùs Orientem. Eam Vilona |: Vilaine :| perfluit atque in duas partes distribuit; tribus pontibus instructa est, quorum præcipuus Pons novus vocatur, atque superiorem Civitatis partem inferiori conjungit. Suburbia habet se ipsâ ampliora. Plateæ ejus plerumque sunt immundæ, eò quòd angustæ sint, domus verò præaltæ, quæ proinde impediunt ne à Sole siccentur. An. 1720. magno incendiô, quo 850. ædes in fumum abiêre, devastata fuit.

Episcopus illius Archiepiscopo Turonensi subjicitur. Præter Ecclesiam Cathedralem S. Petro dicatam adhuc tres aliæ numerantur Collegiatæ Ecclesiæ, duo Ordinis S. Benedicti Monasteria, unum virorum, quod S. Melanii |: S. Melaine :| alterum Monialium, quod S. Georgii nuncupatur. Adest etiam magnificum Jesuitarum Collegium ab Henricô IV. fundatum; ejus Ecclesia methodo Italicâ constructa illac transeuntium meretur attentionem.

Addimus hic Satyram à Marbodô, qui Sæculô XI. hic fuit Episcopus contrà hanc Civitatem editam.

Urbs Redonis, spoliata bonis, viduata colonis,
Plena dolis, odiosa polis, sine lumine Solis*;
In tenebris vacat illec ebris, gaudetque latebris,
Desidiam putat egregiam spernitque Sophiam.
. . . . . .
Causidicos per falsidicos absolvit iniquos,
Veridicos et pacificos condemnat amicos.

* Sine lumine Solis eam dicit, quod ædes ejus in sublime porrectæ Solis radios arceant, ... ne vicos illius illustrent.

Dubitamus vehementer, an hac severâ Satyrâ sibi suorum Dioecesanorum observantiam et amorem aliquem conciliârit, etsi quidam suspicentur eum hos versus edidisse, antequam Redonum Infulam adeptus fuisset.

§. II. 50.

De Episcopatu Nannentensi.

Dioecesis seu Episcopatus Nannetensis |: Le Diocese de Nantes seu le Nantois :| etiam Comitatûs nomen habet; Ligeris eum in duas partes dividit. Pars ejus dextera seu Septentrionalis olim suos Comites habuit, et jam à multis Sæculis Britanniæ adjecta est: pars verò læva et Meridionalis antiquitùs ab Aquitaniâ pendebat.

In eo sunt duæ Salinæ; adsunt etiam pascua et Saginationes pecorum et armentorum, ex quibus provincia ipsa non vulgarem quæstum facit: profert etiam frumentum et vinum. In eo notatur Urbs

Nannetum, Nannetæ, Nannetodunum, Condivincum, item Civitas Nannetum, et Civitas Nannetica, Nam-

netes, et Namneta (: Nantes:) primaria Dioecesis civitas, ipsiúsque Caput, quæ et ei nomen tribuit, ad dexteram Ligeris, quæ ipsi portûs locô est, et in quam Ardurus (: Ardre:) influit, diei unius à Mari itinere sub 17. gr. 57. min. longit. et 47. gr. 3. min. latit. ad negotiationem commodè sita, undè et frequentissimum præstantissimúmque in exteras terras et regiones Americam usque commercium exercet; undè quotannis plures ad eam appellunt Gallicæ aliarúmque nationum naves, quæ varias secum merces asportant: verbo, præcipuum fermè totius Franciæ Emporium esse videtur.

Quidam Scriptores contendunt Urbem hanc jam 1253. annis ante Christum à quodam ex Noë posteris, cui nomen Nantes, conditam fuisse; alii dicunt, quòd Namnes Gallorum Rex eam circà annum mundi 2715. extrui curaverit: at hæc fabulosa esse omninò videntur; id porrò certum, eam scilicet vetustissimam esse, cujus Strabo, Cæsar, Plinius et Ptolomæus meminerunt.

Ampla satis est, et convallata, fossisque profundissimis ac quibusdam propugnaculis munita, unà cum Arce, à qua defenditur. Quatuor sunt ejus Suburbia, quæ illam amplitudine superant. Aliquot abhinc annis hîc Lintei xylini Opificium erectum fuit, quod semper magis proficit.

Anno 1598. in gratiam Calvinistarum seu Hugonotorum Edictum in hac Civitate promulgari fecit Henricus IV. quocis liberum et publicum Religionis exercitium certis in Regni locis et urbibus permittebatur; quod licèt Ludovicus XIII. annis 1610. et 1615. confirmârit, atque velut legem perpetuam haberi debere declarârit, Ludovicus XIV. quoque filius ejus et successor an. 1643. id ratum firmumque habuerit; nihilominùs Hugonoti subindè contrà Edicti istiûs tenorem in suô Religionis exercitiô turbati fuêre et vexati, donec an. 1685. mense octobri ab eodem Rege Ludovico XIV. omninò rescissum et antiquatum fuit, omnisque, præter Catholicæ, Religionis exercitium toto Regnô interdictum. Tùm Hugonotorum pars Catholicam Religionem amplexa est; pars occultè Calvinismo adhærere perrexit; pars verò, eáque plurima, ad exteras Protestantium Regiones præcipuè Germanicas se recepit.

Hujus Urbis Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Turonensis. Traditio est S. Clarum circà an. Chr. 277. primum hîc fuisse Antistitem à S. Gatianô Turonensi Episcopô hûc missum. Id saltem pro certô tenemus, Numechium hujus Civitatis Episcopum an. 468. cuidam Romano interfuisse Concilio.

Ecclesia Cathedralis S. Petro consecrata est, cujus fundamenta Constantini Magni statâ jacta memorantur; stetit ea usque ad Clotarium Clodovei filium; tùm enim amplior aedificari coepit ab Eumelio hujus urbis antistite, quam S. Felix ejus Successor an. 568. perfecit.

Praeter eam adhuc alia hîc numerantur Collegiata Ecclesia, plurésque Parochiales; octo Abbatiae, &c.

Adest etiam Universitas à Pio Papâ II. adinstantiam Francisci II. ultimi Britanniae Ducis an. 1460. fundata et erecta.

Varia etiam hîc habita Concilia memorantur, ut an. 658. sub Vitaliano Papâ. an. 1127. sub Honorio II. an. 1263. seu 1264. in quo inter alia Clericis interdicta fuit venatio.

§. III.

De Dioecesi Maclovienši.

Dioecesis seu Episcopatus Maclovienšis |: Le Diocese de S. Malo :| ad partem Superioris Britanniae Septentrionalem situs, frumenti, fructuum, et pecorum, è quorum negotiatione haud vulgare compendium trahitur, dives est. In eo notatur

S. Maclovii Gamum, Maclovium, Maclopolis, Aleta-Maclovia |: S. Malo :| Caput Dioecesis, cui et nomen tribuit, celebrisque Maris Portus. Sita est haec urbs in Insulâ seu Peninsulâ, quae angustâ terrae linguâ continenti jungitur, 4. milliaribus à Dolâ |: Dol :| sub 48. gr. 13. min. longit. et 48. gr. 34. min. latit.

Originem suam debet Monasterio Canonicorum regularium S. Augustini, quod S. Vincentii dicitur, in quod Joannes de Clathris |: Jean de la grille :| an. 1149. ab Aletâ seu Aletâ |: Aleth :| urbe Sedem Episcopalem transtulit, atque à patronô Aletensis Ecclesiae S. Maclovio urbi ipsa S. Maclovii Gamum seu Maclovium, vel etiam Aleta Maclovia deinceps appellata est, cùm prius Insula Aaronis diceretur. Aletum verò seu Aleta olim urbs erat, cujus ruderа quaedam supersunt adhuc, milliari à Maclovio seu Insulâ Aaronis dissitâ, neenon ad mare posita.

Episcopus Maclovienšis Suffraganeus est Archiepiscopi Turonensis, civitatique etiam in civilibus Dominatur. Olim Cathedralis Ecclesia, quae S. Vincentio dicata est, Capitulum constituebant Canonici Regulares S. Augustini è S. Victoris Parisiensi Monasterio huc acciti; at an. 1320. Canonici saeculares facti sunt.

Urbs haec suis haud caret propugnaculis, nobisque illius caput occupat arx munitissima, cui milites sunt praesidio, cum cives urbem custodiunt. Ipsius portus amplus est crebrò ac summâ frequentatus, quamvis propter circumjacentes rupes satis difficilis: id tamen haud officit, quin quotannis exterae nationes commercii gratiâ huc sua navigia

ingenti numerô mittant. Singulis annis ultrà centum Anglicæ naves ad eum appelluntur, quòd ab Angliæ portubus haud longè absit. Hollandorum negotiatio haud pari vivacitate hîc exercetur. At Hispanica negotiatio Macloviensibus commodissima simul et quæstuosissima est: ejus commercium præcipuè consistit in linteô, quod ab omnibus Regni Franciæ provinciis, in quibus confici solet, hûc transportatur; in pileis castoreis, pannô attalaticô Lugdunensi et Turonensi, textili argenteô et aureô; pannô laneô Rhemensi et Ambianô.

Maclovienses expertissimi sunt navigatores, ad bellum æquè ac commercium comparatissimi ut et ad longi itineris navigationem. Belli tempore strenuè et egregiè piraticam exercere nôrunt, hostibúsque magna semper inferunt damna; undè præteritis bellis hostium animos adeò in se concitârunt, ut in illorum perniciem conjurasse visi sint, atque semel et iterùm urbem ignariis ollis infestârint, ac penitùs destruere conati sint; præsertim autem an. 1695. quo Angli eam adorti inter alios quamplurimos ignivomos bolos miram quamdam machinam igneam in illam injecâre, cujus disruptione paucæ admodùm ædes indemnes relictæ sunt, eâque ratione tectis nudatæ, ut hæc extrà urbem velut avolasse viderentur.

Ajunt Scriptores quidam etiamnum Galli, in hac civitate certum quemdam Molossorum numerum (aliqui duodecim numerant:) ali et servari, qui ita condocefacti sunt, ut ad campanæ cujusdam pulsum non modò propugnacula quævis, omnésque vicos perquirant et obambulent, verùm etiam quemque obvium discerpent; undè post hujus campanæ pulsum nemo domo suâ egredi audet. An id fabula sit necne Nos ignoramus; id duntaxat certum est, quòd post datum campanæ cujusdam signum nemo æde suâ egredi audeat, nisi custodiæ mandari malit.

52. [illegible]

§. IV.

De Dioecesi Dolensi.

Dioecesis seu Episcopatus Dolensis (: L'Eveché ou le Diocese de Dol :) Situs est ad confiniâ Nortmanniæ, et ~~[illegible]~~ omnium Britanniæ Episcopatuum minimus, quippe qui ambitu suô quinque milliaria haud excedat. Cannabi, ex quô ut plurimum conficitur linteum, frumentô, fructibus, ex quibus piraticum exprimitur, dives est. Incolis commoda est Maclovii vicinia, ut quò ea, quæ solum ipsorum profert, deferant, vendantque. In eo sola numeratur Civitas

Dola, seu Dolum, vel etiam urbs Dolensis (: Dol :) locô paludosô duobus à Mari milliaribus collocata. Initiô nonnisi Castrum erat, cui Monasterium adjectum fuit,

141

paulatim. Ibi in ibidem multa ædes erecta fuerunt, quæ tandem Civitatem effecêre. Eidem Episcopus dominatur cum titulô Comitis. Exigua est, et propter paludes, quibus cingitur, insalubris, paucosque admodùm Cives numerat.

Episcopus ibius Archiepiscopo Turonensi subjectus est ab annô 1199. ex sententiâ Innocentii Papæ III. cùm anteà ipsius detrectasset imperium: cæterorum tamen hujus Metropolitani Suffraganeorum primus est ex privilegiô Bonifacii VIII. annô 1299. concessô; ei quoque cum cæteris Archiepiscopo præfertur ex privilegiô Alexandri VI. an. 1492. datô. Primus hujus Civitatis Episcopus censetur fuisse Samson, qui Saulô VI. floruit, atque an. 589. adhuc superfuit.

§. V.

xvii. 53.

De Diœcesi Briocensi.

Diœcesis seu Episcopatus Briocensis |: Le Diocese de S. Brieu seu Briene vel Brieux :| situm habet in parte Septentrionali Britanniæ Superioris ad Occidentem Dola in confiniis Britanniæ Inferioris. Frumentô, uberibúsque arboribus, à quarum fructibus hydromelum paratur, dives. In eo etiam tres ustrina numerantur. Commercium ipsius consistit in linteô et filô; lintea Mercatores Maclovienses Gades deferunt. Occurrit Urbs

Franum S. Brioci, seu Briocense Oppidum |: S. Brieu, seu S. Briene, vel S. Brieux :| Caput Diœcesis. Nomen habet à Monasteriô, quod in honorem S. Brioci loco eô fundatum est. Sanctus vir iste è Magnâ Britanniâ, undè oriundus ac Episcopus consecratus ibidem fuerat, solvens, et ad regionem hanc Saulô VII. appulsus, illius Apostolus dici meruit. In eo Monasteriô postmodùm nempè an. 844. Numenojus Britanniæ Princeps Sedem Episcopalem constituit.

Urbs ista initiô nominis pagus fuit Brignus |: Brigné :| dictus, qui dein in urbem crevit ac Monasterii nomen assumsit, Sedesque factus est Episcopi. Locô montibus circumdatô posita est, qui ei maris prospectum adimunt, quamvis ultrà mediam leucam ab ipso non distet, ubi et cæquum portum efformat.

Ecclesia ejus, fora, et plateæ præclara sunt et venusta. Cùm nec fossas nec muros haberet, Suburbiis suis juncta est. Illius Episcopus Suffraganeus est Archiepiscopi Turonensis.

Civitas hæc ortum dedit celeberrimo Jurisconsulto Francisco Duareno, qui Bituvigis publicè Jus docuit, ibique mortalitatem exuit annô 1559. ætatis suæ annô quinquagesimô.

54. [illegible]

§. VI.

De Diœcesi Trecorienti.

Diœcesis seu Episcopatus Trecoriensis |: Le Diocese de Treguier :| ad partem Septentrionalem Inferioris Britanniæ versùs Diœcesim Briocensem, quo ei est Orientalis, situm habet. Fermè peninsulam efficit, ambitúque suo totum Maris littus à Morleô |: Morlaix :| flumine ad Briocense Oppidum usque occupat.

Ejus commercium permixtum est, eóque pentile. Equorum negotiatio hic præcipua est. Frumentô etiam abundat, quo Brestia |: Breste :| apotheis et Mauloven-sium navigiis providetur. Cannabis quoque, linum, et papyrus, cujus magna copia in Angliam transvehitur, eidem magno sunt emolumento. Notatur hic Urbs Trecorium, seu Trecorentium Civitas |: Treguier :| in Insula, quæ olim Trecor nuncupabatur, à Numenojô Britanniæ Principe an. 836. ædificata, et ab ipsius Insulæ nomine Trecorium dicta. Enigmum habet portum. Idius Episcopus eidem sub titulô Comitis dominatur, estque Archiepiscopi Turonensis Suffraganeus.

Quo annô hic Sedes Episcopalis erecta fuerit, incertum est: volunt aliqui id Bullô X. factum fuisse, postquam Silicet S. Rabutualis |: S. Rabutual :| Monasterium, in quo Numenojus eam priùs fundaverat, à Barbaris devastatum fuisset.

55. [illegible]

§. VII.

De Diœcesi S. Pauli Leonini.

Diœcesis seu Episcopatus istè, quam Galli S. Paul ku S. Pol de Leon nuncupant, situm habet in extremâ parte Britanniæ partim versùs Septentrionem partim versùs Occidentem, paulò infrà Lavan Trecoriensis Diœcesis, totúmque Maris Littus à navali Brestia usque ad Morlaum flumen occupat.

Provincia hæc ku Diœcesis præcipuis Britannicæ Baronatibus annumeratur, cùm Domini Vice Comites appellantur et communiter Principes. Idius possessores jam à longô tempore sunt Duces seu Principes Rohanii |: Les Princes de Rohan :| qui propter à jure potiuntur in Britannia Comitiis alternatim cum Tremolii Duce Barone de Vitrô |: Le Duc de la Tremouille Baron de Vitré :| præsidendi. Acurrit hîc

1°. Legio. ku Leona, vel S. Pauli Leonini Gamm |: St. Paul de Leon :| Caput Diœcesis ad Britannicæ littus Septentrionale collocata, fundata sæculô VI. à S. Paulô Aurelianô, qui et primus illius fuit Episcopus, undè et ex illius et provinciæ nominibus Gamm S. Pauli Leonini dicta est, fuitque Sedes Episcopalis Ostimiorum inter Armoricos populos celeberrimorum; undè etiam Civitas Ostimiorum dicta [illegible] item Neodunum vocata fuit.

Licèt Principes Rohanii toti provinciæ dominentur, ab ipsorum tamen imperiô excepta est hæc civitas, quæ solius Episcopi sui jurisdictionem in Civilibus æquè ac in Ecclesiasticis agnoscit. Aliàs tenuis notæ urbem portus Maris Roscofius |: Roscof:| haud procul ab eâ distans, quique ei velut Suburbii loco esse videtur, aliquantò celebrem efficit. In eâ natus perhibetur Eginardus Baro celebris Jure Consultus, qui summâ cum laude Biturigis Jus docuit, ibique vitam posuit 22. Aug. an. 1554. annos natus 55. ab illo habemus Commentarium in Institutiones Justiniani, p.

2°. Brestia, Brestium, Brivates, et Bivetæ portus |: Brest:| Urbs cum pulcherrimô et tutissimô totius Franciæ portu, sita ad Britanniæ littus Occidentale quatuor milliaribus à S. Matthæo in finibus terræ |: S. Mahé, vel S. Maheu, et S. Matthieu fin de terre:| quod est promontorium Monasterium Benedictinum continens vetustissimum, ut quod jam an. 555. hoc loco stetisse dicitur. Undecim à Monte Relanatô seu Morlaeô urbe |: Morlaix:| et duodecim à Corisopitô seu Cornubiâ |: Quimper:| sub 16. gr. 51. min. long. et 47. gr. 41. min. latit.

Quidam arbitrantur, quòd Portus iste sit veterum Brivates portus; alii autumant, quòd Gesoribate seu Gesobrivate nuncupatus fuerit; at communis opinio est eum haud antiquum esse, atque primùm ab eo tempore notum, quô Britannia Franciæ denuò adjuncta fuit.

Urbs parva est, ejusque plateæ angustæ. Ei suprà rupem insidet Castrum versùs mare vel maximè præruptam, et versùs continentem largâ fossâ et quibusdam propugnaculis munitum; in eo numerosum est præsidium. Portus urbem inter et Suburbium, quod Recuperantia |: Recouvrance:| dicitur, atque suâ amplitudine dimidiam Urbis partem æquat, positus est. È regione Castri turris est, quæ ex hac parte portûs ingressum tuetur, portum ipsum verò binæ loriculæ protegunt, et apothecæ circumdant, in quibus omnia continentur, quæ ad instruendas naves bellicas requiruntur. In eo usque 500. navigia in anchoris commodè possunt consistere, aditus verò propter saxa sub aquis recondita difficilis, ac præterea angustus est, undè et guttur |: goulet:| nuncupatur. Cum hujus urbis incolæ rei nauticæ sint expertissimi pleræque naves hic construi solent. Hic etiam quamplurimi Scombri et Richiæ capiuntur, qui pisces saliti et aliquot doliorum millibus inclusi in Hispaniam, Portugalliam, Provinciam, et ad mare Mediterraneum transferuntur. Jesuitæ magnificas hic habent ædes*. Adest etiam Carmelitarum discalceatorum Conventus. Ecclesia quoque B. V. Mariæ de Recuperantiâ |: de Recouvrance:| speciosa est et à fidelibus multùm frequentata.

Ludovicus XIV. Armamentarium hic extrui curavit, cui Santolius Canonicus Regularis S. Victoris Parisiis |: Santeuil:| celebris sæculi præteriti Poëtæ hanc Inscriptionem affixit adulatoriam:

* nunc ab ea et totâ Francia pulsi.

Quæ pelago se se arx aperit metuenda Britanno,
Classibus armandis, omnique accommoda bello,
Prædonum terror, Francis tutela carinis,
Æternæ regni excubiæ, domus hospita Martis,
Magni opus est Lodoici. Hunc omnes omnibus undis
Agnoscant Venti Dominum, et maria alta tremiscant.

55. [illegible]

§. VIII.

De Dioecesi Cornubensi seu Corisopitensi.

Dioecesis hæc seu Episcopatus, quem Galli Le Diocese de Quimper nuncupant, ad Meridiem Episcopatûs S. Pauli Leonini, et juxtà littus Britannicum partim meridionale partim occidentale situm habet. In eo notatur Corentinopolis, seu Cornubia, et Corisopitum |: Quimper, et Quimper-Corentin:| Caput Dioecesis Sedésque Episcopi Turonensis Archiepiscopi Suffraganei, qui eidem etiam in Civilibus imperat et dominatur. Sita est hæc urbs ad confluentem Odræ |: Oder:| et Benaldeti |: Benaudet:| fluviorum in plagâ Britanniæ meridionali ad lævam Venetiarum |: Vannes:| cui Occidentalis est.

Nomen Quimper seu Kimper, quô Galli eam insigniunt, linguâ Britannicâ locum muris cinctum significat. Hujus nominis et urbis eo designatæ nullum ante tempora S. Corentini primi illius Episcopi, cujus et nomen ipsa assumsit, in antiquitate apparet vestigium. Quidam arbitrantur sanctum hunc virum à S. Martinô Turonensi Antistite et totius Britanniæ Metropolitanô, qui circà an. Dñi 397. in coelos abiit, hîc Episcopum consecratum fuisse. Alii verò dicunt eum sub regnô Dagoberti circà an. 630. primùm floruisse.

Urbs hæc magna est optiméque ædificata, necnon haud vulgari negotiatione celebris. Odra ibidem Benaldetum in se recipit, qui muros Civitatis circumfluens illam velut in Insulâ constituit. Maris accessus magna navigia secum adducit in ejus portum, qui eo locô est, ubi memorati bini fluvii confluunt, scilicet in illius Suburbiô, cui Terra Ducis |: La Terre du Duc:| nomen, quod amplum est Sedésque prædivitum Mercatorum. Olim Comites hîc dominabantur. Persoepé etiam hîc majoris notæ et nobiles viri à Rege relegantur.

57. [illegible]

§. IX.

De Dioecesi Venetorum.

Dioecesis hæc seu Episcopatus |: Le Diocese de Vannes:| oram Britanniæ Septentrionalem et Dioecesis Corisopitensis dexteram occupat; Sitúsque ejus ad negotiationem commodus est. Tres Portus numerat, ad quos Cymbæ facilè possunt appelli. Maxima in eo exercetur frumenti negotiatio, quod solum ejus producit atque levi satis pre-

tiô haberi potest: communitar neque 6000. cuparum fasis et 9000. Aduis conferuntur, quæ Sebastianopolim, in Portugalliam, ad littora Vasconiæ, Bajonam, Burdegalim, et Rupellam transvehuntur. Hîc notantur

jô Venetica seu Vindona |: Vannes ou Vennes :| Sita est hæc Urbs 20. milliaribus à Vanneto versùs Eure-aquilonem Morem, 22. à Corisopitô, et 2. à Mari, quod hîc ope alvei, quod Morbihannum |: Morbihan :| dicitur, atque latus est Sinus, aucssum et recessum suum habet. ~~Sed in regione Armorica Britannorum Britannia Armorica~~

Nomen suum habet à Venetis, qui, prout quorundam est opinio, Julii Cæsaris ætate inter Gallos populos celeberrimi atque, ut ipse lib. 3. de Bell. Gal. memorat, in mari potentes erant. Ipsius verò vetus nomen Dariorigum fuisse colligi videtur ex Ptolomæô, qui Geogr. lib. 2. c. 8. Occidentale, inquit, autem littorale latus sub Osismis tenent Veneti, quorum civitas Dariorigum. At alii contendunt Cæsarem cit. loc. nihil de hac urbe meminisse, quippe apud quem vox Civitas non Urbem duntaxat, sed plagam, ditionem, territorium, et regionem significat; atque eodem sensu intelligi debere Ptolomæum volunt, cùm de Venetorum civitate loquitur. Quidquid eâ de re sit, certum est Urbem hanc à Venetis populis fundatam aut saltem ab iis nomen habere; à quibus etiam, quod verisimile esse ait Strabo, Veneti celeberrimi Italiæ populi fortè orti sunt. Aliàs etiam urbs ista Civitas Venetum, Civitas Venetica, et Dariorigum Venetorum dicta est.

Ubi Britanni in Armoricâ consedêre, Urbem hanc intactam reliquerunt, veteribus Romanis seu Gallis inolis servata est; posteà in Francorum potestatem devenit, cùm Silicet hanc Gallia plagam occupârunt: primùm an. 577. Varonus |: Varon :| Britannorum Princeps eam Gontrano uni ex Galliæ Regibus eripuit. Annô autem 793. à Pipinô occupatam fuisse memorat Eginhardus* in Annal. in cujus posterorum potestate permansit usque ad Numenojum Britannorum Principem, qui eam unà cum Vanneto et Redonibus sibi subjecit.

Urbs hæc olim à Principibus suis ad Comitatûs dignitatem evecta fuit. Illius exiguus est ambitus, platea angusta, si eam excipias per quam à portâ, quæ mari vicina est, ad Urbis prætorium patet aditus, et illam, qua itur ad Eulerianam Cathedralem: populosissima tamen est. Ex unâ parte duo rivi eam adeunt, qui ibidem confluentes illius portum continendis quamplurimis 200. cuparum navibus seu cymbis aptum efficiunt. Portus hic medius est inter duos alios minores, quorum unus in eâ parte est, qua Capucinorum Conventui vicina est, quamquam Navigatores ineo-

* Eginhardus seu Einhartus Sæculi IX. Scriptor celebris, Caroli magni à Commentariis, seu, ut ajunt, illius Secretarius, supremus ædificiorum palatii Aquisgranensis Inspector; Carolique genet, ut qui Emmam illius filiam uxorem habuit. Eâ demortuâ Monachum induit, ac primùm Monasterii Gandavensis, deinde

Gontenaldensis Abbas, demùm Selingstadii extructô Monasteriô ei praesedit, in eóque diem supremum obiit ac sepultus est. Quando obierit, incertum est. an. 848. Concilio Moguntino interfuit, at brevi post vitam posuit: saltem an. 856. haud ampliùs superfuit, hoc enim annô Rabanus Maurus, qui ejus fecit epitaphium, mortuus perhibetur.

*

lunt; propè alterum extranei Mercatores apothecas suas habent, adsuntque varia Monasteria, inter quae Urselinarum Domus primum obtinet locum.

Urbs ipsa inter duo Suburbia collocata est, quorum unum Mercatûs |: du Marché :| alterum S. Paterni Suburbium dicitur. In Suburbiô Mercatûs visitur Jesuitarum Collegium cujus Templum S. Josephô dedicatum magnificum est*; et Capucinorum conventus: Suburbium verò S. Paterni occupant Ecclesia parochialis, Dominicanorum conventus, et magnum Xenodochium.

* modo ab ipsis evacuatum.

Communis opinio est S. Paternum, qui saeculo VI. floruit, atque an. 490. in hac Dioecesi natus, an. 575. obiisse dicitur, primum hujus Urbis fuisse Episcopum, saltem ante ipsum nullus memoratur, qui hîc Episcopus fuerit. Est Suffraganeus Archiepiscopi Turonensis, Comitisque titulum sibi vindicat, atque ex parte Urbi dominatur in civilibus.

Cives inter alia cum ferrô in contos diductô, quod à provinciae ustrinis recipiunt, negotiantur, item cum Sardellis et congris optimis.

Non procul ab Urbe visitur inter alios Campus, in quo ex credulae plebis sententiâ et opinione Striges seu Sagae conventus suos seu Sabbata et choreas agunt; hujus rei argumentum esse dicunt, quòd herba, quae in hocce campô crescit, semper adusta sit, cùm tamen vicinorum camporum herbae jucundè virescant; at id campi illius solo attribui potest, et quia id multis videtur mirum, facilè fingi potuerunt maligni Spiritus seu Striges, quae illius causa sint.

2°. Blavetum seu Blavia |: Blavet :| modò Portus Ludovici |: Port Louis :| Blavia vetus ad ripam Blaveti |: Blavet :| fluminis in Inferioris Britanniae littore Meridionali ad Occidentem Venetiarum posita Urbs olim munitissima et satis celebris; at modò devastata, ejusque memoriam penè delevit Blavia seu Blavetum novum Portus Ludovici |: Port Louis :| nuncupatum ad ostium Blaveti fluminis mediâ leucâ infrà vetus Blavetum situm. Urbem hanc ~~Ludovicus~~ arce et propugnaculis munivit Ludovicus XIII. nomineque suô, cùm prius etiam Blavia seu Blavetum diceretur, Portum Ludovici appellari voluit, quod hactenus retinuit.

Portus ejus optimus est, et ad eum maximae etiamnum naves facilè appelluntur, necnon ad ima sinûs illius et locum, qui Oriens |: L'Orient :| dicitur propè Scorffi |: Scorff :| fluminis ostium penetrant. ~~Blavet~~ Ab an. 1666. Societatis Indicae Apotheca praecipuaque sedes est. Hîc quoque loci magnae primique Ordinis naves Regiae commodè construuntur, quòd vicinae provinciae vastissimas habeant sylvas, quae aptissimas ad opus istud arbores in magnâ copiâ subministrant. Hujus Urbis commercium consistit in Sardis et congris piscibus.

§. X.

De Insulis Britanniæ adjacentibus, et ad eam pertinentibus,

1º Duobus milliaribus à littore Dioecesis Trecoriensis et quinque ab Urbe Trecoriô versùs Septentrionem Insulæ parvæ visuntur, quæ cùm numerô septem sint Septem Insulæ |: Les Sept Isles :| nuncupantur, periculosis rupibus ac scopulis circumdatæ. Hæ sunt Insulæ illæ, quæ apud Veteres Siadæ et Byadetæ vocabantur.

2º È regione Brestiæ ad littus occidentale Britanniæ aliæ exiguæ numerantur Insulæ, quarum maxima et præcipua est Uxantus, Uxantis, Uxantisina, Usantis, ~~[illegible]~~, Usantisina, et apud Plinium Axantis seu Axantos |: Ouessant :| Cùm haud procul à Brestiâ sita sit Pharum habet, quæ naves de nocte ejus Portui appropinquantes in cursu suô dirigat, viámque demonstret. Titulo Marchionatûs gaudet, ipsiúsque ambitus est octo milliarium. In eâ sunt quidam pagi et Castellum munitum quod illam à piratis tutam præstat.

3º Inter alias adhuc minutas Insulas, quæ Brittaniæ littus meridionale occupant, sola memorari hic meretur Calonesus |: Belle Isle :| è regione Venetiarum posita et sex à Continente milliaribus. Calonesus antiquum illius nomen est, quod è Græcô Latinè redditum Formosam Insulam significat, gallicè Belle Isle. Rupibus et scopulis undique cingitur ita, ut in aliquibus tantùm locis in eam exscendi possit. Propugnaculis et tormentis bellicis apprimè instructa est, eique viginti duæ et interdum plures peditum centuriæ seu cohortes sunt præsidio. Quatuor in eâ numerantur Parochiæ. Portum optimum habet, quem, prout rupes et scopuli Insulam ipsam, arx munitissima tuetur; præter eam aliquot adhuc adsunt Castella. Celebrem etiam efficiunt Salinæ, quas habet optimas. Titulô Marchionatûs vel Comitatûs gaudet. Ab eâ nomen habet Comes ille de Belle Isle, quem bellô præteritô, ubi quinque reges unà cum Imperatore Bavarô Carolô VII. Imperatricem modò gloriosè regnantem Mariam Theresiam regnis suis et ditionibus spoliare perperam tentârunt, ~~[illegible]~~ adversùs eandem edita facinora famosum reddiderunt, quæ tamen infortunium aliquod satis infeliciter clausisse videtur. Comes iste ab Imperatore Carolô VII. in Sacri Romani Imperii Principum ordinem cooptatus, et ab eo sub Legati titulô ad Regem Borussiæ Berlinum missus, improvidè per regis Angliæ ditionem Hannoverianam transeuns ibidem captus, ac in Angliam deductus est. Anno 1761. mense Junio Angli, quibus cum Rege Galliæ ~~erant~~ bellum erat, illam occuparunt. In præterito Bello, quod inter ipsos et Gallos viguit, denuò illam occupârunt; at pace inita iterum illam Gallis reddiderunt, recepta ejus loco Minoricâ Insula, quam iis priùs Galli eripuerant.

59. 307.

Caput ~~Sextum~~ V.
De Normanniâ.

Normannia seu Normandia |: La Normandie :| Ducatus amplissimus, præcipuis Franciæ provinciis annumeratur vel maximè quòd ad Oceanum in viciniâ Angliæ, quæ ipsi Septentrionalis est, et à quâ solo fretô, quod Manicam |: la Manche :| Galli nuncupant, separatur, situs sit.

Ejus limites sunt versùs Orientem Picardia et Insula Franciæ; versùs Meridiem Belsia, Perticensis regio, et Cenomanensis Ager; versùs Occidentem Britannia; et denique, ut primùm diximus, versùs Septentrionem Manica seu fretum, quod eam ab Angliâ sejungit.

Illius longitudo ab Oriente in Occidentem ultrà 60. milliaria complectitur, scilicet ab Alba mala |: Aumale :| ad Bresiam |: Bresle :| fluvium, et à Gisortiô |: Gisors :| ad Eptam |: Epte :| flumen, usque Grandemvillam |: Grand ville :| et Montem S. Michaëlis |: Mont St. Michel :| quæ urbes ad ad Oceanum et Britanniæ littus positæ sunt. Ipsius latitudo autem à Meridie in Septentrionem est 30. milliarium, scilicet à Verniolô |: Verneuil :| ad Avaram |: Aure :| et à Drocô |: Dreux :| usque ad Urbes Aucum |: Eu :| et ulteriorem Portum |: Treport :| quæ inferiùs ad Picardiæ littus jacent: eadem etiam est ejus latitudo à Ponte Ursionis |: Pont-Orson :| ad Covesnonium |: Coesnon :| flumen, usque ad Promontorium Ogam |: La Hogue :| et usque ad Caput Cereris seu Barræ fluctûs |: Barfleur :| infrà Cæsarisburgum |: Cherbourg :| Totius verò Normanniæ circuitus seu ambitus est circiter 240. Milliarium, cujus maxima pars Maris littora occupat, præsertim Territorium seu Ager Constantiensis |: le Contentin seu Coutantin :| qui velut peninsula in Mare porrigitur.

Hæc Provincia Romanorum ætate Galliæ Celticæ seu Lugdunensis partem constituebat, atque Lugdunensis secunda vocabatur; at postquam Franci eam occupârunt, facta est pars regni Neustriæ sub Merovingis regibus: sub Carolovingis verò, post factam inter filios Ludovici Pii regni Franciæ partitionem, Carolo Calvo Franciæ Occidentalis regi adscripta fuit. Cùm autem Neustriæ littora repetitis Normannorum seu Danorum irruptionibus devastata fuissent, Carolus Simplex Caroli Calvi nepos, præcipuis Galliæ Proceribus consensum tribuentibus, provinciam seu Ducatum hunc Rolloni horum Barbarorum Duci in feudi proprietatem cessit collocatâ etiam ei, postquam Christianam religionem suscepisset ac baptizatus fuisset, in matrimonium filiâ suâ Giselâ. Hujus Rollonis posteri potentes admodùm fuêre non modò cis sed et trans Mare: annô enim 1066. Wilhelmus Roberti Normanniæ Ducis filius nothus factâ in Angliam exscensione Haraldum, qui post obitum Eduardi Sancti regnum Angliæ occupaverat, trucidavit, atque toto potitus regnô eodem annô in Natali

Domini ibidem Rex Angliæ coronatus est. Henricus I. Angliæ Rex et Normanniæ Dux unicam filiam Mathildem reliquit heredem, quæ Godofredo Plantagetæ Andegavensi Comiti nupsit, eique filium peperit, qui primùm Normanniæ Dux deinde Rex Angliæ factus Henricus II. dictus est. Hic plures habuit filios, quorum Joannes quartus natu, cæteris vitâ functis, Regnum Angliæ occupavit, ac an. 1202. in Normanniam veniens Artum seu Arturum Godofredi fratris hui natu maximi et Normanniæ Ducis filium, qui ei Angliæ coronam adducebat in controversiam, captum in carcere trucidavit. ob immane facinus istud à Philippô Augustô Franciæ Rege, Paribus regni consentientibus, eodem annô, cum citatus haud comparuisset, in eum latâ sententiâ totâ Franciâ proscriptus fuit eique aquâ et igni interdictum; necnon sequenti annô 1203. Normannia, quam dictus Joannes sibi asseruerat, occupata et denuò Franciæ Regno adjuncta. Henricus III. ejusdem Joannis filius ac in Regnô Angliæ successor initâ postmodùm cum Ludovicô Sanctô pace omne suum jus in Normanniæ Ducatum eidem suisque successoribus ultrò cessit. Ab eo tempore Regum Franciæ natu majores filii Duces Normanniæ nuncupati fuerunt, donec Delphini nomen prævaluit.

Provincia hæc inter maximas et fertilissimas Franciæ regiones præcipuum fermè locum tenet. Solum ejus omnis generis frumentum, linum, cannabum, et herbas ad inducendum colorem aptissimas, ut rubiam, glastum, isatem, p. profert. In aliquibus locis sunt vineta, quæ tamen tenue admodùm reddunt vinum; at stupendâ pomorum et pirorum copiâ superbit, ex quarum fructibus mustum exprimitur communis incolarum potus. Adsunt quoque amplissima vireta et pinguia pascua, quibus quamplurima armenta et pecora saginantur. Mare ibidem optimis piscibus dives est. Habet hæc provincia etiam salinas; item ustrinas, in quibus tormenta bellica, bombi seu pyroboli, aliáque variæ speciei ferramenta fabricantur. Aliquot item ibi reperiuntur cupri fodinæ, quæ efficiunt, ut quamplures aquæ minerales in eâ fluant.

Fluvii, qui eam perfluunt sunt inter alios Sequana |: La Seine:| Ebura |: Eure:| aliàs Autura, Audura, Adura, et Auctura. Itona seu Ittona |: L'Iton:| aliàs Ito, et Itus. Andella |: Andelle:| aliàs Andellius fluvius, et Andelaus. Risela seu Risla |: Rille:| aliàs Risetta. Diva seu Deva |: Dive:| Tolca seu Tolcha |: Touque:| Carento |: Carentone:| aliàs Carentonus. Anta |: Ante:| Orna |: Orne:| apud Veteres Olina et Argenes. Avara |: Aure:| et Druma seu Druna |: Drome:|

Occurrunt quoque plures exigui Portus, quorum præcipui sunt Depa seu Deppa |: Dieppe:| olim Juliobona Caletorum. Franciscopolis seu Habulus; item Portus gratiæ

|: Havre, seu Havre de grace :| Hunneflottum, seu Hunflotum, item Honflotum |: Honfleur :| Cæsarisburgum |: Cherbourg :| et Grandisvilla |: grandeville seu granville :| quibus addunt aliqui Ogam Sti Vedasti |: Hogue St. Waast :| in Agrô Constantiensi |: Cotentin seu Coutance :| at hæc Portus non est, sed navale duntaxat seu littoris crepido, quam quædam Insulæ tuentur.

Hujus provinciæ commercium consistit præcipuè in lanâ, laneis pannis, pileis, pectinibus, papyrô, varii generis telis lineis, peristromatibus, aulæis lividensibus, coriô, piscibus præsertim halecibus, butirô, aciculis, &c.

Normanni propriis legibus vivunt, laboriosi sunt et industrii, ad serviendum propriis rationibus omniaque in usus suos et commoda convertendum expertissimi. Culpari solent, quòd judiciô contendere ament; parumque curent quibus rationibus jure, aut modô aliena acquirant suáque faciant: undè per ignominiam jocosam de iis dicitur, quòd Parochi, ubi infantem neonatum baptizant, statim mortuarii illius stipendium seu jus sepulturæ à parentibus exigant, veriti ne illo fraudentur ignorare se prætexentes, in quonam locô infans iste grandævus factus suspendiô sit enecandus vitamque finiturus.

Normannia in duas partes distribuitur Superiorem scilicet, quæ Orientalis est, atque Picardiam attingit, et Inferiorem, quæ in Occidentem vergit, atque versùs Britanniam sita est. Hujus tria Territoria, illius quatuor. Superioris Territoria sunt Rothomagense, Eboricense, Caletense, et Vulcassinum. Inferioris verò Constantiense, Aleconiense, et Cadomense, q Primùm Superioris, post Inferioris Territoria expendimus, ut et adjacentes ei Insulas quasdam.

q Seu Bajocense.

60. ~~xix~~.

§. I.

De Territoriô Rothomagensi.

Territorium Rothomagense |: le Païs de Rouen :| seu Ager Rothomagensis circum ejusdem nominis Urbem situs est. In eo notatur

1º Rothomagus |: Rouen :| Civitas non modò Superioris, sed et totius Normanniæ Caput, ac una ex maximis, ditissimis et populosissimis Franciæ urbibus, posita est ad ripam Sequanæ locô depressô et ad tria latera præruptis montibus circumdatô, ita, ut eo solo latere, quod Sequana alluit, ad eam pateat aditus: ex istis montibus duo rivuli prodeunt Albetta scilicet |: Aubette :| et Rotobecum |: Robec :| et ad illam fluunt. Ibi Sequana tantus est æstus, ut plusquam 200. cuparum navigia ad ~~illam~~ crepidinem, qua ipsa urbs cingitur, appelli valeant. Muris rotundisque turribus more factis antiquô instructa est. 16. portas nu-

merat, 13. fora publica, 300. fontes publicos, 85. Templa, et 125. vicos: ex quibus omnibus de ejus amplitudine judicium ferri facilè potest; etiam ultrà 50000. animas continet. Attamen vici ejus sunt angustissimi, ædésque humiles et plerumque ligneæ. In eâ quoque est Castrum quinque magnis turribus, pontéque ducteriô instructum, necnon aquis circumdatum.

Urbs ista Velocassium inter Celtas populos celebratorum præcipua Sedes fuit; et quamvis sit antiquissima, ut vel illius Celticum seu vetus Gallicum nomen prodit, nihilominùs Cæsar in suis Commentariis eam præterit, ut et alii Scriptores Romani, primus illius meminit Ptolomæus. Antiquo tamen tempore jam spectabilis esse debuit, ut quæ sub Constantinô Imperatore, cùm Lugdunensis provincia in duas partes distribueretur, provinciæ Lugdunensi secundæ Caput data fuerit.

De ejus Etymologiâ multæ circumferuntur Scriptorum opiniones, inter quas illam veriorem arbitramur, quâ Rothomagus deducitur à duabus primis Rothobeci fluvii Syllabis Rotho et à vocè Magum seu Magus quæ linguâ Celticâ Urbem significat, quæ simul junctæ Rothomagum, velut Urbem ad Rothobecum, efficiunt.

Rothomagus est Sedes Archiepiscopi, qui sibi titulum Primatis Normanniæ vindicat, et cui sex Episcopi, qui in hac provinciâ sunt, subjiciuntur. S. Nicasius primus hîc Episcopus fuisse dicitur, atque traditio est eum à S. Clemente annô Chr. circiter 80. Româ hûc ad prædicandum Evangelium missum fuisse: post ipsum nullus invenitur Rothomagi Episcopus usque ad S. Melonem, qui an. 265. à S. Stephanô Papâ hujus Civitatis Episcopus designatus est.

Præter Ecclesiam Cathedralem quamplurimæ aliæ, quod jam suprà memoravimus, numerantur Ecclesiæ, Capitula, et utriusque Sexûs Monasteria, quæ singula enarrare nimis longum foret. Habet etiam celebrem Universitatem.

Anno 841. Normanni, et an. 1418. Angli Rothomagum Urbem occupârunt, anno autem 1449. Carolus VII. eam illis eripuit. Sæculô XVI. fervescente Catholicos inter et Hugonotos bellô multis calamitatibus pressa fuit; ab his semel et iterum capta fuit et devastata: an. 1562. sub Carolô IX. iis iterùm erepta fuit; denique an. 1594. Henricus IV. illam obtinuit. An. 1633. 25. Junii gravem ventorum furentium rabiem experiri coacta est, qui vespere circà horam septimam coorti procellam excitarûnt cum tonitruis, pluviâ, et insolitâ grandinis copiâ, cujus globuli quidam nucum et etiam ovorum magnitudinem æqua-

bant, mediámque libram imò etiam tres libræ quadrantes pendebant; sicque stupendas variis in locis edidêre strages.

Commercium, quod in eâ exercetur, consistit in lanâ, pannô, variarum specierum linteô, coriô, pileis, pectinibus, chartis lusoriis, papyrô, et magnâ aliarum mercium copiâ. Hîc etiam conficiuntur levidensia aulæa illa, quæ aulæa portæ Parisiorum |: les tapisseries de la porte de Paris:| nuncupantur. Piscatio quoque Incolis haud vulgari est compendio.

Varia Rothomagi celebrata memorantur Provincialia Concilia: I. an. 692. ab Ansbertô ejusdem Civitatis Antistite, cui 16. Episcopi et 4. Abbates interfuêre, et in quo variæ Ecclesiæque utiles editæ sunt Sanctiones. II. an. 1050. à Malgeriô Archiepiscopô, cujus 19. Canones circà disciplinam Ecclesiasticam adhuc supersunt. III. sub Archiepiscopô Joanne an. 1072. vel 1073. ubi post editam de SS. Trinitate fidei professionem etiam quædam circà disciplinam Ecclesiasticam sancita fuêre. IV. an. 1074. ab eodem Archiepiscopô, ac de rebus iisdem, de quibus in priori. V. an. 1096. ab Archiepiscopô Wilhelmô, in quô Sanctiones Synodi Claromontanæ confirmatæ, atque novæ quædam circà res Ecclesiæ conditæ fuerunt. VI. an. 1118. ubi multa in medium adducta, nihil verò conclusum. VII. an. 1119. ab Archiepiscopo Goisfredô, in quo Clericis omne commercium et familiaritas cum alterius sexûs personis interdicta fuit; et cùm quidam nomine Albertus huic Sanctioni obloqui vellet, in carcerem conjectus est. VIII. an. 1299. circà disciplinam Ecclesiasticam duntaxat. IX. in quô de promulgatione Sanctionum in aliis Synodis editarum, necnon de aliis rebus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus actum est. X. an. 1445. ab Archiepiscopô Radulphô Rousseliô contrà Blasphemos, Veneficos seu Præstigiatores, aliosque hujus furfuris homines. Denique à Georgiô ab Ambasia |: George d'Amboise:| et aliis adhuc plura Provincialia Concilia hîc loci habita fuêre.

In hac urbe an. 1430. famosa puella Aurelianensis Joanna de Arca |: la pucelle d'Orleans Jeanne d'Arc:| à Duce Vindocinensi |: le Duc de Vendôme:| capta, jussu Ducis Bettfortii tanquam Archistrix et venefica in forô publicô igne cremata fuit.

Hujus Civitatis exteriora adeò amoena sunt et venusta, ut specialem mererentur descriptionem: ambulacra ex omni parte, Insulæ in Sequanâ, perpulchæ domus, p. Exiguô ab eâ milliari visitur Carthusianorum cœnobium pergrata solitudo.

2°. Lexovium, Lexobium, Lixovium, Lisoium, Civitas Lexoviorum, Lixoviorum, et Liciacensis |: Lisieux:| Sita est hæc Civitas 8. milliaribus à Rothomagô, 10. à Cadonô

50

|: Caen:| 5. à Maris littore, 3. à Ponte Episcopi |: Pont-l'Evêque:| inter Sagium |: Seez:| et Vernolium |: Verneuil:| partim ad littus aliquod partim ad vallem quamdam venustissimam, quæ magnorum redituum pascua continet, in confluentia duorum rivorum, quorum uni nomen Arbeca |: Arbec:| qui urbem perfluit, alteri verò Tolca |: Touque:| qui illius muros alluit; sub 20. gr. 17. min. longit. et 49. gr. 8. min. latit. Fossis, muris, et turribus cingitur optimis; in eâque quatuor portæ totidemque Suburbia numerantur. Satis venusta, publicique et privati fontes, qui in magnâ adsunt copiâ, atque velut tot rivi quot plateæ sunt, eas semper mundas servant. Habet panni et lintei opificia.

In Notitiâ Civitat. Gall. Lugdunens. urbs hæc Civitas Lexoviorum nuncupatur ~~[illegible]~~ à Lexoviis seu Lexobiis populis, qui olim regionem hanc incoluêre. Sub Franciæ Regibus Caput erat provinciæ, quæ in Capitulariis Lisvinus et Livinus, item Comitatus Lisvinus dicitur. Olim Neomagus vocata fuisse creditur, quòd Ptolomæus Lexoviorum Metropolim hoc nomine insigniat. Fortè etiam est Antonini Noviomagus.

Titulô Comitatus gaudet, habétque Episcopum, qui ei tàm in Civilibus quàm Ecclesiasticis dominatur, estque Suffraganeus Archiepiscopi Rothomagensis. Primus hic Episcopus fuit Litardus, qui an. 511. primo Aurelianensi Concilio interfuit.

Præter Ecclesiam Cathedralem, duæ adhuc sunt Collegiatæ simul et parochiales. Trinitarii Conventum hic habent. Patres Missionis ~~habent~~ Collegio præsunt, eorumque domus est juniorum Clericorum Seminarium. Adsunt etiam ab an. 1631. Urselinæ; item Moniales de providentiâ dictæ, quarum munus est ruri juvenes puellas instituere.

Duæ memorantur in hac urbe celebratæ Synodi, I. an. 1006. mense Octobri præsente Henrico I. Angliæ Rege et Normanniæ Duce. II. ab Hugone de Harcurio |: Harcourt:|. Item Joannes Venator |: Jean le Veneur:| Cardinalis et hujus Civitatis Episcopus duo hic habuit Concilia, unum an. 1531. et alterum an. 1540.

§. II. pag. 61.

De Territoriô Eboricensi.

Territorium Eboricense seu Evroicense |: Le Païs d'Evreux:| ad meridiem Rothomagensis situm est. Nomen habet ab Eburovicibus antiquis Galliæ populis, qui falsò Ebroici nominantur. In Capitulariis Pagus Ebrecinus, et Ebricinus dici-

tur. Sub Romanis provincia Lugdunensis Secunda, et sub Regibus Francorum Neustria pars erat. à Richardô Rodonis primi Normanniæ Ducis Nepote ad Comitatûs, et à Ludovicô Hutinô Francis Rege an. 1316. ad Pariatûs dignitatem erectum fuit. Modò Ducibus Bullionis paret. Hic ocurrit

1º. Ebroica seu Ebroicum vel Ebrocum ſ: Evreux:/. Posita est hæc urbs ad ripam Itona /: Iton:/ fluvii, quatuor milliaribus à Pariaô seu Paciô /: Pacy:/ Utiô /: Ouche:/ et Lupariâ /: Louviers:/ quinque à Vernona seu Vernô et Vernoniô /: Vernon:/ octo à Drocô seu Druidum Fanô /: Dreux:/ decem à Medantâ /: Mante:/ et totidem à Rothomagô.

Undique vinetis cingitur et viretis. Quamvis, si ejus Suburbia demas, haud ampla sit, in eâ tamen novem Ecclesiæ Parochiales numerantur, pluráque utrinque Fanûm Monasteria et Conventus. Vetustissima est, atque olim, quod notat Ptolomæus, Mediolanum dicta fuit: postmodùm ab Agrippâ Augustis Eburovicibus Ebroica seu Ebroicum nuncupata fuit. Habet Sedem Episcopalem Metropoli Rothomagensi subjectam et Saulô III. fundatam, in quâ primus sedisse perhibetur S. Taurinus. Celebris quoque Cardinalis Baronius ex Calvinistâ Catholicus, qui sub Henricô IV. floruit, antaquam ad Archiepiscopatum Senonensem assumptus esset, hic fuisse Episcopus memoratur. Civium commercium consistit præcipuè in variis panni et lintei speciebus, necnon in aliis mercibus laneis; item in frumentô, &c.

2º. Bodomontium Rogerii /: Beaumont le Roger:/ Urbs hæc nomen habet à Rogeriô quondam ejus Comite, qui vel eam de novo exstruxit vel ampliavit.; eam aliqui, quòd muris careat, Oppidum duntaxat vocant. Sita est ad ripam Risela /: Rille:/ fluvii quatuor milliaribus à percelebri Benedictinorum Beccensi /: Bec:/ Monasteriô, et Conchô /: Conches:/ tribus à Bernaiô /: Bernay:/ Brionna /: Brionne:/ et Novoburgo /: Neubourg:/ duobus ab Harcuriô /: Harcourt:/ et undecim à Rothomagô. Unicum vicum habet optimè Stratum lapidibus. Ipsius Ecclesia parochialis et Prioratus SS. Trinitatis quondam à Benedictinis habitatus, qui indè vastatis durante bellô eorum ædificiis, ad Monasterium Beccense se contulerunt, spectabilis fuit. Olim ei imminebat Arx in promptô monte sita, cujus hodiè via quædam superstant rudera. Huic parœciæ confinguntur et Cintæa, quamplurimique numerantur Cavarii. Ante actis temporibus Comitatûs, modò Ducatûs titulô insignita est, ejusq; Duces Historia celebrat.

§. III.

De Territorio Caletensi.

Territorium seu Ager Caletensis |: Le Païs de Caux :| situs est inter Sequanam, Oceanum, Picardiam, Brajum |: le Païs de Bray :| et Velocassinum Normannicum |: le Vexin Normand :| Nomen suum traxit à Caletibus antiquis Celtarum populis, qui in eo sedem habuerunt. Triangulî formâ figuram refert, in cujus apice promontorium est, quod propè Portum Gratiæ |: Havre de Grace :| in Mare protenditur, ac Caletense caput |: Cap de Caux :| nuncupatur. Maxima ipsius latitudo est 16. milliarium videlicet ab Agrô Rothomagensi usque ad Civitatem Augum |: Eu :| et Ulteriorem Portum |: Treport :| Variarum specierum frumentum, Legumina, Linum, Cannabum, et rapicium semen, ex quo oleum ad varios usus exprimitur, profert. Vinetis caret, quòd Solum ejus paulò sit frigidius: at pomis et pyris abundat, ex quarum fructibus melapium communis incolarum potus conficitur. adest etiam ferina, pennaria præsertim, quæ multùm requiritur; ingens etiam piscium copia hîc capitur.

Regionis hujus consuetudo primogenitis magnam tribuit prærogativam, quam fortè Norvegi et Dani hûc attulêre, qui, ut familias suas tuerentur ac in splendore continerent, primogenitos suos omnium bonorum suorum heredes instituebant, sicque juniores filios suos ad alienas terras demigrare, ibique fortunam suam experiri cogebant; qua agendi ratio procul dubiô primos Normannos in Gallias adduxit. Ocurrunt hîc Urbes

jô Deppa seu Dieppa |: Dieppe :| totius provinciæ seu Agri Caput, cum portu maris. duodecim milliaribus à Rothomagô, inter Ulteriorem portum |: Treport :| et S. Valerium |: S. Valery en Caux :| seu ab hoc utroque portu milliaribus disjuncta. Situm habet in planitie intrà duos montes saxeos ad ortum Bethunia |: Bethune :| fluvii, qui hîc Arca |: Arques :| vocatur, quòd Arcæ Urbis olim celebris reliquias abluat. Habet Suburbium, quod Portus ipse à Civitate separat, adquam abeo per pontem lapideum transitur. Intrâ viginti portæ numerantur. Tam in civilibus quàm Ecclesiasticis paret Archiepiscopo Rothomagensi. Olim et antiquis temporibus Juliobona Caletorum dicta est.

Urbs hæc anteactis temporibus longè celebrior fuit quàm nunc sit. Multorum dirutum et inquilinorum incolarum, post revocationem Edicti Nannetensis, discessus, necnon Anglorum invasio, à quibus an. 1694. 22. et 23. Junii seu Julii injectis immmeris pene ignariis orbis |: Bombes :| in cineres

redacta fuit, deteriorem illius effecêre conditionem. Ei insidet Arx ritu antiquo munita, quæ modò vix unum hostium assultum sustinere valeret.

Habet binas parochiales Ecclesias S. Remigii scilicet et S. Jacobi, hujus campanile adeò in sublime porrectum est, ut coelô serenô Angliæ littora ex eo detegantur. Carmelitæ item, Minimi, Capucini conventus hic habent, Jesuitæ Hospitium, et Patres Oratorii Collegium. Adsunt etiam Moniales Benedictinæ, Carmelitæ, Ursulinæ, Hospitalariæ, et Visitationis B.V. Mariæ.

Præcipuum ejus commercium consistit in Halecibus, Scombris, et Ostreis, in variis operibus eburneis, et textis denticulatis. Adest etiam celebre tabaci opificium.

Hic nati perhibentur viri scientiâ et eruditione præstantissimi, inter quos celebrantur præcipuè P. Richardus Simon Canonicus Regularis S. Augustini in S. Scripturæ et linguarum Orientalium studiô versatissimus, quod ipsius produnt opera. P. Crasset Soc. Jesu variis moralibus et spiritualibus miram unctionem spirantibus operibus celebris. Item Pequetus |: Pequet :| Medicus, cui retectionem Canalis Thoracini in corpore humanô acceptam referunt Medici, quem etiam ipsius nomine Stagnum Pequetanum vocant.

2º. Portus Gratiæ |: Havre de grace :| celebre Emporium cum portu optimô. Sita est hæc Urbs ad ostium Sequanæ in uliginosâ planitie duodecim milliaribus à Cadonô |: Caen :| octodecim à Rothomagô et Dieppâ; octo à Fisci campô seu fiscanô vel fiscamnô |: Fescamp :| et Juliobonâ |: Lillebonne :| septem à Quilleboviô |: Quilleboeuf :| et duobus àb Hareflotô |: Harfleur :| ampla et perpulchris superbiens ædificiis et domibus, quadraginta plateas lapidibus stratas et quarum nonnullæ latæ sunt et ad lineam ductæ numerat: fontes quoque per singulas illius regiones distributi haud exiguo ei sunt ornatui. 24000. sunt circiter ejus incolæ. Nonnisi tres portas habet, habet et suburbium.

Urbs ista principia sua accepta refert Ludovico XII, qui an. 1509. illius fundamenta jecit. Franciscus I. eam munirî necnon magnam fortémque turrim extrui curavit, ut Anglis, qui illius piscatores infestabant, multisque damnis afficiebant, promurale esset; quod tamen haud obesse potuit, quin iidem Angli in Sequanam usque penetrarent, ibique naves mercatorias prædarentur, cui malo ut obviaretur tandem celebris Cardinalis Richelius sub Ludovico XIII. illius auxit propugnacula et in portu castrum excitavit munitissimum.

Variæ, præter Parochialem, tàm in ipsâ Civitate quàm ejus suburbiô, sunt magnificæ Ecclesiæ. Capucini hic etiam ha-

bent Conventum, ut et Religiosi, qui Poenitentes dicuntur, necnon Urselinae.

Civium negotiatio praecipuè consistit in navigatione, et opificiis texti denticulati; dexterrimi sunt et expertissimi navigatores, atque ad omnes totius Orbis terraquei plagas commercium suum extendunt.

Hîc natales habuêre Georgius Scuderi et ejus Soror Magdalena Scuderi. Priorem Galliça Tragoediae, hanc verò Cyri, Cleliae, aliaeque historiae, necnon quaedam cùm ligatâ tùm solutâ oratione edita Opera celebres fecêre. Ille an. 1668. haec an. 1700. 94. annos nata, vitam posuerunt.

3º Yvetotum seu Ivetotum |: Yvetot vel Ivetot:| Urbs seu amplum Oppidum unà cum Castellô. Situm habet in plagâ frumenti feracissimâ sex milliaribus à Rothomagô et duobus à Calidobeco |: Caudebec:| non procul à Portu gratiae. Caput est exigui Tractûs, qui ejus nomen refert, simulque liberi et exempti Principatûs titulô gaudet. Apud Geographos Regnum Ivetotii seu Ivetotanum Tractus iste nuncupatur, quòd eorum aliqui ex antiquâ quadam, sed non satis firmâ, quin potiùs fabulosâ traditione olim re verâ Regnum fuisse dixerint.

4º Albamarla seu Albamala |: Aumale:| Civitas exigua in declivitate collis, quem prata excipiunt, ad ripam Bresiae |: Bresle:| fluminis, quod etiam prata haec irrigat, sita 14. milliaribus à Rothomagô, quinque à Neoburgô seu Novô Castellô, |: Neuchatel:| et Blangiaco |: Blangy:| et octo ab Ambianô |: Amiens:| in confiniis Picardiae. Caput est Tractûs ejusdem secum nominis, quem an. 1547. Henricus II. in Ducatum et Pariatum erexit. Licèt in Normanniâ posita sit tamen Parisiensi Senatui seu Parlamento subest, sicque Insulae Franciae adjecta videtur.

Duas numerat Parochiales Ecclesias; una intrà ipsius moenia est, altera extrà civitatem propè Benedictinum S. Martini Monasterium; prior S. Petri, haec S. Margerethae dicitur. Adsunt etiam duo Conventus Dominicanorum videlicet et Poenitentium. Olim urbs haec munitionibus et propugnaculis instructa erat, at modò nec muri ejus nec fossa curantur.

5º Longavilla |: Longueville:| Oppidum ad ripam Sejae |: Scie:| rivi sita novem milliaribus à Rothomago, tribus à Dieppa, et duobus ab Arcâ |: Arques:| necnon ab Altifagô |: Auffay:| unà cum Castellô bene munitô. Praeter Ecclesiam Parochialem est hîc Monasterium, quod Benedictini Cluniacenses incolunt. Oppidum istud Ludovicus XII. an. 1505. Ducatûs titulô decoravit.

§. IV.
De Territoriô Vulcassinô Normannicô.

Territorium istud seu Tractus Vulcassinus Normannicus |: le Vexin Normand:| dicitur ad distinctionem ~~Vulcas~~ Vulcassini Francici, à quô ~~[illegible]~~ per Eptam |: Epte:| fluvium ~~[illegible]~~ separatur*. Circà Sequanam situs est. Agrum Caletensem fertilitate superat. In eo notatur

Gisortium |: Gisors:| urbs Territorii hujus præcipua, sita ad Eptam |: Epte:| flumen, quod eam bipartitur, ejusque murorum partem alluit, quinque milliaribus sub Gornacô in Brajô |: Gournay en Bray:| tribus supra Fanum S. Clari ad Eptam in Vulcassinô Francicô |: S. Clair:| et circiter totidem à Sterpiniacô |: Estrepagny:| ac Calvomontiô in Vulcassinô Francicô |: Chaumont:| à Parisiis verò et Rothomagô, inter quas Civitates medium tenet, quatuordecim milliaribus distans.

Quidam sine ullo fundamentô huic urbi multam retrò antiquitatem tribuere velle visi sunt, eámque Cæsortium seu Cæsarotium, velut Cæsaris otium, ac si Cæsar aliquando in eâ demoratus et otiatus fuisset, nuncupavêre. At verò certum est eam antiquam haud esse: ortum quippe suum debet Castro, quod Wilhelmus Rufus Angliæ Rex et Normanniæ Dux an. 1097. extruxit, prout Ordericus Vitalis lib. 10. Hist. refert, à quo etiam locus iste Gisors in genitivô Gisortis nuncupatur, quem deinde Scriptores posteri Gisortium dixêre.

Tres sunt Gisortii portæ totidémque Suburbia: tria virorum Monasteria, et quatuor Monialium, unà cum magnificâ Parochiali Ecclesiâ, et duo Xenodochia. Civitas ipsa populosissima est, vicique ejus lapidibus optimè strati, Ager ejus frumenti ditissimus. Comitatûs gaudet titulô.

Non procul abeâ an. 1288. postquam Saladinus Turcarum Imperator Hierosolymam occupasset, convenêre Philippus Augustus Rex Franciæ et Henricus Rex Angliæ, pactisque belli mutui induciis statuerunt se conjunctim in Terram Sanctam traducturos exercitum, quo illius Regionis Christicolis suppetias ferrent. Et hæc de quatuor Normanniæ Superioris Territoriis. modò tria Inferioris expendimus.

§. V.
De Territoriô Constantiensi.

In Normanniâ Inferiori primum occurrit Territorium seu Ager Constantiensis |: Le Cotantin, seu Coutantin, et Constantantin:| cujus pars peninsulam efficit ad Oceanum usque porrectam. Limites habet ad Septentrionem et occasum Mare Britannicum, ad Orientem Tractum Bajocensem |: Le Bessin:| et ad Meridiem Abrincatum |: L'Avranchin:| veteribus regio hæc nota fuit sub nomine Castrorum Constantiorum. Ejus clima temperatum est, sed tamen frigidum et hu-

* Vid. dicta superiùs cap. 1. §. 6. n. 180.

nidum. Regio ipsa aspera est et rigida, collibusque et vallibus abundans. Aquarum commoditate et copiâ perfruitur, adeò, ut singulæ domus singulos suos habeant fontes, undè permulti rivi erumpunt qui in quinque præcipuos desinunt, hique sunt Sina |: Sienne :| Eus |: Aisou :| Sobola, Sula, et Sola |: Soule :| Taus |: Tar :| et Dajus |: Day :| qui omnes piscibus abundant multâque molendina agitant. Adsunt etiam vireta, horti olitorii, et agri graminosi, qui sat multis bovibus et vaccis, è quarum lacte excellentissimum exprimitur butyrum, pascua præstant. Hâc quoque equi educantur, qui ob velocitatem et bonitatem suam multùm æstimantur, magnoque sunt in pretiô. Unicam sylvam habet, quæ pomis admodum ferax, alit. at Curiculionum ingens adest copia, qui aquæ ac gallinæ et saginati capones Rothomagum imò Parisios usque deferuntur. Constantienses sunt vivaces, ingeniosi, sagaces, et laboriosi. In hoc Territorio notantur

1° Constantia |: Coutance seu Constance :| Civitas ampla, præstantibus superbiens ædificiis totiúsque Territorii Caput, à qua et ipsum nomen habet, imò cum magnô suburbiô, posita supra montem, qui paulatim in planitiem desinens vinetis ac viris circumdatur. una vel duobus milliaribus à Mari, seu à S. Lando |: S. Lo :| et novem ab Abrincis |: Avranches :| Volateranus*, et alii arbitrantur eam esse veterum Romanorum, nomenque, quod nunc fert, à Constantino vel Constantio Imperatoribus accepisse; unde etiam Ammianus Marcellinus** eam Castra Constantia nuncupat. Alii verò putant, quòd sit Veterum Brioveris. Hæc omnia sunt incerta, nec enim Romanduorum populi adhuc exhibiti sunt, nec civitas Brioveris. Brietius*** autem censet Urbem hanc esse Coseriam seu Coseias, quæ apud Antoninum in hoc Itinerario, et veteres geographicas tabulas meminerunt. Quidquid eâ de re sit, antiqua Urbs est, quod vel Aquæductus, qui propè ipsam hinc indè detegunturi, probant. Populosa admodum est, at muris caret, quibus ideò nudasse dicitur Ludovicus XI. quòd Cives fratris sui Caroli, quorum gerebat simultates, partes amplexi fuissent. Sunt tamen, qui dicunt, id à Carolo VII. dicti Ludovici patre factum, cum eam Anglis eripuit; indè evenit, ut in bello hoc Anglico multis calamitatibus prossa fuerit. Annô 1562. ab Hugonotis occupata fuit.

Habet Episcopum Metropolitano Rothomagensi Subjectum. Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ magnifica est, atque B.V. Mariæ consecrata adsunt adhuc alia, inter quas eminent Ecclesia Parochialis, quæ S. Petri dicitur, et Ecclesia S. Nicolai. adest item Seminarium, ui Patres Missionis præsunt, necnon quatuor

* Volateranus |: Raphaël seu Maffæus :| ab Urbe Volaterâ in Etruriâ, in quâ natus est, sic dictus, Seculi XV. Scriptor celeberrimus. Inter alia Opera edidit 38. libris Commentarios Urbanos, in quibus veterem Geographiam, vitam Illustrium virorum, necnon variarum Scientiarum et Artium principia conscripsit. Usque ad initium Seculi XVI. superstes fuit.

** Ammianus Marcellinus celebris historiographus Antiochiâ oriundus, relictâ militiâ, in quâ præcipuis muneribus functus fuerat, ad historiæ studium animum applicuit, hanc in rem Romam

venit an. Chr. 378. ibique Romanam historiam à Nervâ usque ad obitum Valentis eleganti Sermone latinô Græcus licet conscripsit, cujus tamen nonnisi 18. libri iique admodùm manci nobis supersunt, qui tamen Gallicanis antiquitatibus, et Francorum, Allemanorum, et Burgundionum ortui haud vulgarem afferunt lucem.

*** Brietius |: Philippus:| celebris Jesuita Abbavillæ in Picardiâ natus. an. 1649. præter alia opera edidit Parallela Geogr. vet. et nov. in tribus tomis in quartô, ubi de sola Europâ tractat. p.

Monasteria seu Conventus, Capucinorum scilicet, Dominicanorum, Augustinianorum Hospitaliorum, et Monialium Augustinianarum. Adest etiam Collegium, in quo humaniora et Philosophia docentur.

2º Caroburgus |: Cherbourg:| unà cum Maris Portu non procul ab Hareflotô seu Auriflorio |: Harfleur:| et Bellemontiô |: Beaumont:| Initiô nonnisi Castellum fuit benè munitum, cui posteà urbs adjecta fuit. Sæculô XII. primùm vocari coepit Cæsarisburgus, velut à Cæsare condita fuisset, quod apertè falsum est; nec enim Cæsar in suis Commentariis ullam Cæsarisburgi alicujus mentionem facit, ac sæculô XI. nomen istud adhuc erat incognitum in tabulis namque seu Diplomatibus Richardi III. Normanniæ Ducis an. 1026. editis Urbs hæc Castellum Carusbur nuncupatur, proindè tempore illo nesciebatur illam Cæsaris opus esse; primùm sequenti sæculô aliquot ~~aliquot~~ Angliæ Reges in suis Diplomatibus eam Cæsarisburgum vocare coeperunt, quo factum, ut illius verum nomen in oblivionem venerit.

Portus ejus equidem angustus est, attamen ad eum 300. cuparum navigia possunt appelli, quô fit, ut commercium in illâ aliquantò vigeat. Hîc etiam variæ naves mercatoriæ fabricantur, quæ Galliæ et Angliæ littora perlustrant.

3º Abrincæ |: Avranches:| Urbs suprà montem sita, cujus pedem Sajus seu Sejus |: Sée:| fluvius alluit; mediô milliari à Mari, tribus à Monte S. Michaëlis, Ponte Ursonis |: Pont-Orson:| et Lucerna |: Lucerne seu Luserne:| octô à Moritoniô |: Mortain:| et novem à Constantiâ |: Coutance:| dissita.

Verum et antiquum nomen ejus est Ingena ex Ptolomæô lib. 2. c. 8. qui eam unicam, ac proindè Caput populi Abrincatûs dicit. Mediô ævô urbs hæc alias imitata suô verô relictô populi, cujus Caput est, nomen assumsit, et Abrincatæ, Civitas Abrincatûm, Civitas Abrincatarum, Abrincas, tandémque Abrincæ dicta est.

An. 1203. Britanni hanc Urbem occupârunt, ejusque et Castri ipsius munimenta solo æquârunt, quæ, cum posteà non satis restituta fuissent, Ludovicus Sanctus auxit. Quamdiu Britannia propriis Ducibus paruit, Civitas hæc pronunciale et armorum sedes fuit adversùs Britannos. Augusta admodùm est, et nonnisi tres portas habet; tria ei junguntur Suburbia admodùm populosa. Hydromelum et piraticum, seu Sicera |: Cydre:| Cannabis, linum, et Sal album sed tenue ipsius constituunt commercium.

Habet Sedem Episcopalem Metropolitanæ Rothomagensi subjectam. Qua ætate ipsa fuerit erecta non satis constat; creditur id circà an. 400. factum, primumque illius Episcopum fuisse S. Leontium. An. 511. Nepos alius hujus Civitatis Episcopus Concilio Aurelianensi I. interfuisse perhibetur. Inter famosos illius Antistites haud ultimum locum

sibi vindicat Petrus Daniel Huetius virtute Scientiarum Clarissimus. An. 1172. hîc celebratum fuit Concilium duobus Papæ Legatis præsentibus, in quo disquisitum fuit, quis causa fuerit necis Thomæ Beckets Cantuariensis Archiepiscopi.

4°. Oga |: La Hougue seu Hogue :| Promontorium et Maris Portus tribus milliaribus à Valonia |: Valogne :| propè Caroburgum, è regione ~~[illegible]~~ Orinaci seu Aurisciacæ |: Origni seu Aurigni, Anglis Aldernai :| Insulæ, inter Barræfluctum seu Barbefluvium aliàs Vallem Cereris |: Barfleur seu Val de Cer :| et Isiniacum |: Isigni :| Oppidum. Hîc nec Urbs, nec Oppidum extant, estque solùm pars paroeciæ, quæ S. Vedasti |: S. Vaast :| dicitur; locus tamen aptissimus, in quo Civitas collocetur commercii gratiâ necnon bellicarum navium; enimverò Navale habet præstantissimum, omnésque rei navalis et maritimæ periti mirantur, quòd loci hujus commoditas hactenùs neglecta fuerit.

Promontorium hoc littora Septentrionalia Normanniæ fermè conjungit cum Occidentalibus. Portus ipsius munitione, Insula Dominæ |: L'Isle à Madame :| nuncupatâ protegitur; in eâ est miles præsidiarius, qui navium hûc asylum quærentium securitati prospicit; in variis quoque ejus littoris locis tormentorum sedes erectæ cernuntur.

Porrò varii sunt hujus Promontorii nomina, ut Ogas, Ogigiæ, Ogigies, Caput Ogæ, communiter autem Oga seu Oga S. Vedasti dicitur. Hîc an. 1692. 19. Maji, Classes Anglica et Hollandica sub Talassiarchis Rüssel Anglicô, et Allemond Hollandicô Gallicam devicerunt ac penè deleverunt. In hoc navali prælio 50. Gallorum naves et 15000. hominum desiderata fuisse narrantur.

§. VI. 64.

De Territoriô Alenconiensi.

Territorium seu Ager Alenconiensis |: le Païs d'Alençon :| Situs est ad confinia Cenomaniæ |: Maine :| versùs meridiem. Titulô Ducatûs et Pariatûs gaudet ab annô 1414. quô à Carolô VI. ad hanc dignitatem evectus est, cùm priùs Comitatus tantùm esset. Interdùm Regiis Principibus natu minoribus usuariæ attributionis locô datum fuit; idque primò factum à S. Ludovicô memoratur, qui an. 1260. Petro filio suo natu quarto Ducatum hunc attribuit.

Solum habet fertile, et pascua optima, suntque in eo lapidicinæ, in quibus adamantes reperiuntur, qui propterea Alenconienses dicuntur. Habet etiam panni et texti denticulati |: Denteles :| officinas. Quatuor

exiguis Tractibus concluditur, Suntque Alenconiensis propriè dictus, Algia |: Auge :| Holmia |: Houlmes :| Ager Lexoviensis |: Lieuvin :| Hi quoque illum perfluunt amnes Sarta |: Sarte :| Brianta |: Briante :| Olina |: Orne :| Brianta in Sartam incidit. In eo etiam sunt Hyalurgia seu Officinæ vitrariæ, Ferri fodinæ, et ustrinæ; multosque equos et pecora alit. In eo hîc notantur sequentes Urbes

1.º Alenconium |: Alençon :| magna et perpulchra Civitas, nec non munitionibus optimis instructa. Ipsáque Ducatui nomen tribuit, quinque milliaribus à Sagio |: Seez seu Sez :| in confiniis Cenomaniæ, in amplô et fertili campô, qui omnis generis frumentum et fructus abundanter profert. Hunc campum Sarta perfluit, urbisque moenia alluit; in eam Brianta, postquam in ipsâ Civitate circùm S. Claræ Monasterium insulam efformavit, sub ponte incidit.

Inter Normanniæ Civitates ordine tertia est. olim vile quoddam castrum duntaxat erat, quod postmodùm crevit in urbem. Ei insidet Castellum benè munitum. Habet duo Suburbia, unum, quod S. Blasii à capellâ S. Blasii, quæ in eo est, dicitur, alterum ad Sartæ latus collocatum Montfortium |: Montfort :| vocatur, specialémque parochialem habet Ecclesiam, quæ S. Petri dicitur. In civitate est Ecclesia parochialis B. V. Mariæ dicata, in qua Mausoleum Ducum Alenconensium conspicitur. Præter Monasterium Monialium S. Claræ, sunt hîc etiam alia Monasteria, ut Monialium Visitationis B. V. Mariæ, in Suburbiô Montfortiô, in quo et Benedictini Prioratum habent; in Suburbiô autem S. Blasii Capucini habent Conventum; et in Civitate Jesuitæ Collegium habuerunt. p.

In eâ est panni Opificium, et antehac texti denticulati Opificium celebre fuit. Sæculô XVI. Civitas hæc multis malis et ærumnis obnoxia fuit. an 1572. Marinonius |: Marignon :| qui posteà Franciæ Marescallus factus est, Hugonotorum lanienam hîc impedivit.

2.º Sagium, aliàs Sajum, Salarium, Saxia, Sagiorum seu Saxonum Civitas |: Seez, Sez, et Sessui :| Sita est ad Olinam |: Orne :| quinque milliaribus ab Alenconiô versùs meridiem, et octo ab Aquilâ |: Aigle :| ad Euronotum. In notitiâ Gall. provinc. quæ tempore Honorii Imperatoris conscripta creditur, inter sex antiquas Urbes, quæ à Metropoli Rothomagensi pendebant, quartum obtinet locum, undè quidam recentiores Geographi conjecturant eam esse Civitatem Essuorum, Sessuorum, Sessuviorum, Hessuorum, seu Hassuorum, quos eosdem eundémque populum esse arbitrantur, de quo Cæsar, Plinius, et alii meminêre; vel

etiam Aruviorum Civitatem, quam Ptolomaeus Vagoritum nominat.

Civitas haec Situm habet apprimè gratum, posita in mediô magni et amoeni campi quem longum viretum transcindit; proxima quoque est Escovio |: Escouves:| nemori, sicque collocata, ut omnia ad vitae sustentationem et commercium necessaria facilè possit habere. Magni nominis olim fuit, de quô tamen nunc multum deperdidit.

Habet Sedem Episcopalem Rothomagensi Metropoli Subjectam. Multi eruditi censuerunt illam initiô Oximii |: Hiemes:| fuisse collocatam, ac postmodùm indè Sagium translatam; verum pro suae assertionis fundamentô nonnisi popularem habent traditionem, quae tamen P. Sirmondo* sufficiens visa est, ut Episcopis Sagiensibus quemdam Litharedum Episcopum Oximensem, qui an. 511. Concilio Aurelianensi I. interfuit, annumeret, quâ in re alii Conciliorum Editores illum secuti sunt.

Quinque Sagii numerantur Parochiae praeter Capitulum Cathedrale; unum Seminarium; una Schola; unum Nosocomium; Amplum Ord. S. Bened. Monasterium, et Franciscanorum Discalceatorum Conventus. Ejus 3000. sunt Imolae, p.

3.° Argentorum seu Argentomagum |: Argentan seu Argenten:| Urbs haec olim Romanis Arae Genuae dicta fuit. Sita est ad ripam Olinae |: Orne:| fluminis in loco eminenti, qui fertilis planitiei medium occupat, quam aliqua vireta hujus fluminis littori circumjacentia ambiunt, quinque milliaribus à Sagiô, et totidem à Galesiâ |: Galaise:| Quatuor portas, et totidem Suburbia numerat. Muri ejus turribus et fossis sunt instructi, intrà est vetus Castellum, à quo Civitas protegitur. Varia habet fora publica, plateae ejus et aedes plerumque venustae sunt. Duae sunt in eâ speciosae Ecclesiae, una, quae dicitur S. Remigii, altera S. Germani, ubi Parochus unicus alternatim divina celebrat officia. In Suburbiis sunt Dominicani, Capucini, et Moniales S. Clarae, et duo Nosocomia. Quaestum habet ex frumentô, et lintei negotiatione, suntque in ea plures Coriarii et Pilearii.

* Jacobus Sirmondus, natus perhibetur Riomagi in Alverniâ an. 1559. et an. 1577. Societatem Jesu ingressus est, vir eruditissimus, quod ipsius prodsunt Opera. ultrà 40. Scriptores numerantur Ecclesiastici, quorum Opera notis illustravit, inter quae recensentur Concilia Gallica, Caroli Calvi Capitularia, et Theodosii Codex; quo palam fit, eum in antiquitatibus Ecclesiasticis et in utroque Jure apprimè versatum fuisse. obiit Parisiis ex ictero an. 1651. 93. annos natus.

§. VII.

65.

De Territoriô Cadomensi seu Bajocensi.

Territorium Cadomense seu Bajocense |: le Bessin:| à Cadomo |: Caën:| et à Bajocis |: Bayeux:| primariis Normanniae Inferioris Civitatibus nomen habet. Limites ejus sunt ad Orientem Lexoviensis Ager |: Le Lieuvin:| ad Meridiem Abrincatum |: L'Avranchin:| ad Occidentem Ager Constantiensis |: Le Cotentin seu Coutantin:| et ad Septentrionem Mare.

Dividitur in Superius et Inferius, Superius ad Orientem situ est juxtà Viriam |: Vire:| amnem; Inferius verò partem

ejus Occidentalem occupat à regione dicti fluminis.

Regio hæc penè tota conserta est pomis, è quorum arborum melapiis mustum exprimitur, quod Rothomagum et Parisios usque aquâ transvehitur. Hiems Clima satis temperatum est. Insulæ vivaces sunt et laboriosi. Solum verùs mare vireta habet, cæteroquin aliquantò rigidum est. In eo notatur

jò Cadomum seu Cadomus |:Caën:| prima post Rothomagum totius Normanniæ Civitas, et Inferioris Caput. Sita est ad confluentum Olinæ |:Orne:| et Odonis |:Odon:| fluviorum, sub 20. gr. 3. min. longit. et 49. gr. 10. min. latitud.

* Bajocensi Comitatu Villa, quæ dicitur Cathim super fluvium Obiæ, inquit Richardus III. Normanniæ Dux in Diplomate an. 1026. editô.

Olim vocabatur Cathim*, Cathem, Catheim, et Cathum, quæ ejusdem nominis varia sunt pronuntiationes, quod nomen partim Gallicum partim Saxonicum est, atque juxtà Borchardum Bellicam, juxtà Ituetium verò natu minorum fratrum |:Cadets:| habitationem significat: cùm ergò nomina Cathim et Cathem seu Catheim eadem sperent, ex Cathem Cahem, et tandem ex Cahem Caën factum est. Ridendi sunt, qui ex vocabulo Cadomum seu Cadomus similitudine

* Cadmus primus Thebarum Rex Agenoris Phœniciæ Regis filius. Hic, prout fingunt Poëtæ, patriam deseruit, ut sororem suam Europam à Jove raptam quæreret.

Cadmum*, dum sororem suam quæreret, hanc Urbem fundasse fabulantur; ut et aliqui quia Urbs hæc etiam Cæji Domus nuncupatur, volunt Julium Cæsarem, vel Cajum quendam Præfectum Domus Arthuri seu Arthi Britanniæ Regis, qui Sæculo VI. ab an. 516. usque ad an. 542. superfuit, et de quo multa fabulantur Poëtæ Itali, eam ædificasse.

Neque Historici neque geographi veteres ullam Cadomi mentionem faciunt, quod argumento est, illam, eâ, quâ Romani rebus Galliæ præerant, nondum extitisse, aut saltem Urbem haud adhuc fuisse; Verisimile tamen est eam primis Normannorum temporibus jam extitisse, Urbémque fuisse, quamvis illius initium præcisè non liatur.

Posita est Urbs ista in valle inter duo amplissima vireta quæ ad duos colles desinunt, abindè supra quos bina ejus Suburbia visuntur. Adest quoque Castellum Wilhelmi Nothi seu Conquestoris, ut creditur, Opus. Civitas hæc est celebre Emporium, et nonnisi duabus vel tribus leucis Gallicis à Mari distat, atque magno etiammum navesin Maris æstu super Olinam ad illius portas appellere valent. 35. vel 40. Insularum numerat millia, qui vivaces sunt et laboriosi.

Præter abbatias S. Stephani et S. Trinitatis Cadomi sunt septem Monialium Monasteria, et octo Virorum. Jesuitæ hîc habent Collegium, ut et Patres Oratorii. adsunt etiam Cœnobia; item communne Xenodochium; necnon duodecim Parochiæ.

Adest etiam celebris Universitas ab Henricô VI. Angliæ Rege, cùm adversùs Carolum VII. non modò Normanniâ, sed et fermè omnibus Franciæ provinciis potiretur, primùm erecta, et ab Eugeniô Papâ IV. annis 1437. et 1439. confirmata. At ubi Carolus VII. totâ Franciâ, adeoque et

Normanniâ Anglos expulisset, tùm hîc antiquatis iis omnibus, quæ ab iis factitata fuerant, an. 1452. novam Academiam fundavit, novisque donavit privilegiis: tria sunt ejus Collegia præter Jesuitarum Collegium. Illud ipsi deserere coacti fuerunt.

Adest etiam politiorum litterarum Academia jam annô 1674. à quibusdam eruditis virisclàm instituta, annô autem 1705. in eam, in quâ nunc extat, adducta formam et Statum, necnon Regiæ Academiæ titulô decorata.

Sæculô XVI. Bello Civili implicita fuit, atque in Hugonotorum potestatem venit, qui ibidem an. 1562. Religionem suam invexêre. Postmodùm tamen Regi se submiserunt Cives, illéque in ipsorum gratiam declarationem edidit circà conscientiæ libertatem.

Cæterùm Urbs ista magnos viros semper protulit, fueruntque in eâ, qui vel ingenii præstantiâ, vel scientiarum virtute, vel armorum fortitudine emicuerunt. Inter eos celebratur Petrus Daniel Huetius Abrincarum Antistes variis, iisque eximiis, Operibus clarus, qui an. 1630. 8. febr. hîc natus perhibetur, denatus verò Parisiis an. 1721. 26. Jan. ætatis suæ an. 91.

2.º Bajocæ |: Bajeux :| ad Auram |: Aure :| sita fluvium Civitas, milliari et mediô à mari distans, cum Castellô. Urbs antiqua, quæ nomen habere videtur à populis, qui in illius plagâ olim habitasse dignoscuntur, et quorum sub nomine Biducassium Ptolomæus meminit, et quos Plinius Viducasses nominat; quod nomen postèa in Bajocasses transmutatum fuit, prout indicant Ausonii versus:

Tu Bajocassis Stirpe Satus
Belleni Sacratum ducis è templô genus.

Incolæ laboriosi sunt et ad commercium idonei, at popularium suorum æmulatione continuò inter proprios limites coarctantur, Cadomique vicinia eis magno est detrimento.

Urbs hæc unà cum suis Suburbiis Septemdecim Parochias numerat, quamvis ultrà 1700. vectigales Incolas haud contineat. In eâ sunt Septem Monasteria, tres Virorum, et quatuor Monialium. Jesuitæ hîc etiam habent Collegium*, et Patres Missionis Sti Lazari Seminarium. Titulô Comitatûs gaudet.

* Illud desuêre tota Franciâ pulsi.

Habet quoque Sedem Episcopalem Metropoli Rothomagensi Subjectam. Primus eam tenuisse dicitur S. Exuperius seu S. Spira |: S. Spire :| cujus quindecim Successores Sanctorum Catalogo adscribi meruerunt.

§. VIII.
De Insulis ad Normanniæ littora collocatis.

Ad littora Normanniæ Occidua plures numerantur exiguæ Insulæ, quarum plerasque Angli jam ab antiquo tempore possederunt, necnon quamvis initiô Sæculi XIII. à Philippô Augustô Franciæ Rege Normanniâ expulsi, ac demiô Sæculô XV. quo unà cum Normanniâ totam ferè sibi subegerant Franciam, toto hoc regnô, proinde et Normanniâ, exturbati, semper retinuerunt, ac etiamnùm adhuc retinent. Undè mirum fuit, quòd Ludovicus XIV. Franciæ Rex, ubi totum terrarum orbem deglutire velle visus est, inter tot, quæ gessit, bella sanguinea Anglos has Insulas quietè possidere permiserit. Sunt autem sequentes Orinacum seu Auriniaca |: Origni seu Aurigni, Anglis Aldernay:| Garneseja |: Garnsey, Guernsey, Gernsey:| Cæsarea |: Jersey seu Jarsey, Anglis Gearsey:| Sarchia seu Sarconia |: Sark, Serke, item Cers:| Hæ quatuor Insulæ Anglis parent. Quintam addimus Calsejam |: Chausey:| quæ Gallorum est, at exigui momenti. Singulas expendimus.

1º Orinacum seu Auriniaca |: Origni seu Aurigni, Anglis Aldernay:| propè littus Occidentale Constantiensis Agri, quam ab eo exiguum duntaxat fretum sejungit. Maxima ejus longitudo est milliaris cum dimidiô, latitudo autem trium ferè milliaris quadrantum. Littus ipsius ad Septentrionem, Occidentem, et Meridiem rupibus et scopulis cingitur. Unicum habet oppidum in ipsius mediô collocatum, quod Urbs nuncupatur. Angli per nominis mutilationem eam etiam Orny seu Aurney vocant. Antiquis Ebodia et Riduna dicta fuit.

2º Garneseja |: Garnsey, Guernsey, et Gernsey:| 25. milliaribus à littore Constantiensi versùs Africum, et 45. à S. Maclovii Fanô seu Macloviô versùs Boream dissita est. Figuram citharæ seu Testudinis eam referre quidam volunt, alii verò dicunt eam pernæ similem esse. Tot nomina tàm latina quàm Gallica adepta est, quot auctores de eâ scripsêre. Nemo amplius dubitat, quin sit Jarnia, de qua Antoninus in suô Itinerariô meminit. 30000. passuum circiter est ejus longitudo, atque decem paroecias numerat. Habet portum, in quo quamplurimæ naves in anchoris possunt consistere. In eâ quoque est Civitas, quæ S. Petri |: S. Pierre:| dicitur, unà cum Castellô, quod Cornu seu Cucullus |: Cornet:| nuncupatur, atque positum est suprà saxum, quod, ubi mare æstuat, aquæ circumdant: illud ingredi nec ~~[illegible]~~ sequioris sexûs personis, nec ulli francigenæ permittitur.

Hanc Insulam natura rupibus ita vallavit, ut hæ ei

omnis munimenti locô sint: sub his rupibus Smyris inveni-
tur, lapis, quô utuntur aurifices ad polliendas gemmas, et
vitriarii ad fidendum vitrum. Nulla patitur venenata
animalia, et si quæ in eam deferuntur, statim emoriuntur.
Non tamen adeò salubri fruitur aëre; nec solum ejus æquè
fertile est ac Cæsareæ |: Jersey:| at commerciô, quod portûs
ipsius commoditas hûc attrahit, illâ ditior est.

Mauyerus |: Mauyer:| Archiepiscopus Rothomagensis in
hanc Insulam an. 1055. relegatus fuit, quòd Sede suâ indi-
gnum se præbuisset: hîc necromantiam exercuit, ac tandem
miserè periit aquis suffocatus. Hæc Insula, ubi Gal-
li et Angli inter se se belligerant, utrisque se præbet
amicam, idque ex privilegiô ab utraque natione hac ei
indultô.

3º Cæsarea |: Jersey seu Jarsey, Anglis Gearsey seu Ge-
arzey:| 20. milliaribus Gallicis à Garnesejâ versùs Euro-
notum seu Vulturnum, et littus Constantiense. In
eâ sunt duodecim paroeciæ, necnon Civitas, quæ Insulæ
Caput est Fanum S. Hilarii |: S. Hilaire:| dicta, cum portu,
quem moles lapidea tutum præstat, Castellúmque prote-
git. Ajunt in eâ 35,000. circiter numerari Incolas,
atque in necessitatis casu eorum 10,000. in aciem prodire
posse. Solum ejus amoenum est et fertile frumenti fe-
rax et herbæ, quâ multa armenta et oves aluntur; ha-
rum lana subtilis admodùm est et candida. Mare etiam
hîc in æstate magnam piscium, præsertim congruorum
et gammarorum, cæteris omnibus, qui in Angliæ littoribus
inveniuntur, pinguiorum et majorum copiam præbet.
Creminalium arborum penuriam patitur, undè Incolæ illa-
rum locô herbâ marinâ, quæ ibidem inter rupes et saxa
abundanter crescit, utuntur, quam linguâ suâ Vraie
nominant; creditur ea esse, quam Plinius Fucum mari-
num vocat: hâc, ubi ad solem sicata fuerit, ignem ex-
citant, ejusque postmodùm cineribus velut fimô agros
suos fœcundant. Quamvis mediana hujus Insulæ
pars paulò montosa sit, ipsa tamen præstantibus super-
bit arbustis. Incolæ originaliter nec Angli sunt
nec Normanni, nec Britones, sed Gallicè loquuntur;
nihilominùs ægrè ferunt, si quis eos Gallos nominet,
libenter verò Angli audiunt. Frequens est apud ipsos
tibialium negotiatio, necnon piscationi et agrorum
cultui incumbunt. Bufones, ~~qui~~ penè ~~[illegible]~~ innu-
meri Insulam hanc multùm infestant, nec quæque ad-
versùs eos adhibita remedia impedire possunt, quin
inferiora et solo contigua domorum cubicula subin-
trent.

4º. Sarchia seu Sarconia |: Sark, Serke, item Cers:| Sita est inter Cæsaream versùs Occidentem et Garnesejam versùs Meridiem. Admodùm parva, undique Saxis et rupibus circumdatur. Habet portum et exiguum Munimentum seu Castrum, ad quod nonnisi duæ personæ simul accedere valent. Ejus ambitus est circiter sex milliarium. In illam Joannes de S. Ollenô Cæsareâ oriundus, annuente Elisabethâ Angliæ Reginâ, coloniam deduxit, cum priùs deserta esset, nec quisquam hominum eam incoluisset.

Locus hic an. 1558. inopinatò à quodam Francigenâ occupatus fuit, et postmodùm à quodam Flandrô recuperatus: Hic prætexens se demortuum amicum in suâ navi habere, Castri Præfecto haud vulgare munus promisit, si illum in ipsius Castri Capellâ à se suisque sociis sepeliri permitteret; annuit ille eâ tamen conditione, ut viri, qui cum ipso erant, perlustrarentur et exarmarentur: at Sandapila armis oppleta erat, quibus ex eâ arreptis Francigenas expulerunt; qui verò, ut munus promissum reciperent, missi fuerant, Flandri jussu in navi detenti fuerunt captivi. Mediô Sæculi XVII. Insula hæc 50. familias numerabat. Aliqui volunt eam esse veterum Aricam, de quâ Antoninus in suô Itinerariô meminit. Ad partem illius meridionalem adhuc alia visitur Insula, quæ, quòd ipsâ minor adhuc sit, parva Sarchia vocatur.

5º. Calseja |: Chausey:| duobus exiguis milliaribus à Grandevillâ |: Granville:| cui Occidentalis est, et fermè media inter Insulam Cæsaream, et Montem S. Michaëlis. Rupibus et Saxis cingitur, et Gallorum est.

Olim multorum Eremitarum Sedes fuit, qui locum hunc sibi elegerant, ut procul à mundi tumultu et contuberniô vitam agerent contemplativam; postmodùm ibidem Abbatia fuit excitata, de quâ nihil certi referri potest: id duntaxat memoriâ proditum est, scilicet Philippum VI. Valesium Franciæ Regem an. 1343. hanc Insulam Franciscanis donô dedisse, ut in eâ Monasterium construerent. Cùm autem posteà Angli Insulam hanc et Monasterium binâ vice expilassent, hujusmodi oppidò incommodarum salutationum pertæsi Monachi, relictâ hac Insulâ ad continentem se recêpere, atque propè Grandevillam consederunt.

Circà præteriti Sæculi medium hic adhuc exiguum extabat munimentum, cujus modò unica domus residua est, in qua demorantur Operarii, qui cæsios lapides eruunt, ii Grandevillam et Maclovium transvehuntur, atque ibidem in construendis ædificiis adhibentur. Interdum tempestatum et procellarum vis Scaphas cogit apud hanc Insulam perfugium aliquod quærere.

Caput ~~Sectio~~ VI.
De Picardiâ.

Picardia seu Piccardia |: La Picardie :| una inter præcipuas Franciæ Præfecturas diu velut promurale Parisiorum et ipsius Franciæ Regni habita est, priusquam nempè Reges Ludovici XIII. et XIV. Belgii partem aliquam occupaverint, cui ipsa est contermina.

Picardiæ nomen antiquum non est, nec illius ante Sæculi XIII. finem, ubi Wilhelmus Nangiacus |: Guillaume de Nangis :| regionem hanc ita nuncupavit, q At Picardi nomen paulò antiquius est, jamque Sæculis XI. et XII. usurpatum, quamvis utriusque hujus nominis origo incerta admodùm videatur. Quidam arbitrantur nomen istud ab hastâ seu lanceâ, gallicè pique, et quam barbara et humilis illorum Sæculorum latinitas picam dixit, provenire, quòd hujus provinciæ populi hastæ seu picæ arma fuerint: hæc tamen opinio minùs fundata videtur; enimverò hac de re nihil apud veteres Scriptores; præterea non videtur, cur populus iste præ aliis in bellô hastis usus, hastatusque miles Picardus duntaxat dictus fuerit. Alii verisimiliùs censent nomen istud à verbô Gallicô piquer, idest, pungere, quod per metaphoram apud ipsos idem significat ac offendere, choquer, offenser, derivari, illudque hujus regionis populis datum fuisse, quòd facilè et vel ex minimâ causâ offendantur, atque irâ excandescant, proniqúe et promti sint ad rixas et jurgia. Nomen istud primò Parisiis, ubi Picarda natio sub Philippô Augustô notat erat, usurpari coepit, præcipuè autem in Universitate, cujus cæteri Alumni Studiosos Picardiâ oriundos eis rixosum genium suum, quo minimâ etiam re graviter offendebantur, exprobraturi Picardos |: Picards :| appellarunt, terminatio enim ard linguâ Gallicâ iis tribuitur nominibus, quæ genium, caracterem, et vitia denotant, ut e.g. languard, babillard, bavard, boutard, goguenard, musard, paillard, bâtard, trichard, guichard, giflard, louchard, cornard, faitard, gaillard, couard, p. Matthæus Paris* tumultuationem an. 1229. Lutetiæ cives inter et Clericos seu Universitatis Studiosos excitatam memorans, Qui, inquit, seminarium tumultuosi certaminis moverunt, erant de partibus conterminis Flandriæ, quos communiter Picardos nominamus.

Hujus nominis usus postmodùm per totam Franciam propagatus est, atque deinceps hujus regionis Incolæ communiter Picardi dicti fuerunt, eorumque regio Picardia.

Picardi bellô celebres hodiedum adhuc eâ animi fortitudine præditi sunt, quam in Belgis Cæsar olim expertus est; equitatum peditatu, quem satis refugiunt, magis æstimant. Ut summatim de Picardis

q ullum reperitur monumentum.

* Matthæus Paris seu Parisiensis Monachus Benedictinus S. Albani in Angliâ Scriptionibus suis immortale sibi peperit nomen; Architectus, Mathematicus, Poëta, Orator, Theologus, et Historicus fuit præstantissimus. Ordinem S. Benedicti ingressus est an. 1227. et præcipuè floruit ab an. 1245. usque ad an. 1259. quo vitâ functus est.

Inter alia eximia Opera Scripsit Historiam à Mundi primordiis usque ad Henricum III. Angliæ Regem, quam in duas partes divisit, eamque Historiam majorem nuncupavit, ad distinctionem illius compendii, quod Historiam minorem vocavit. Sedi Romanæ eum haud affectum fuisse scribit Baronius.

loquamur, à naturâ desides, et à necessitate laboriosi, ægrè statum et conditionem mutant, paucique sedem suam deserunt, ad opimam fortunam adipiscendam nec satis patientes sunt, nec satis dociles; ampliorisque fortunæ locô ipsis sua est oeconomia. Sinceri sunt, aperti, sed et vultuosi; propriæ opinionis tenaces, et in suis propositis constantes.

Picardiam multæ antiquæ nobilitatis familiæ decorant, quamplurimosque Scientiarum et artium virtute præstantissimos viros protulit, et etiamnum adhuc profert.

Ejus limites sunt ab Oriente Campania; à Meridie Insula Franciæ; ab Occidente Normannia et Mare Britannicum; et à Septentrione idem Mare et Belgium. Ejus longitudo à Septentrione ad meridiem est 44. milliarium gallicorum seu leucarum; latitudo ab oriente in occidentem 15.

Principui illius fluvii sunt Oesia, seu Esia, vel Isara |: L'Oise:| Somona, seu Soma, vel Samara |: La Somme:| Authia, Alteja, seu Altilia |: L'Authie:| et Cancius, seu Cantius, vel Quentia |: Le Canche.

Solum ejus planum est et satis æquum, frumenti, fructuum, et pascuorum ferax et dives, at vinum, propter climatis algorem non profert. Hic etiam ligna rara et cara sunt; undè ii, quibus exiguæ sunt facultates terrâ seu glebâ fossili ignem excitant. In comitatu Boloniensi duæ sunt fodinæ carbonum bituminosorum; at hi non ita calefaciunt, ac Anglici. Maris vicinia, navigabiles fluvii, et Incolarum solertia celeberrimum in hac provinciâ efficiunt commercium; variáque Opificia innumeras penè utriusque sexûs occupant et enutriunt personas.

Hæc provincia seu Præfectura tripliciter generatim dividitur, in Superiorem scilicet, Mediam, et Inferiorem: Superior Oesiæ seu Isaræ, Media Somonæ, et Inferior Maris littori adjacent. Speciatim autem in octo minores provincias distribuitur, quas singulis §§. expendimus.

68. §. I.

De Ditione recuperatâ.

Ditio recuperata |: Le Païs reconquis:| sic dicta, quòd cùm ab anno 1347. à reliquâ Picardiâ regnóque Franciæ avulsa et Anglorum facta fuisset, tandem an. 1558. iis erepta et denuò Franciæ asserta fuerit, postquam scilicet per 200. fermè annos Angli eam possedissent. In duos exiguos duntaxat comitatus dividitur, Oviensem nempè |: Oye:| et Guinensem |: Guines:| illius longitudo est quatuor milliarium, latitudo autem trium: istius verò longitudo quatuor, et latitudo totidem.

Totius hujus recuperatæ Ditionis limites sunt ab Oriente ambo Comitatus flandriæ et Artesiæ |: Les Comtés de flandre et d'Artois:| à Meridie Comitatus Bononiensis |: Le

Comté de Boulogne :/ et ab Occidente ac Septentrione fretum Caletanum |: Le Pas de Calais :|

1.º In Comitatu Oviensi occurrit Caletum |: Calais :| Urbs cum Arce, ambæ munitissimæ, et portu maris. Sita est ad littus freti Britanici |: la Manche :| ubi illud est angustissimum, atque ideò à Gallis per metaphoram Passus Caletanus |: le Pas de Calais :| nuncupatur, quasi velut unius duntaxat passûs ejus latitudo esset. Et verò fretum istud brevissimam pandit viam è Franciâ in Angliam, ut quod nonnisi sex aut septem milliaria latum sit, adeò, ut aëre coelóque serenô è Caletô Anglica littora perfectè dignosci possint.

Civitas hæc seu Portus tribus milliaribus à Gravelingâ |: Gravelina :| et septem à Bononiâ |: Boulogne :| distat. Mari et paludibus penè cingitur, necnon clavis est Franciæ versùs Angliam et Belgium. Nomen habet ab antiquis regionis suæ incolis, qui Caletes nuncupabantur, quique, ut quidam volunt, à Sequanâ ad Agnionem seu Eunonem |: Aa, Agine :| fluvium usque sedes habebant. Olim nonnisi pagus erat Comitatûs Bononiensis. An. 1228. Castellô muniri coepit, an. 1308. moenibus eum cinxit et Civitatem fecit Philippus Franciæ Princeps ac Bononiæ Comes, qui post mortem fratris sui Ludovici X. sub nomine Philippi V. regni coronam adeptus est, atque Rhemis an. 1317. 6. Jan. unctus in Regem. An. 1347. adeò munitionibus auctam hanc Civitatem invenit Eduardus III. Rex Angliæ, ut nonnisi famis conditione illam obtinere valuerit. In Anglorum potestate permansit usque ad an. 1558. quò Franciscus Guisiæ Dux mense Januariô eis illam denuò eripuit. Equidem an. 1596. Albertus Austriæ ~~Austriæ~~ Archidux illam cepit; at post duos annos in pace Vervinensi Henrico IV. Franciæ Regi restituta fuit. An. 1665. 16. et 17. Augusti Angli injectis quamplurimis ollis ignariis |: Bombes :| eam penè devastârunt.

Situs suus, ut quæ Angliæ et Belgio vicina omninò est, spectabiliorem efficit, quàm Incolarum numerus, ut qui ultrà 5000. haud sint. Unicam habet parœciam, et quatuor Monasteria. Tempore pacis singulis hebdomadibus duo tabellarii |: Jaquet-Bottr :| ab Angliâ huc adventant, et hinc illuc redeunt. Unà cum Castellô suô quadrati oblongi figuram refert. Portus ejus multis incommodis obnoxius est; enimverò nulla navis sine magnô periculô ad eum appellere valet, nulla etiam moles seu crepido adest, nec locus satis aptus, ut in eo navigia tutè consistere possint. At contrà Canalis, qui Caletanus dicitur, huic Civitati magnæ utilitatis est et commodi, eo namque mediante ipsiusque ope Andomaropolim |: S. Omer :|

Gravelingam, Dunquercam, Montes |: Mons:| Ipram usque vela fieri possunt. Quidam Scriptores arbitrantur Caletum esse Portum Jecium Veterum.

2º In Comitatu Guinensi occurrit Guina, seu Guinæ, et Gisnæ |: Guines:| hujus Comitatûs caput, et à quâ et ipse nomen habet; angusta satis urbs in solô uliginosô, duobus milliaribus à Caletô, et totidem à Mari posita. Olim Pagus duntaxat fuit, quem Sisifridus primus Guinæ Comes auxit, munivit et civitatem fecit.

3º Ardrecium seu Ardra |: Adres:| munita civitas in mediô paludis collocata, duobus milliaribus à Guinâ, et tribus à Caletô, et totidem à Mari. Dividitur in Superiorem et Inferiorem. Olim campus hic erat armentorum pascuis destinatus unà cum tuguriô aliquo seu domo, ac primùm an. 1070. Arnulphus civitatem hanc in eo ædificavit. Antehac Franciæ claustrum erat et promurale versùs Belgium. Eam an. 1596. Albertus Archidux Austriæ ~~[illegible]~~ occupavit, at postmodùm à Gallis recuperata fuit. Modò quia Galli limites suos in Belgium ipsum propagârunt, exigua admodùm habetur illius ratio. Inter eam et Guinam an. 1520. Franciscus I. Galliæ, et Henricus VIII. Angliæ, Reges convenêre, et confectis, ob quæ convenerant, inter se se negotiis convivia sumtuosissima necnon ludrica certamina seu Trojamina, quæ medii ævi barbara latinitas Torniamenta dixit, instituerunt tantâ magnificentiâ et pompâ, ut omnia aurô niterent, et locus ille deinceps aurei textilis campus |: le camp de drap d'or:| nuncupatus fuerit.

4º Vissana seu Visana |: Vissan vel Visan:| Urbs exilis ad sinistram Guinæ; at ex eo memorabilis, quòd, prout plerique Scriptores testantur, ex ejus portu, qui antiquitùs Portus Jecius seu Riccius dicebatur, Julius Cæsar solvens in Angliam transfretârit. Sunt quidem qui Portum Jecium Caleti, alii Bononiæ, alii verò Mardici collocant: at verius Vissanæ collocatur.

69. ~~[illegible]~~

§. II.

De Comitatu Bononiensi.

Comitatus Bononiensis seu Boloniensis |: le Boulenois vel Boulonois:| olim pars veteris Flandriæ Comitatûs, partem Picardiæ septentrionalem occupat à Cantiô seu Quentiâ |: Cange:| flumine usque ad Belgii confinia. Longitudo ejus est circiter 12. milliarium latitudo 8. Ducum Burgundiæ antehac fuit; sed Carolô Audaci ultimô Burgundiæ Principe sine heredo masculô demortuô Ludovicus XI. illum, quòd Regum Franciæ feudum esset, sibi asseruit, et coronæ suæ adjunxit. In eo hic notatur

Bononia seu Bolonia |: Boulogne seu Bologne:| Caput Comitatûs, quæ et eidem nomen tribuit. Sita est

Urbs hæc in littore freti Britannici seu Manicæ |: la Manche:| ad ostium Lianæ |: Liane:| fluvii exigui, unà cum Portu. Vetus nomen ipsius est Gesoriacum seu Gisoriacum, et Gesoriacus Portus, quem Ptolomæus inter Portum Iccium et Scaldis |: l'Escau:| fauces collocat; postmodùm sub Constantinô Imperatore Bononia nuncupata fecit; nam Eumenius, qui in panegyri Constantii Chlori illam Gisoriacum Gesoriacenses muros, Gesoriacense littus appellat, deinde in panegyri Constantini Bononiensis Oppidi littus nominat.

Bifariam dividitur scilicet in Superiorem et inferiorem, hanc Mercatores incolunt, quòd in eâ negotiationi commodius vacare possint, habetque Ecclesiam parochialem, quæ S. Nicolai dicitur: Superior magnificis et perpulchris ædificiis ornata est; in eâ est Ecclesia Cathedralis B. V. Mariæ dicata.

Bononiæ aliquot utriusque sexûs Monasteria numerantur. Patres Oratorii ibi domum habent, in quâ Humaniora et Philosophiam docent. Adest etiam Seminarium, cui Patres Missionis S. Lazari præsunt, et Xenodochium. Illius Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Rhemensis. Aderat quoque turris, quæ Portum protegebat, et ex quâ signum dari consueverat; hæc ante annos aliquot corruit, ejusque locô exiguum munimentum erectum est.

Antehac Claustrum seu promurale erat versùs Belgium. An. 1544. Henricus VIII. Angliæ Rex eam occupavit, at an. 1549. pace constitutâ Henrico II. Franciæ Regi reddita est.

§. III.

De Ponticô.

70.

Comitatûs hujus varia sunt nomina, ut Pontinia, Pontificium, Pontificum, Pontivensis Comitatus, Comitatus Ponticus; communiter tamen Ponticum |: le Ponthieu:| dicitur. Antiquitùs Pagus Ponticus vocabatur. A Somonâ |: Some:| protenditur Cantium seu Quentiam |: Cange:| fluvium usque. Nomen habet à multitudine pontium, qui in eo occurrunt.

Post mortem Caroli cognomento Audacis Burgundiæ Ducis, ad quem Regio hæc spectabat, qui propè Nancejum in prælio cum Helvetis initô 5. Januarii an. 1477. nullo herede masculô post se relictô occubuit, Ludovicus XI. Comitatum hunc coronæ suæ adjunxit, ut qui illius feudum masculum fuerat.

Olim in hoc Comitatu celebris et notissima Urbs extitisse memoratur unà cum portu, quæ à Cantiô seu Quantiâ Quentidocus, Quantivicus, idest, Quantiæ vicus |: Quantavic, Quentovic:| nuncupabatur, quod ad Quantiæ, è regione Stapularum seu Stabularum |: Estaples:| olim Civita-

tis nunc verò Oppidi duntaxat sita esset eo loco, ubi nunc Monasterium Cella S. Jodoci |: S. Josse:| dictum visitur. Annales S. Bertini memorant, quòd an. 842. Normannorum exercitus ad locum venerit, in quo ampla erat negotiatio et commercium, quique Quentovicus vocabatur. Urbs ista celebris quoque erat ex eo, quòd sola monetæ cudendæ privilegiò gauderet: In nullo alio locò |: inquiunt Capitularia Caroli Calvi:| moneta fiat, nisi in Palatiò nostrò Quentovicò. Illius quædam adhuc extant rudera.

Regio hæc frumenti, fructuum, et pecorum dives est, necnon navalis commercii commoditate fruitur. In eâ hîc notantur sequentes civitates

1º Abbatisvilla, seu Abbavilla |: Abbeville:| totiùs Comitatûs Metropolis. Sita est ad ripam Somonæ |: Somme:| sub 22. gr. 55. min. longit. et 50. gr. 20. min. latit. duobus milliaribus à S. Riquierô |: S. Riquier:| et quatuor à S. Valericô |: S. Valery:| quinque à Blangiacô seu Blanziacô |: Blangy:| et totidem ab Aucco |: Eu:| ac Mari; à Parisiis verò 34. versùs Boream, et ab Ambianô |: Amiens:| 10. versùs Occasum.

Somona eam bifariam dividit, pars una Belgium respicit, altera Normanniam. Munimentis latisque fossis instructa est, et quia nunquam ab ullo hoste occupata fuit, Regionis Virgo nuncupatur, seque ipsam in suis titulis semper fidelem nominat. Tria suburbia ei adjuncta sunt, et per quatuor duntaxat portas ad eam patet aditus.

Initiô nonnisi Villa erat Abbatiæ S. Riquieri propria, undè et Abbatisvillæ nomen ei inditum est, ex quo Gallicum Abbeville effictum. Postmodum hîc pluribus accedentibus familiis Oppidum facta est, atque tandem in Urbem excrevit adeò amplam, ut vix decem aut duodecim totâ Galliâ reperiantur, quæ illam magnitudine superent vel exæquent. An. 1636. triginta quinque vel quadraginta Incolarum millia numerabat. Duodecim sunt in eâ Ecclesiæ parochiales, quarum una, quæ S. Ulfrani magni dicitur, est Collegiata.

Situm habet ad commercia percommodum, eò quòd Somona hîc magna navigia sustineat. Præstantia etiam adsunt Opificia panni, qui Anglico et Hollandico vix palmam cedit, item rudis lintei, &c. Celebres quoque viros protulit, inter quos recensentur Nicolaus Sanson, qui an. 1667. mortalitatem exuit; ejus filius Guillelmus Sanson; Petrus du Val; et P. Philippus Brietius, qui an. 1669. è vivis excessit: hi omnes celebres fuêre Geographi.

2º Monasteriolum seu Monstrolium |: Montreuil, Montrevil, seu Montrevil sur Mer:| Urbs sita ad partem meridionalem Quentiæ seu Cantii |: le Canche:| tribus circiter à Mari milliaribus; undè mirum videri potest,

quòd nihilominus Galli eam Monstrolium ad mare vocent; Montreuil sur mer. Nomen habere videtur a Monasteriô S. Salvi |: S. Sauve: Benedictinorum, quod intrà illius continetur moenia. Murus eam in Superiorem et inferiorem dividit. In illius extremitate positum est Castrum oppidò munitum, nec ipsa propugnaculis caret. In ea ultrà quindecim Incolarum millia numerantur.

Praeter Monasterium S. Salvi, adsunt etiam alia Monasteria, ut S. Austreberti Monialium S. Benedicti, Carmelitarum et Capucinorum; Octo Parochiae, quarum duae extrà muros sunt, item Ecclesia Collegiata. Quidam arbitrantur Monstrolium esse Lutomagum Veterum.

3ò Creciacum, seu Cricciacum, et Carisiacum |: Creci et Crecy, seu Cressi en Ponthieu:| Urbs ad Septentrionem Abbavillae posita. Olim nonnisi viculus fuit celebris tamen ob insignem victoriam, quam an. 1346. 26. aug. Angliae Rex Eduardus III. de Gallis sub Philippô VI. Valesiô ibidem reportavit, ubi usque triginta Gallorum peditum millia, et equitum duodecim millia interfecta, et octoginta vexilla capta fuêre; atque Joannes Rex Bohemiae, Carolus Comes Alenconius Regis Philippi frater, Ludovicus Comes Flandriae unà cum aliis decem aut duodecim primae notae Comitibus occubuêre.

§. IV. 71.

De Vimesiô

Vimesium seu Pagus Vimacensis vel Vinemanus |Le Vimeu vel Vimeux:| Angusta Regio Somonam inter et Bresiam fluvios constituta Olim Centulensis seu Centuli Coenobii |: Centule:| ditio. In eâ hic notatur

Fanum S. Valerici |: S. Valery:| Urbs haec sita est ad fauces Somonae, ubi haec in mare influit, quatuor milliaribus ab Abbavillâ. In ea ter mille ducenti octoginta numerantur Incolae. Nomen habet à Monasteriô S. Valerici*, quod antiquitùs Leuconaus vocabatur. Ordericus Vitalis, qui saeculo XII. scribebat locum hunc Legonaum nuncupat. Habet Portum, in quo frequens et pretiosa exercetur variarum mercium negotiatio; quamvis propter Syrtes, quae juxtà ventos et aestus continuò locum mutant, adeum periculosissimus sit accessus ità, ut nisi cum expertissimô Regionis hujus navarchô illum ingredi minimè consultum sit.

* S. Valericus Alverniâ oriundus saeculô VII. floruisse perhibetur.

§. V. 72.

De Agrô Ambianensi.

Ambianensis Ager |: L'Amienois:| Satis angustus est; Somona illum media perfluit; confinis est versùs Septentrionem Artesiae |: Artois:| versùs Orientem Sanaterrae seu Santeriensi Agro |: Santerre:| versùs Meridiem Bellovacen-

si Agro |: Beauvoisis :| et versùs Occidentem Pontico et Vimesio. Regio hæc fertilis est, et aliùs Picardia propria vocatur. In ea notantur sequentes Urbes.

1º Ambianum |: Amiens :| à populis, qui olim hîc loci consedêre, et Ambiani dicebantur, sic nuncupata. Caput est totius Picardiæ, ad ripam Samonæ, 28. milliaribus à Parisiis, 14. ab Atrebato |: Arras :| et 10. ab Abbavillâ. Ampla est et venusta. Antiquitùs etiam Samarobriva seu Samarobriga dicta est à Samonâ fluviô, cujus vetus nomen ~~fuit~~ Samara fuit, quod postmodùm in Suminam, ac denique in Samonam mutatum est; residuum hujus antiquis nominis scilicet duæ ultimæ syllabæ Briva Brica seu Briga sunt diversæ enuntiationes Celtici vocabuli, quod pontem significat, et ea quo etiam Germani vocem Brück seu Brücke, et Angli Bridge, Belgæ Brug seu Brugge servaverunt. Undè notandum in geographiâ venit, quod omnia vocabula, quæ in Brica, Briga, seu Briva desinunt ea loca indicent, quæ ad ripam fluminis alicujus posita sunt, cui pons superstructus erat, aut etiamnum nunc est, qui pons vel transitus occasio fuerit urbis ædificandæ.

Verùm ut Ambianum redeamus, Urbs hæc in Cæsaris Commentariis, et apud alios antiquos Scriptores celebratur velut Metropolis Ambianorum populorum, qui ad Oceanum usque sedes suas porrigebant, necnon ad Belgium secundum pertinebant. In eâ triginta quinque Incolarum millia numerantur. Quinque portas habet et Suburbium. Et quamvis olim multa mala ab Alanis, Vandalis, Normannis, et an. 920. ab incendiô perpessa sit, attamen Reges Franciæ, qui sæpiùs in eâ Regiam tenuerunt, illam denuò restaurârunt et erexerunt. an. 1597. ab Hispanis Stratagemate occupata fuit; sed brevi post Henricus IV. eam recuperavit.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Rhemensi subjectam. Primus hîc Episcopus fuisse perhibetur S. Firminus; Pampelonâ oriundus dicitur, atque circà finem sæculi III. indè huc venisse, primusque in hac Urbe Christum prædicasse. Quod si ita sit, alius esse debet ab illo S. Firminô, qui jam Apostolorum tempore primus Pampelonæ Episcopus fuisse narratur.

Præter Ecclesiam Cathedralem decem in hac Urbe numerantur Ecclesiæ parochiales, in Suburbiô una, et tres in ejus conterminis, quæ eidem annumerantur. Plura item utriusque sexûs Monasteria et Abbatiæ. Jesuitæ hîc etiam habent Collegium, in quo Humaniora, Philosophiam et Theologiam docent*. Seminario præsunt Patres Missionis S. Lazari. Adsunt etiam duo Nosocomia commune unum, alterum pro solis ægrotis.

* Nunc alii Collegium istud occupant.

Ambianum est quoque patria multorum Scientiarum

virtute celebrium virorum. Inter alios numerantur Jacobus Sylvius sub finem saeculi XV. natus, Regius Medicinae Professor Parisiis, ibique an. 1555. an. aetatis suae 63. demortuus. Joannes Riolanus celebris quoque Medicus eodem fermè, quo prior, tempore floruit, obiitque an. 1605. 18. octob. habuit filium ejusdem secum nominis et professionis anatomicis quibusdam Operibus percelebrem, hic in provectâ aetate obiit an. 1650. Vincentius Voiture Gallicanae Academiae Parisiensis ornamentum, et ob ingenii sui perspicacitatem Regi gratus. Jacobus Rohaltius |: Rohaut :| cursu Philosophicâ, quem juxtà magni Cartesii principia edidit sibi nomen immortale peperit; obiit Parisiis an. 1675. 55. annos natus.

2º Pequiniacum seu Piquiniacum |: Pequigni :| Urbs ad ripam Samonae inter Abbavillam, et Ambianum à quo tribus milliaribus distat. Celebris est ob mortem Guillelmi cognomentô Longi gladii Normanniae Ducis fraude Theobaldi Comitis Carnotensis in eâ interemti. Item quòd Angli illius, Urbis scilicet, nomen enuntiare haud valeant. Tempore belli Anglici spectabilis erat, atque propè eam eorum exercitus caesus fuit. Habet Ecclesiam Collegiatam, cujus S. Martinus est patronus. Hîc etiam gleba fossilis reperitur, quâ Incolae ignem excitant. Quidam voluêre Macedonem quemdam nomine Picnonem seu Pincinium hujus Urbis jecisse fundamenta: at haec opinio non nisi nominis analogiam pro fundamentô habet.

3º Contiacum seu Contium |: Conti vel Conty :| Oppidum ad ripam Sellae |: Selle :| positum non procul ab Ambianô. De eo nihil hîc venit memorandum nisi quòd ab eodem quaedam Regii Sanguinis prosapiâ nomen habeat, eique dominetur.

§. VI. 73.

De Agrô Santeriensi.

Ager Santeriensis, seu Sanaterra, ab aliquibus Sanguitersa |: Santerre :| Situs est inter Agrum Veromanduanum |: Vermandois :| ad Orientem, et Ambianum ad Occidentem. Frumenti dives est. In eo notatur

Peronna |: Peronne :| Urbs munita, quae Virgo nuncupatur, quòd nunquam ab ullo hoste occupata fuerit. Sita est ad Septentrionalem Somonae ripam novem milliaribus suprà Ambianum, in locô peropportunô inter paludes, quae unà cum ejus propugnaculis omnium totius Picardiae Urbium munitissimam efficiunt. Jam aetate Merovingorum Regum nota fuit, ut qui in eâ palatium habuerint. Hîc Carolus III. Franciae Rex cognomentô Simplex ab Heri-

bertô Comite Vermanduanô custodia municipatus fuit, ubi et post sex annorum captivitatem diem Supremum obiit 7. octob. an. 929. ætatis suæ 50.mo Jn hac Civitate ultrà 17000. Jncolarum numerantur. Habet Ecclesiam Collegiatam, tres parochiales, et Collegium, quod Patres Trinitarii possident. Speciali Jure municipali gaudet. Jn ipsius vicinià Linteum in magnâ copiâ conficitur, quod singulis annis in illâ venum exponitur. An. 1536. Henricus Comes Nassoviensis cum validô exercitu eam obsedit, at Jncola tàm strenuè ei obstiterunt, urbemque suam defenderunt, ut obsidionem solvere ac re infectâ discedere coactus fuerit.

§. VII.

74. [illegible]

De Agrô Veromanduensi.

Ager Veromanduensis seu Vermanduanus |: le Vermandois :| Ducatûs et Pariatûs titulô gaudet. Limites ejus sunt versùs Septentrionem Tractus Cameracensis, versùs Orientem Teorascia |: Tierache :| versùs Meridiem Ager Noviodunensis, et versùs Occidentem Santerciensis.

Regio hæc plaga partem continet, quam olim Veromanduì populi possidebant, quorum nomen ipsa retinuit.

Sub celebribus Vermanduanis Comitibus ea prosapiâ Bernardi Caroli Magni ex Pipinô ejus filiô nepotis quondam Italiæ Regis ortum ducentibus, quique sub finem secundæ et initiô tertiæ Regum Franciæ Stirpis potentissimi ipsorum fuêre fiduciarii, seu, ut ajunt, Vasalli, hujus Civitatis major erat ambitus, quam nunc sit. Horum Comitum Stirpe masculâ extinctâ Regionem hanc Philippus augustus Franciæ Rex an. 1194. Coronæ denuò adjecit: postmodum ad Ducatûs et Pariatûs dignitatem evecta est.

Frumenti ditissima est, atque speciatim optimum profert linum, ex quo linteum in magnâ copiâ conficitur. Somona, quæ ibidem oritur, eam perfluit. Jn eâ notatur hîc

Ganum S. Quintini, seu Quintinum, et Quintinopolis |: S. Quintin vel S. Quentin :| Urbs in paulò eminentiori loco ad ripam Somonæ sita seu milliaribus à Peronnâ, quinque à Guisâ, et triginta à Parisiis; ampla est, et munita 7740. continens Jncolas, qui propriô municipali Jure fruuntur. Antiquitùs Augusta Veromanduorum nuncupata fuit, eratque horum populorum Metropolis, necnon Sedes Episcopalis; at postquam Barbari illam expilavêre, S. Medardus, qui tunc ibidem Antistes erat, an. 531. Noviodunum, quæ secunda Veromanduorum Civitas dicebatur, secessit, illòque Sedem Episcopalem transtulit. Postmodum S. Quintini, qui in eâ martyriô corona-

tus est, nomen assumsit. Hujus S. Martyris corpus in Templô Monasterii Benedictinorum ibidem quiescit, quod et ipsius nomen gestat.

Annô 1557. Hispani Urbem hanc assultu ceperunt post initum cum Gallis ad ejus moenia propè S. Laurentii Monasterium prælium, in quo Galli cæsi fuerunt, plaráque illorum nobilitas aut capta vel deleta fuit. Durante obsidione idem monasterium seu Ecclesiam demolitus est Philippus II. Hispaniarum Rex, et eo loco sedem tormentorum, quibus urbs quateretur, collocavit, simulque votum edidit, se in honorem S. Laurentii in Hispaniâ aliud Monasterium et Ecclesiam longè magnificentius excitaturum: fidem datam liberavit, atque Scoriacum |: Escuriale :| tota Europa celeberrimum Monasterium septem milliaribus Hispanicis à Madritô dissitum extruxit.

§. VIII.

De Teorasciâ.

Teorascia seu Theorascia, vel Tirascia, et Ducatus Tiraschensis |: Thierasche vel Thierache :| Limites ejus sunt ad Septentrionem Hannonia et Ager Cameracensis; ad Orientem Campania |: la Champagne :| in quam pars quædam hujus provinciæ porrigitur; ad Meridiem Ager Laudunensis; et ad Occidentem Veromanduensis. Ducatus titulo gaudet, frumenti admodum ferax est, optimáque habet pascua. occurrit

1º Guisa |: Guise :| civitas exigua provinciæ caput ad ripam Æsiæ seu Isaræ |: Oise :| posita unà cum Castro munitissimô. Dividitur in Superiorem et Inferiorem, duóque ei adjacent Suburbia. In ea extant Ecclesia Collegiata et Minimorum Monasterium. Urbis hujus primùm sub finem Sæculi XI. monumenta quædam meminerunt, in quibus Gusia seu Gusgia dicitur. An. 1527. Franciscus I. Franciæ Rex Claudio Lotharingo Comiti de Albamarlâ |: Aumale :| eam unà cum tota provinciâ, quæ satis ampla est, atque limites suos non modò in Picardiâ continet, sed etiam, ut suprà dictum, in Campaniam porrigit, et de cujus proprietate et possessione lis inter ipsos erat, ultrò cessit, illumque Ducem Guisiæ et Franciæ Parem dixit, undè ejus posteri Duces Guisiæ dicti sunt, quorum prosapiâ penitùs extincta est in Principe Francisco Josephô, qui 27. Aug. an. 1670. natus, 16. Martii an. 1675. vivere desiit.

Fervescente Carolum V. Imperatorem inter et Franciscum I. Galliæ Regem bellô, multis ærumnis afflicta fuit hæc civitas. An. 1536. assultu capta fuit. An. 1543. Hispani eam adorti sunt, at de adventu Francisci I. certiores facti, abeâ recesserunt, Galli eos persequentes illorum extremum agmen attigerunt, atque ex eo 2000. hominum interemerunt, pluresque

alios captivos abduxerunt. An. 1650. Hispani sub Archiduce Austriæ Leopoldô eam et exteriori castri ejus propugnacula assultu ceperunt; ~~[illegible]~~ et commeatûs, quo Galli eos intercluserant, penuriâ recedere cracti sunt.

2°. Verbinum, Verbimum, Verbium, Verbinium, Vervinum, et Vervinium |: Vervins seu Vervin:| vetus et parva Civitas Capellam |: Capelle:| inter et Marliam seu Marlam |: Marle:| nec procul à Guisiâ situm habet. Illius meminit historia propter pacis tractatum ibidem 2. maji an. 1598. inter Henricum IV. Galliæ, et Philippum II. Hispaniæ Monarchas conclusum; id circà illum memoriâ dignum est, quòd, cùm Galliæ Reges hactenus partes honoratiores seu præeminentiam suprà Hispaniarum Monarchas pertendissent, hîc tamen Franciæ Ministris seu Legatis nequicquam contradicentibus pacis instrumenta sic confecta fuerint, ut in eorum quolibet illius, cui extraditum fuit, Regis nomen superiorem locum obtineret.

Hîc frequens est frumenti commercium, adsunt etiam panni communis, lintei, et aliorum operum textilium Opificia.

76. ~~[illegible]~~

Caput ~~[illegible]~~ VII.
De Campaniâ.

Campania seu Campaniæ |: La Champagne:| una ex duodecim majoribus Franciæ Præfecturis seu Provinciis ab amplis et fertilibus campis, qui maximam illius partem occupant et conficiunt sic dicta, posita est sub 32. gr. 30. min. longit. et inter 47. gr. 30. min. et 50. gr. 10. min. latitudinis. Limites ejus sunt ad Septentrionem Hannonia, et Ducatus Luxemburgicus; ad Orientem Lotharingia et Comitatus Burgundiæ; ad Meridiem Ducatus Burgundiæ; et ad Occidentem Insula Franciæ, necnon Tractus Suessionensis. Longitudo ejus est circiter 65. milliarium, latitudo 45. et alicubi 30. duntaxat. Clima ejus temperatum est. Incolæ à naturâ mites sunt, urbani, et laboriosi, ad arma propensi, et in bellô strenui. Provinciæ fermè meditullium amplæ planities occupant, quæ multis in locis in venustas sylvas, montes et colles desinunt. In toto suô ambitu omnia fert, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria et utilia. Agros ejus magna fluminum irrigat copia, inter quæ aliqua sunt navigabilia, adeò, ut illorum beneficiô indè ad alia loca perveniri possit. Inter ea præcipua sunt Mosa |: La Meuse:| Sequana |: La Seine:| Matrona |: La Marne:| Alba seu Albula |: L'Aube:| et Axona seu Axonia |: L'Aisne:| Illius commercium consistit præcipuè in frumentô, vinô exquisitô, ferramentis, quæ à variis provinciæ ustrinis præben-

tur; in pecoribus, foenô, pannis laneis et linteis, quæ in variis ibidem Opificiis conficiuntur. Duo sunt in ea Archiepiscopatus, et quatuor Episcopatus.

Campaniæ nomen antiquum haud est, et Marcellini Comitis* Chronici Continuator primus illud usurpavit, quem Gregorius Turonensis, Theganus**, Aimoinus***, et alii secuti sunt.

Campania à Julio Cæsare subacta Romanis paruit usque ad Francorum in Galliam adventum, qui iis ejectis illam occuparunt: post mortem Clodovæi eorum Regis Galliâ inter quatuor ejus filios in totidem Regna divisâ hæc provincia Regni Austrasiæ, quod Theodorico cessit, pars facta est; tùmque Præfectos habuit, qui eam sub Ducum titulô Regis sui nomine rexerunt, dein Comites, his secundæ stirpis Regum imbecillitas occasionem præbuit sibi illius proprietatem summúmque imperium arrogandi; donec an. 1361. Joannes Franciæ Rex Coronæ suæ illam denuò adjunxit.

Geographi Campaniam variè partiverunt: quidam juxtà præcipuorum illius fluminum cursum; alii in Superiorem et inferiorem: Nos magis genuinam illius divisionem eam esse arbitramur, quâ in octo fermè æquales partes seu minores provincias et territoria distribuitur, cui et nos adstipulamur, easque octo sequentibus §§. expendimus.

§. I.

De Campaniâ propriâ seu propriè sic Dictâ.

Campania propria seu propriè sic dicta |: la Champagne propre ~~[illegible]~~ seu la vraye Champagne:| circùm Trecas sita est, atque versùs Meridiem Ducatui Burgundiæ confinis est. In eâ occurrunt

1º Trecæ |: Troyes:| totius provinciæ olim caput; quam prærogativam tamen Rhemorum Civitas eidem facit contentiosam. Nomen accepit à Tricassibus seu Trecassibus antiquis Celtarum populis. Hi Julio Cæsari haud noti fuerunt; eos tamen Augustus specialem gentem fecit, præcipuámque ipsorum civitatem extruxit, nominéque suô Augustomanam seu Augustobonam dixit, quod nomen usque ad Sæculum V. propagatum est. Plinius inter Celtas meminit Tricassium, quin tamen Augustobonam ipsorum civitatem memoret, quam contrà Ptolomæus annotavit, eúmque alii Scriptores veteres secuti sunt usque ad an. 950. tùm populi nomen, quemadmodùm alibi frequenter, prævaluit, hæcque Civitas Tricassis, et post ex Tricassi Trecæ dicta est: Gregorius Turonensis, qui

* Marcellinus Comes Illirici floruit sub Imperatore Justinianô, scripsitque Chronicon ab an. Chr. 379. quô S. Hieronymus suum absolvit, usque ad an. 534. ab ipso perductum; et postmodum ab alio usque ad an. 566. continuatum.

** Theganus Chorepiscopus Trevirensis sub Imperatore Ludovicô Pio floruit, cujus vitam scripsit à Petro Pithoeo editam. Fuit autem Petrus Pithoeus tùm ob eruditionem, tùm ob spectabilia, quæ obivit, munera celebris. Natus Trecis in Campania an. 1539. 1. Nov. Denatus Nogenti ad Sequanam an. 1596. eodem, quo natus fuerat die. Quamplurima edidit Opera, ob quæ aliqui cum Gallicum Varronem nuncupant.

77.

** Aimoinus Floriacensis ad Ligerim Coenobii Monachus Benedictinus, quod an. 970. ingressus est, natione Vasco fuit. Varia Opera edidit, inter quæ summoperè celebratur Historia Franciæ quatuor libris comprehensa, quibus post ejus mortem ab anonymo quodam quintus adjectus est, qui ad an. 1165. desinit.

Sæculô VI. scripsit ambo hæc nomina usurpavit; et Scriptores, qui post ipsum floruerunt, semper eam Treveas nominant. aliàs etiam hæc sunt ipsius nomina: Tercatium; Noviomagus Triassinorum, seu Triastinorum; Augusta Triassinorum: proprium tamen illius nomen est Triassium, seu Treves, velut Tres arces, quòd olim eo loco, ubi posita est, tres arces fuerint, quarum præcipua ex parte adhuc etiamnum extat, cæterarum verò ruderibus tantùm hypersunt.

Sita est in planitie ad ripam Sequanæ, cámque amplo et venusto circuitu circumvehitur. Olim inter ditissimas et splendidissimas Galliæ urbes reputabatur propter frequens commercium, quod ad exteras regiones, præsertim in Germaniam porrigebat. Solum ejus omnis generis frumenta, vina, fructus et aromata, necnon quæque alia ad vitam necessaria et commoda profert, tantùm salubris aquæ penuriâ laborat.

Cum Attila Hunnorum Rex ad hanc urbem venisset, ut eam diriperet, S. Lupus tunc illius Episcopus ferum barbari hujus pectus precibus suâ ita emollivit, ut ab hac immani furore omninò abstinuerit, atque intactam reliquerit. An. 893. Normanni eam devastaverunt. An. 1188. 19. Julii incendiô penè consumta fuit. In eâ natus perhibetur Urbanus Papa IV. filius sutoris cujusdam, cui nomen erat Jacobus Pantaleon.

Nullus Acatholicus Treviis toleratur; et cùm Antonius Caracciolus è Melphia in Italiâ primipum prosapiâ oriundus illius Episcopus Protestantium doctrinam prædicare attentasset, à civibus sede suâ et civitate expulsus est, et ab illo tempore nullus Protestans in eâ pedem figere ausus fuit. Ubi Ludovicus XIV. Acatholicorum religionem toto Galliæ regno proscripsisset, illiúsque exercitium vetuisset, tùm Civitas hæc ei Statuam erexit atque supra Prætorii sui portam collocavit: ea Victoriam exhibet sertis lauris Herculem coronantem, ad illius pedes jacet Hydra hæreseos symbolum, ubi et hæc duo distica in marmore exarata leguntur:

Ille est, quem totis ambit Victoria pennis,
Hic relego, hic terris, hic sibi jura dedit.
Per quem Religio tot ab hostibus una triumphat,
Urbs fruat antiquæ Religionis amans.

Idem hîc etiam memoria dignum, quòd hujus urbis macellum nulla musca intrent, quamvis æstatis tempore in magnâ copiâ idem circumvolitent. Quidam miraculum hoc talismati cuidam tribunt, alii verò precibus S. Lupi illius quondam Antistitis.

Hîc etiam nuptiæ celebratæ fuerunt Henricum V. Angliæ Regem inter et Catharinam Caroli VI. Galliæ Regis filiam. Item an. 1763. Angliam inter Galliamque pax conclusa fuit.

an. 1703. quoque Sequana Nogentuno usque navigabilis facta est. Varia etiam hîc adsunt pannorum opificia, frequensque est lintei negotiatio, &c.

Ejus Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Senonensis. Primus in eâ Antistes fuisse dicitur S. Amatus, qui Saeculo IV. et circà an. 340. floruit. Inter ipsius Successores octodecim numerantur, qui Sanctorum fastis inscribi meruerunt. In illius Cathedrali Ecclesiâ S. Petro Apostolo dicatâ visitur Scutella, quam dicunt in ultimâ Domini nostri Jesu Christi coenâ adhibitam fuisse, adsunt etiam, quod ajunt, ejusdem Servatoris nostri crines, digitus S. Joannis, dens S. Petri, et corpus S. Helenae. Praeter eam Trecis sunt quatuordecim Ecclesiae parochiales, plura utriusque sexûs Monasteria, Abbatiae, et Conventus. Equites quoque Melitenses hîc Beneficiarium habent praedium. Adest etiam Xenodochium, quod S. Nicolai dicitur.

In hac etiam Civitate quaedam memorantur celebrata Concilia, ut an. 1104. et 1107. an. 1115. Joannes Papa VIII. Ludovicum Balbum ~~hic~~ Franciae Regem hîc coronavit.

2º Catalaunum |: Chaalons seu Chalons sur Marne:| Urbs ad Matronae |: Marne:| ripam posita rotundam fermè figuram exhibet. Franciscus I. eam fortibus muris, et tribus propugnaculis, fossisque profundis et latis cingi curavit. Idem plateae latae sunt, fora ampla, aedesque in altum satis porrectae.

Nomen traxit à Catalaunis populis, qui in hac plagâ Sedem habuerunt. Itinerarium Antonini eam Duro-Catalaunum vocat: exemplar Vaticanum habet Duro-Catalaunos in plurali, quod indicium est tunc temporis nomen istud in plurali magis fuisse in usu, quàm in singulari. Nec Julius Caesar, nec Plinius, nec ullus alius Scriptor ante Aureliani, qui Tetricum competitorem suum propè hanc Urbem devicit, Imperium Catalaunorum vel Duro-Catalauni meminerunt. Ammianus Marcellinus qui sub Julianô Apostatâ in Galliâ militavit, hujus Urbis meminit lib. 15. eámque in plurali Catalaunos in Belgicâ Secundâ inter Ambianos et Remos nuncupat, et lib. 17. illam denuò Catalaunos vocat; ex cujus nominis mutilatione Gallicum Chaalons enatum est, in quo ultima littera S pluralem Latini numerum indicat.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Remensi subjectam, primúsque illius Episcopus fuisse memoratur S. Memius, qui an. Chr. 126. obiisse dicitur. Praeter Cathedralem duae in eâ sunt Collegiatae Ecclesiae, una SS. Trinitatis, altera B. V. Mariae ambae parochiales; hanc, quae quoad magnificentiam paucis Cathedralibus cedit, celebrem effecit pars quaedam unius umbilici, qui in neo-natis infantibus siccatur et

exēdit: is magnâ diligentiâ et devotione sanctarum reliquiarum instar asservabatur, quòd pro certò crederetur esse sacer Christi nes-natī umbilicus; donec 9. aprilis an. 1707. Gasto Joannes Baptista Ludovicus de Nobiliacô [: Noüe:] istius Urbis tùm temporis Episcopus hujus Ecclesiæ reliquiarum armarium aperiri sibi jussit, examinatúmque hunc umbilicum secum abstulit, ut cultum nullo satis fundamento nixum reprimeret. Adsunt etiam hic varia utriusque sexûs Monasteria et Conventus. Jesuitæ quoque Humaniora docent et Philosophiam.

Aliquot Catalauni celebrata Concilia memorantur; ut An. 1115. Conon Prænestæ Episcopus et Paschalis Papæ II. Legatus, postquam Treuis, Remis, et Coloniæ adversùs Henricum IV. Imperatorem [c]elebrasset, hîc etiam eâdem de causâ Synodum habuit. an. 1357. Hieronymus Bituricensis [: de Bourges:] Concilium celebravit, ut et an. 1642. et 1657. Felix Vialartus [: Vialart:]

4 Concilia

Catalaunum solum habet fertile, ibique frumenti, avenæ præsertim, lintei, et pannorum viget commercium. Olim vini etiam negotiatio in hac civitate florebat, at postmodùm Remos translata est.

In campis eam attingentibus, qui olim Campi Catalaunici nuncupabantur, Merovæus Francorum Rex, Aëtius Romanorum Belidux, et Theodoricus Visigothorum Monarcha ferocem Hunnorum Regem Attilam an. 451. devicerunt, eáque interemptione ejus exercitum deleverunt, ut 150000. suorum desiderata fuerint. Quidam narrant ex utraque parte 200000. cecidisse; alii autem memorant Attilam 180000. amisisse. In eo prælio Theodoricus periit. Attila exercitus 500000. fuisse dicitur, Fœderatorum verò 200000. fuisse. Mutauit.

§. II.

78. ~~196.~~

De Agrô Remensi.

Ager Remensis seu Rhemensis [: Le Remois seu Rhemois:] confinis est Insulæ Franciæ, quæ ipsi occidentalis est. Vineta in eo celebria sunt. notatur hîc

Remi seu Rhemi, vel Remensis civitas [: Reims vel Rheims:] sita est ad Vidulam [: Vêle seu Vesle:] fluvium, sub 24. gr. 37. min. long. et 49. gr. 12. min. lat. una ex antiquissimis, celeberrimis, et amplissimis Regni Franciæ civitatibus, Sedesque Archiepiscopi, qui titulum primi Duis et Pairs Franciæ, et Sedis Apostolicæ Legati nati, nec non Primatis Galliæ Belgicæ, jusque Reges Franciæ inungendi sibi vindicat, ob quæ omnia ab aliquibus tanquam totius Campaniæ caput pro Treuis laudatur. Planitiem, in quâ posita est, exigui montes vinetis delicatissima totius Franciæ vina proferentibus superbientes ad duorum vel trium milliarium distantiam cingunt.

Nomen habet à Remis populis; antiquitùs Durocorto-

rum seu Duricortora Remorum nuncupabatur; illiusque antiquitatem produnt varii arcus triumphales, amphithentri, ut et Castelli, cui Forum seu Castrum Cæsaris nomen, rudera.

Variis Ecclesiis ornata est, inter quas Cathedralis præeminet; interque varia utriusque sexûs Monasteria celebres, sunt tres Abbatiæ virorum, S. Remigii scilicet, S. Nicasii, et S. Dionysii: primæ duæ sunt Ord. S. Ben. tertia Canonicorum Regularium S. Augustini.

Abbatia seu Monasterium S. Remigii nomen et originem à S. Remigiô hujus civitatis Antistite sortitum est. Sanctus iste meritò Francorum Apostolus nuncupari potest, ut qui Clodovæum eorum Regem, illiusque præcipuos Ministros et Optimates, imò totum fermè exercitum ad fidem Christianam adduxit. In hujus Monasterii Templô præter varias sacras reliquias asservatur ampulla sancta, aliàs ampulla Remensis dicta, oleum continens, quô Reges Franciæ inunguntur, et quam an. 496. in inauguratione hujus primi Christiani Francorum Regis, cum oleum, quo ipse ungeretur non adesset, nec præ magna hominum sese invicem prementium frequentiâ et concursu haud afferri posset, columba è cœlô attulisse dicitur.

Jesuitæ hîc etiam habent Collegium, in quo Humaniora, Philosophiam, et Theologiam docent.* Adest etiam celebris Universitas omnibus quatuor ornata facultatibus, à Carolô Lotharingô Cardinali et hujus urbis Archiepiscopô an. 1547. fundata. Adsunt etiam quatuor Xenodochia.

* alii illud occupant; nullus enim Jesuita in Galliis invenitur

Præcipuum Remensium commercium consistit in vinô, et variis exilium pannorum speciebus, pileis, et cerdonum seu Corariorum mercibus, item in varii generis linteô.

Hæc præ aliis Franciæ urbibus hujus Civitatis prærogativa est, quòd in eâ Franciæ Reges inungi soleant. Solus Pipinus Moguntiæ à S. Bonifaciô, aliique quidam Carolinæ Stirpis Senonibus, et Carnuti, necnon Ludovicus cognomento Balbus à Joanne Papa VIII. Trecis uncti fuisse dicuntur: Henricus quoque IV. ut alibi dictum, Carnuti inunctus fuit.

Varia etiam hîc celebrata memorantur Concilia, ut an. 813. in quo inter alia Episcopis injungitur, ut pauperes et indigentes secum ad mensam habeant, et lectio divina ibi personet, et sumant cibum cum benedictione et laude Dei. An. 1049. in quo Simoniaci à Catholicorum communione et ab Ecclesiis eliminati fuerunt. et an. 1147. in quo impius quidam hæreticus damnatus est, de quo* Robertus de Monte ad Chronogr. Sigeberti pluribus meminit. Hîc natus perhibetur Magnus Colbertus præcipuus Ludovici XIV. Minister.

* Robertus de Monte sic dictus, quòd Abbas fuerit in Monte Sti Michaëlis Monasterio

Item Theodoricus Ruinartus Congregationis S. Mauri in Galliâ Benedictinus. Celebris quoque Joannes Mabillonius ejusdem Ordinis et Congregationis Alumnus in monte S. Petri |: S. Pierremont Dioecesis Remensis Oppido an. 1632. 23. Novemb. lucem primùm aspexit, obiitque 27. Decemb. 1707.

§. III.

79. De Pagô Pertiscô seu Pertensi.

Pagus seu Ager Pertiscus vel Pertensis |: Le Pertois :| Situm habet inter Campaniam propriè dictam et Barrensem Ducatum, juxtà Matronam |: La Marne :| In Capitularibus Caroli Magni illius fit mentio. Nomen habet ab Oppido Perti |: Perte :| quod adhuc extat. In eo notatur Victoriacum Francicum |: Vitry le François :| ad Matronam septem milliaribus à Catalaunô sita urbs. Victoriacum Francicum dicitur, quòd Franciscus I. eam ædificaverit, suóque nomine insigniverit, undè potiùs Victoriacum Francisci dici deberet; at usus seu potiùs abusus Victoriacum Francicum stabilivit. Urbsista quadrum exhibet, estque mediocriter magna in paulò eminentiori loco indeprensè in planitiem deflectente sita, atque admodùm populosa, frequens, præsertim in frumentô, exercet commercium. Aggeros et propugnacula terrea duntaxat illam muniunt, fossasque aqua fluens implet. Elegans est et optimè ædificata, quanvis ædes ejus ligneæ tantùm sint. Plateas et fora habet venusta et lata; illud, quod centrum Urbis occupat, adeò protensum est, ut vix majus in ullâ Franciæ Civitate inveniatur; in eo collocata est Ecclesia parochialis, quæ simul Collegiata est. Adsunt quoque Conventus Patrum Ord. S. Francisci Recollectorum et Patrum Ord. S. Pauli, quos Minimos vocant, prior fundatus fuit an. 1612. iste verò an. 1610. Item Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ ab an. 1665. in quo Humaniora et Philosophia docentur; atque etiam hic adsunt Moniales Congregationis; necnon duo Xenodochia, unum quod à Patribus Charitatis administratur fundatum an. 1678. alterum commune mense Septembri an. 1686. erectum.

Matrona quæ hic navigia sustinere incipit, incolis magno est emolumento, utpote cujus ope frumenta sua Parisios devehunt.

Civitas hæc veteri Victoriaco successit, quod sæpiùs, ac ultimò à Caroli V. Imperatoris exercitu an. 1544. devastatum flammisque absumtum fuit, hinc incolæ relictis illius residuis ruderibus sub auspiciis Francisci I. mediâ ab eo leucâ ad Matronæ ripam, eam, quam modò descripsimus, Urbem ædificavêre, necnon ex prioris et Francisci I. nominibus Victoriacum Francicum dixêre; tùm vetus in vicum degeneravit, atque Victoriacum combustum |: Vitry le brulé :| nuncupatum est. Gregorius Turonensis memorat,

Ord. S. Ben. in Normanniâ. vixisse quibusdam videtur circà annum 1210. verisimilius tamen est eum jam an. 1186. vitam posuisse. Inter alia Opera scripsit continuationem Chronici Sigeberti Gemblacensis ab an. 1112. usque ad an. 1210. juxtà quosdam, nos scilicet, qui volunt eum an. 1210. adhuc superfuisse. veriùs tamen Opus suum ad an. 1158. vel ad summum usque ad an. 1182. duntaxat perduxit; cætera autem usque ad an. 1210. ab alio addita fuisse, fortè à Lamberto itidem Gemblacensi Abbate, ut qui ejusdem Sigeberti Chronicon continuasse dicitur. Sigebertus verò natus perhibetur Geminiaci seu Gemblaci |: Gemblours :| Brabantiæ Oppido seu Urbeculâ olim Dioecesis Leodiensis, nunc Namurcensis ibique Monachum professus sub Regulâ S. Benedicti. Floruit sub finem Sæculi XI. et initiô XII. Pro Henricis IV. et V. Imperatoribus adversùs Gregorium VII. et ejus Successores Summos Pontifices scripsisse fertur. Præter alia opera ex ipso habemus Chronicon ab an. 381. usque ad an. 1112. perductum.

vetus Victoriacum à Carkone ædificatum primò fuisse, ejusque nomine Carkoniam dictum. Ubi Romani Gallias subegerunt, tùm Carkoniam ampliârunt, eámque Victoriam appellârunt, eò quòd Legio Victrix ab ipsis dicta in illa Stationem suam habuerit, undè postmodùm Victoriacum ac demùm per vocabuli corruptionem Vitriacum enatum est, ex quo gallicum nomen Vitry desumtum videtur.

§. IV.

De Agro Rethelensi.

Ager Rethelensis |: Le Rethelois :| confinis est ad Septentrionem Belgio; ad Orientem Tractui Clarmontano, et Argonnæ; ad Meridiem Agro Remensi; et ad Occidentem Laudunensi.

Olim Comitatûs titulô insignitus fuit, at an. 1581. mense Decembri ab Henricô III. franciæ Rege in Ducatum erectus est, quæ dignitas in gratiam famosi Cardinalis Mazarini, ad quem titulô emtionis Ducatus iste pervenit, confirmata fuit à Ludovico XIV. datis hanc in rem an. 1663. mense Decembri patentibus litteris, in quibus sancitum est, ut Ager iste Ducatus Mazarinus deinceps vocetur.

Hujus Ducatûs partem Sylvæ occupant, ubi multæ ustrinæ offenduntur, et carbonum bituminosorum fodinæ: pars reliqua pascuorum feracissima est: à variis quoque fluminibus irrigatur, inter quæ Axona |: Aisne :| eminet. Incolarum commercium in ferramentis consistit; ipsi verò militiam labori præferunt. Hic notantur sequentes Civitates.

1º. Rethelium seu Mazarinum |: Rethel seu Mazarin :| Caput provinciæ, ad ripam Axonæ |: Aisne :| suprà montem collocata et Vetustissima Urbs, necnon Romanorum ætate Castrum duntaxat erat à Juliô Cæsare excitatum, ut sibi Axonæ transitum assereret, necnon Castrum retectum appellatum. Urbs ista sæpiùs occupata et recuperata fuit. an. 1650. eam Hispani sub Archiduce Leopoldo obtinuerunt, et eodem annô 18. Decembris iterùm amiserunt. an. 1653. denuò ab iisdem capta fuit, at eodem etiam annô 9. Julii post quatuor dierum obsidionem à Gallis recuperata est. Ineâ Patres Minimi Conventum habent, ut et Patres Capucini, adestque Monialium Monasterium.

2º. Rupes Regia |: Rocroy seu Roucroy :| Urbs munitissima posita in planitie Sylvis cinctâ, ad confinia Hannoniæ duobus cum dimidiô milliaribus à Mosa |: Meuse :| Celebrem effecit insignis victoria, quam Ludovicus Borbonius tunc Anghiæ |: Enguien :| et postmodùm Condæi Princeps 19. Maji an. 1643. sex post mortem Ludovici XIII. diebus de Hispa-

nis, qui illam obsidione cinxerant, reportavit.

3º Carolopolis |: Charlesville :| Urbs ad ripam Mosæ propè Maceriam posita, à quâ nonnisi ponte suprà Mosam collocatô et aggere arboribus consitô separatur, quatuor milliaribus seu Leucis à Sedanô. Olim exile Oppidum seu Pagus erat Arcæ Rhemorum |: Arches :| nuncupatus, cujus Annales S. Bertini ad an. 859. meminerunt, cui summô imperiô sub titulô Principatûs præerant Duces Mantuani, cujus locô Carolus Gonzaga Dux Nivernensis et posteà Mantuanus an 1606. Urbem hanc excitavit, suóque nomine Carolopolim dixit. Quatuor longis latisque constat vicis seu plateis à pluribus aliis intersectis, quæ omnes ad lineam ductæ sunt; domus verò omnes lapideis laminis seu lapidibus fissilibus tectæ æqualem inter se se servant altitudinem. Plateæ omnes in magnum desinunt quadratum forum, cujus medium fons occupat. An. 1709. ultimo Mantuæ Duce vitâ functô, Vidua Principis Condæi, cui Gonzagana familia haud vulgariter erat obærata, hujus Urbis et Arcarum dominii possessionem arripuit nequicquam obnuntiante Duce Lotharingô Mantuæ Ducis proximô et legitimô herede.

4º Sedanum |: Sedan, Sedain, Esdain :| Urbs posita ad Mosam in confiniis Ducatûs Luxemburgici, Franciæ clavis optiméque munita, atque Arce itidem munitissimâ instructa, caput ejusdem secum nominis Principatûs. Olim Duces Bullionii hic summô dominatu imperabant, at an. 1641. Urbem hanc unà cum suô Principatu Fridericus Mauritius Bullionius cedere coactus est receptis in compensationem aliis in Franciâ Dominiis.

Adest hic Seminarium, quod an. 1681. à Rege Ludovicô XIV. erectum est, atque Patribus Missionis traditum, qui et Ecclesiam parochialem administrant; item Jesuitarum Collegium an. 1663. ab eodem Rege fundatum; ut et Capucinorum Monasterium an. 1641. à dictô Friderico Duce Bullionio constructum.

Cùm hæc Civitas adhuc in Protestantium potestate erat, celebri gloriabatur Universitate et Academiâ ab Henricô Duce Bullioniô an. 1592. fundata, in quâ varii Germaniæ Principes Acatholici Studiis et exercitiis vacavêre, inter quos fuit Fridericus V. Palatinus Princeps tùm hereditarius, qui postmodùm an. 1519. à Bohemis Ferdinando II. Imperatori rebellibus in Bohemiam vocatus ibidem ab ipsis 25. octobris Rex coronatus est, ac nonnisi unius hyemis spatio solium tenuit; unde Rex hyemalis per cavillum dictus est. An. 1681. ad Jesuitarum, quod ajunt, instantiam Universitas hæc à Rege abolita fuit. Ipsi Jesuitæ inde anno 1765. pulsi fuêre.

Sedani mense Septembri an. 1611. natus perhibetur magnus Henricus de Turre |: de la Tour :| Torennæ |: Turenne :| Vicecomes, cùm pater ejus summô imperiô adhuc ibi domina-

* Monasterium S. Bertini Ord. S. Benedicti celeberrimum in Artesiâ |: Artois :| Belgici Francici comitatu situm ~~propè~~ Audomaropolim |: S. Omer :| ad agnionem |: Aa :| fluvium. Nomen habet à S. Bertino Constantiâ ad lacum Acronianum seu Bodamicum oriundô. Hic indè in Belgium profectus S. Audomari, cui sanguine junctus fuisse dicitur, tunc Tervannæ |: Tervouane :| Episcopi Discipulus factus, atque an. 659. Monasterio, quod S. Audomarus an. 648. ~~ædificaverat præf~~ in pago Sithiu ædificaverat præfectus est, quod posteà ipsius nomine S. Bertini dictum est. Pagus verò in Urbem excrevit, quæ etiam à S. Audomari nomine famum S. Audomari seu Audomaropolis nuncupata est. Extant hujus Monasterii Annales, qui etiam ipsius nomine Annales S. Bertini dicuntur.

retur, denatus verò 27 Julii an. 1675. ætatis suæ 64tô dum hostilia Germanorum castra exploraret tormentario globo propè Sasbachium vicum in Brisgojâ haud procul à Badenâ extinctus.

Sedani panni conficiuntur, qui Hollandicis haud cedunt, magnáque eorum exercetur negotiatio.

5ô Maceriæ, Maderiacum, Meseriæ |: Mazieres :| Urbs munita cum castrô itidem munitô ad Mosam, octo leucis à Retheliô posita in peninsulâ, quam Mosa Sedanum inter et Carolopolim efformat, in quâ partim collem partim vallem occupat. An. 1521. Princeps Nassovius cum potenti Caroli V. Imperatoris exercitu eam obsedit, at Gallus miles sub Equite Bayardô adeò strenuè illam defendit, ut post sex hebdomades obsidionem solvere coactus fuerit.

§. V.

De Vallium Tractu seu Vallagiæ.

Vallagium |: Le Vallage :| à vallibus herbarum ditissimis, quibus abundat, sic dicitur. Exiguus est tractus, ejúsque limites sunt ad Septentrionem Campi Catalaunici, et Ager Pertiscus; ad Orientem Ducatus Barrensis; ad Meridiem Ager Bassiniacus; et ad Occidentem Campania propria. A variis fluminibus irrigatur, inter quæ præcipua sunt Matrona, et Alba seu Albula |: Aube :| Occurrit

1ô Dominicopolis, S. Digerium, S. Desiderii Castrum seu Ganum |: S. Dizier, Dicier, Didier, Dezier :| aliàs Noviodurum Mediomatricum. Quidam Urbem hanc in Agrô Pertensi collocant, veriùs tamen communis opinio eam in Vallagiô ponit. Sita est in planitie ad ripam Matronæ, quæ hic navigia sustinere incipit, sex milliaribus seu leucis à Victoriacô ad latus versùs Orientem. Olim munita erat, at modò munitiones ejus neglectæ sunt. Nomen habet à S. Desideriô Lingonum Episcopô, qui à Vandalis sub Imperatore Honoriô Galliam devastantibus trucidatus est et hoc locô sepultus, et populorum S. Martyrem veneraturorum concursu et affluentiâ in Urbem excrevit. Mirantur Incolæ, quòd, cùm Sanctus iste apud ipsos sepultus fuisse dicatur, ipsius tamen reliquiarum nihil possideant.

Urbem hanc celebrem reddidit obsidio, quâ Carolus V. Imperator an. 1544. cum 100000. exercitu eam cinxit, quamque Cives unà cum 1500. militum præsidiô adeò strenuè sustinuerunt, ut primùm post sex hebdomadas deditionem fecerint.

Duo habet Suburbia, tres Ecclesias parochiales, quarum duæ sunt in Suburbiis, in quorum uno Urselinæ domum habent. Capuccini in Civitate morantur. Centum ab Urbe passibus visitur Monasterium Monialium Cistercensium strictioris observantiæ.

Versùs Meridiem et Septentrionem Sylvæ urbem circum-

dant, è quibus et aliis vicinis omne lignum apportatur, quo naves construuntur, quarum ope, haud exiguô Incolarum compendiô, frumenta, et ferramenta à circumjacentibus ustrinis copiosè suppeditata super Matronam Lutetiam devehuntur.

2.º Joanvilla seu Jovilla |: Joinville :| Urbs posita ad Matronam sex leucis à Fanô S. Desiderii sub monte, in cujus angulô amplum et magnificum Castellum visitur an. 1000. erectum: in eo famosum foedus illud inter Catholicos adversùs Hugonotos an. 1587. sanctum est, quod Sacrum foedus seu Liga Sacra nuncupatum est.

Quidam venditant Urbem hanc Jani tempora aequare, atque ab eo Jani villam fuisse dictam. Alii arbitrantur eam ortum suum Junoni debere, atque ob id Junonis Villam appellatam. Sunt verò, qui velint eam Castelli sui aetatem haud superare, atque primùm saeculô XI. aedificatam, initióque Oppidum duntaxat fuisse, quòd jussu Ludovici Crassi Imperatoris muris cinctum satis ampla civitas factum sit: Ita opinatus est Cardinalis à Lotharingiâ, qui illam Joannis villam nuncupavit. At verisimilior videtur illorum opinio, qui illam à Jovinô Valentiniani Occidentis Imperatoris Belliduce circà an. 369. aedificatam tradunt, ac nomine suô Jovini villam dictam fuisse. Equidem Incolae sub fide veteris cujusdam traditionis credunt princeps Joannvillae Templum B. V. Mariae dicatum olim Jovi consecratum fuisse, undè et eam Jovis villam vocitant: at facilè Jovis et Jovini nomina propter utriusque similitudinem aliquam inter se confusa fuêre ita, ut unum pro altero sumtum fuerit, atque ex Jovini, cui fortè Templum istud antiquitùs consecratum fuit, ut quem S. Remigius in suô testamentô Sanctum appellet, Jovis nomen factum fuerit. Joanvillae natus perhibetur Carolus Cardinalis à Lotharingia Metensis et Argentinensis, dum viveret Antistes an. 1567. i. Julii. Denatus 30. nov. an. 1607.

82. [illegible]

§. VI.

De Agrô Bassiniacô.

Ager Bassiniacus |: le Bassigni :| in Imperii partitione an. 870. à Lothariô factâ Pagus Bassiniacensis nuncupatur. Partim in Campaniâ, partim verò in Ducatu Barrensi situm habet versùs Meridiem. In eo notatur

Lingonum Civitas, seu Lingones |: Langres :| suprà montem ad Matronam posita in utriusque Burgundiae, Ducatûs nempè et Comitatûs confiniis. Ovalem fermè figuram exhibet, ejusque ambitus seu circuitus est trium milliaris quadrantum. Antiquissima est. Quidam volunt eam esse unam ex primis Urbibus, quas ii Noë posteri, qui post diluvium hîc resederant, aedificaverunt: id equidem certum est, eam Julii Caesaris aetate Metropolim fuisse populorum, qui Lingones appella-

bantur, atque Andematunum seu Andomatunum vocatam fuisse; postmodùm verò, quemadmodùm multæ aliæ Urbes, populi sui nomen adoptasse, et Lingonum Civitatem, imò breviùs Lingones dictam fuisse.

Civitas hæc variis vicissitudinibus obnoxia fuit. Ab Attilâ Hunnorum Rege capta et combusta fuit, et postquam restaurata fuisset, eâdem clade à Vandalis affecta est; hi S. Desiderium illius Episcopum an. 407. interfecerunt. post in potestatem Burgundionum venit, atque dein pars Burgundici regni facta est. post partionem Franciæ provinciarum à Ludovici Pii filiis factam ad Carolum Calvum pervenit. postmodùm à Regibus Franciæ civilis seu Sæcularis jurisdictio et dominium Episcopis Lingonensibus per totam suam Diœcesim tradita est, quod dominium hi in partes distributum variis Nobilibus viris in feudum dedêre. Lingonum Civitas proprios habuit Comites usque ad Gualterum Episcopum, qui an. 1179. eam denuò Ecclesiæ suæ bonis in perpetuum adjecit.

Episcopi Lingonenses Archiepiscopum Lugdunensem velut Metropolitam suum agnoscunt. À tempore Philippi Augusti Duces et Pares Franciæ sunt. Ecclesia Cathedralis, quæ primùm sub invocatione S. Joannis Evangelistæ consecrata fuit, modò titularem patronum S. Mammesium Martyrem veneratur ab eo tempore, quo hujus Sancti reliquiæ è Cappadociâ in eam allatæ fuerunt. Ædificata fuit à Paulinô Septimo Lingonum Episcopo Gratiani Imperatoris consanguineô: creditur ~~pars~~ chorus pars fuisse templi cuidam Ethnicorum Gallorum Idolo consecrati. Ante summum altare æreus Sarcophagus visitur sub quo ossa trium puerorum à Nabuchodonosore in fornacem ardentem immissorum quiescere, atque an. 490. sub Zenonis imperiô huc allata ferunt, cum hoc ridiculo, et sæculi illius, quo editum fuit, barbariem prodente epitaphio:

Sub hoc Sarcophago
Jacent Sidrac, Misac, Abdenago,
Igne usti ut pelago,
Quos Rex Persarum Zenonas
transferri jussit Lingonas
Ad effugandum Dæmonas.

Anno 830. præsentibus Ludovico Imperatore et Lothario filio suo natu maximo Synodus provincialis hac in Urbe celebrata fuit, in quâ de reformatione Sæcularis et Regularis Cleri actum est.

Tandem id de Lingonum civitate addimus, quod cultri, qui in eâ conficiuntur, apud omnes sint in pretiô.

§. VII.

83. De Agro Senonensi.

Senonensis Ager |: le Senonois seu Senois:| juxtà Icaunam |: Yonne:| fluvium collocatus ad Septentrionem Briæ confinis est; ad Orientem Campaniæ propriæ; ad Meridiem Agrô Antissiodorensi; et ad Occidentem Vastinio. Sedes fuit veterum Senonum inter Celtas celebrium. Ex primis fuit, qui hereditarios Comites habuerunt: an. 1015. Robertus Rex Franciæ eundem Coronæ adjunxit. In eo notatur

Urbs Senones seu Senonæ |: Sens:| Caput provinciæ sita ad ripam Icaunæ eo locô, ubi flumen istud rivum in se recipit, qui vulgò Vaine dicitur 25. milliaribus seu leucis à Lutetiâ, et 14. ab Antissiodorô, sub 24. gr. 30. min. long. et 48. gr. 20. min. lat.

Inter antiquissimas Galliæ Civitates recensetur, et ab aliquibus Româ vetustior æstimatur. Veterum Gallorum ætate Caput fuit populi, qui sub Senonum nomine notus est, atque fortitudine suâ et egregiis facinoribus jam diu ante Christi ortum nomen sibi peperit, atque Julii Cæsaris haloses cæteris Galliæ populis diutiùs præpediit, cujusque nomen Civitati ipsi inditum est, cùm priùs Agendicum vocaretur. Julii Cæsaris ætate oppidò celebris fuit multùmque celebrior quàm nunc sit. Circà an. 940. sub potestate erat Hugonis M. Franciæ Ducis: post ejus mortem Comes Rainardus eam sibi propriam fecit, atque filio suo Frotmundo reliquit, isque filio suo Rainardo II. quem, cùm Lotericum Archiepiscopum variis injuriis affecisset, Robertus Franciæ Rex an. 1015. expulit, civitatemque unà cum Comitatu Coronæ adjunxit.

Urbs hæc habet Sedem Archiepiscopalem, et S. Salvinianum tanquam primum suum Antistitem veneratur. Traditio est eum à S. Petro in Gallias missum fuisse, at huic traditioni contradicunt* Sulpitius Severus, et Gregorius Turonensis, qui Ecclesiarum Galliæ initium ad finem sæculi II. statuunt. Verisimile est monumenta Martyrium Sancti hujus referentia fuisse interpolata.

Senonibus sexdecim numerantur Ecclesiæ parochiales, inter quas est etiam Ecclesia Cathedralis, cujus patronus est S. Stephanus, nec amplitudine suâ Parisiensi cedere videtur; item plura utriusque sexûs Monasteria, ut Benedictinorum, Canonicorum Regularium S. Augustini, Præmonstratensium, Cœlestinorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Capucinorum, Pœnitentium vulgò Picpuces, Carmelitarum, Patrum Missionis, Jesuitarum, Monalium Benedictinarum, Annuntiationis vulgò Annonciades, Urselinarum, &c. Item Seminarium, et Xenodochium.

*Sulpitius Severus Presbyter et Discipulus S. Martini in Aquitaniæ Aginensi provinciâ, vel Agini natus, prout ipse innuit, dum Phœbadium Antistitem suum fuisse memorat. Primùm uxorem habuit, quâ demortuâ, mundo renuntiavit, et non procul à Barcinone Sedem fixit.

Urbs hæc juxtà suam amplitudinem non satis populosa videtur. Ad commercium opportunè sita est, nec tamen illud in eâ satis viget. Ope Icannæ vina, ligna, carbones, avenæ, et foena Lutetiam transvehuntur.

Plura Concilia Senonibus habita fuêre, inter alia apprimè celebratur illud, quod annô 1140. habitum est, cui interfuit Ludovicus Junior Rex Franciæ, in quo ad instantiam S. Bernardi *Abælardus |: Abaillard:| damnatus est, qui ad Papam appellavit. Item an. 1198. hîc actum est Concilium ad cogendum Philippum Augustum, ut Ingeburgam Regis Daniæ filiam legitimam uxorem suam, dimissâ Agnete Merianæ Ducis filiâ, quam ei superinduxerat, denuò reciperet.

§. VIII.

De Briâ Campanâ.

Bria |: la Brie:| nomen habet à Sylvâ, quam Aimoinus Brigensem saltum nuncupat. Olim hæc provincia angustior erat quam nunc sit, quippè à quâ tractus Meldensis et Provinensis avulsi erant, qui modò in eâ comprehenduntur. Limites ejus sunt ad Septentrionem Francia propria seu Insula Franciæ propriè sic dicta, et Ager Suessionensis; ad Orientem Campania; ad Meridiem et Occidentem Sequana flumen, quod eam à reliqua Campania, Vastiniô, et Hurepoliô seu Heripensi Pagô separat. Longitudo ejus ab Oriente in Occidentem est 22. milliarium, scilicet à Sezanna Confluentes |: Conflans:| usque propè Carantonum, ubi Matrona in Sequanam influit: angustior est ejus latitudo.

Jam à pluribus sæculis Bria Campaniæ juncta est, atque etiam nunc illius Præfecturæ |: Gouvernement:| pars est, si exiguum illius Tractum excipias, qui Lutetiæ omninò vicinus est, ac à Latiniacô Melodunum usque duntaxat protenditur, necnon Præfecturæ Insulæ Franciæ adjectus est; undè divisio in Briam Francicam seu Parisinam, de quâ egimus sup. Sect. 1. §. 2. n. 176. et Briam Campanam, de quâ hîc nobis sermo. Igitur

Bria Campana |: La Brie Chempenoise:| trifariam dividitur, nempè in Superiorem, Inferiorem, et Pediculosam seu Scabiosam |: Pouilleuse seu Galleuse:| Superior versùs Matronam sita est cujus Caput Urbs Meldæ |: Meaux:| Inferior versùs Sequanam, in quâ Provinum |: Provins:| Pediculosa seu Scabiosa verò versus Matronam, in qua Castrum Theodorici |: Chateau-Thierri:| Urbs præcipua est. Quas singulas breviter contemplamur.

1ò Meldæ |: Meaux:| Superioris non modò sed et totius Briæ Caput, Sedesque Episcopalis sub Metropoli Parisiensi. Sita est tribus Milliaribus à Jotrô |: Jouare:| quatuor à Colum-

Inter alia Opera suavi Stylô Epitomen Historiæ Sacræ à constitutione mundi, usque ad Christum natum scripsit, cui ea adjunxit, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis accidêre.

* Abælardus Palatii |: Palais:| propè Nannetas vicô natus est, undè Palatini cognomen accepit. primùm

84. conjux, dein Monachus San-Dionysianus, post Cluniacensis, in Prioratu S. Marcelli propè Cabillonum ad Socionam |: Chalons sur Saone:| quo languens translatus fuerat, obiit an. 1142. ætatis suæ 63. Scripsit inter alia librum de SS. Trinitatis mysteriô, in quo hæreses deprehendisse quidam sibi visi sunt. Undè liber cum Auctore suô damnatus primò in Synodô Suessione habitâ an. 1121. ac demùm an. 1140. in Conciliô Senonensi S. Bernardô adversùs ipsum personante.

bariis |: Colommiers:| et Farensi-Monasteriô |: Faremoutiers:| Septem à Roseto |: Rosay:| octo à Sylvaneto |: Senlis:| et decem à Lutetiâ. Vetus illius nomen est Jatinum quod Ptolomæus inter populos collocat, qui Meldi seu Meldæ dicti sunt, de quibus Plinius lib. 4. c. 18. meminit ac Meldos liberos vocat, eorum nomen urbs ipsa, relictô propriô, dein assumsit, atque primùm Meldorum seu Meldarum Civitas appellata est, dein Meldi seu Meldæ usque ad Sæculum XI. tùm enim Militiæ seu Meletium dici cœpit, circumjacénsque Regio Melecianus Pagus |: Le Mulcien:| tandem tamen denuò Meldæ dicta est, quod nomen hodiêdum adhuc retinet. Matrona eam in duas partes dividit, quarum una Civitas dicitur, altera forum, eò quòd illud contineat; utramque pons lapideus conjungit. Angustæ illius plateæ vetustatem illius prodere videntur. Olim tamen multùm celebrata fuit. Tria sunt illius Suburbia. Et titulô Comitatûs gaudet.

Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ magnifica est, numerantur adhuc sex parochiales, quarum una Collegiata est et S. Santini dicitur. Præter Prioratum Benedictinum quatuor Abbatiæ virorum, duæ Benedictinorum, una Canonicorum Regularium S. Augustini, altera Præmonstratensium: quinque Monialium, tres Ordinis S. Benedicti, una Canonissarum Regularium S. Augustini, et una Cistercensium. Item Conventus Trinitariorum, Franciscanorum, Carmelitarum nudipedum, hi extrà civitatem positi sunt. Denique Monasterium Monialium Visitationis, vulgò Visitantines. Necnon duo Xenodochia, quorum unum Moniales Ord. S. Augustini administrant, et Seminarium, cui præsunt Canonici Regulares S. Augustini, in eâ recensentur.

Prima fuit Franciæ Civitas, in qua Acatholici nova dogmata sua prædicare cœperunt. Multáque in Religionis seu Civili bellô mala perpessa est.

Hîc Episcopus sæculo præterito fuit Jacobus Benignus Bossuet varis, iisque præstantibus polemicis Operibus clarus.

Territorium Meldense frumenti, vini, et pascuorum dives est, &c.

2º Provinum, Pruvinum, seu Provignum Castrum |: Provins:| urbs posita quatuor milliaribus à Sequanâ ad Morinum seu Muoram |: Morin:| et Volsiam |: Vónsie:| fluvios. Tempore Caroli Magni jam nota erat, ejusque memoria fit in antiquis Chronicis et tabulis. Multa extant numismata à Caroli Magni posteris Provini cusa cum hac epigraphe: Castris Pruvinis, seu Pruvino, vel denique Moneta Pruvinensis.

Comitatûs titulô gaudet, primùmque ad Reges Franciæ pertinuit, tùm proprios Comites per 320. annos habuit,

qui eam variis recreavêre privilegiis et immunitatibus, apud quos proindè Spectabili locô habita est. Demùm ad Coronam rediit.

Provini quatuor Ecclesiæ parochiales, quatuorque virorum et totidem Mulierum Monasteria numerantur.

Unicum ejus commercium consistit in frumentô. Olim in eâ erat panni opificium, quod defecit. Item ibidem præparabatur Rosa Saccharô condita |: Conserve de Roses:| ex qua satis pecuniæ cogebatur, at modò exilis hæc negotiatio fermè dilapsa est.

3º Castrum Theodorici |: Chateau Thierry:| Civitas ad ripam Matronæ 20. milliaribus à Lutetiâ, 8. à Meldis, et paulò ampliùs à Rhemis in Diocesi Suessionensi collocata. Ejus Situs omninò est amoenus, Castrumque ei insidet satis venustum in eminenti admodùm colle ædificatum. Suburbia habet pulchra, et à quibus amplitudine superatur.

*Glodoardus Rhemensis in suô Chronicô memorat Hiribertum Veramandi Agri |: Vermandois:| Comitem Carolum Franciæ Regem cognomentô Simplicem an. 923. hûc captivum detinuisse.

In eâ à virô quodam nobili, cui nomen Hugo, Abbatia S. Joannis à vineis |: S. Jean des vignes:| et an. 1076. ab Odone Comite Trecensi urbis hujus Ecclesia unà cum suis bonis et proventibus omnibus tradita est Monachis Præmonstratensibus, qui posteà ad vallem Secretam |: Val Secret:| translati fuerunt. an. 1140. Civitas hæc unà cum Campaniâ ipsâ ad Coronam rediit, cum priùs propriis paruisset Comitibus. Carolus VI. in gratiam fratris sui Ludovici Aurelianensis Ducis Castrum Theodorici ad Pariatûs dignitatem evexit; at an. 1407. idem Rex illud denuò Coronæ addixit; et Carolus IX. an. 1566. Ducatûs titulô decoravit. Modò hæc Civitas unà cum suô territoriô et ditione à Coronâ in perpetuum separata est, postquam Ludovicus XIV. præter alia dominia pro Urbe Gedanô ejusque territoriô Duci Bulionio eam tradidit.

Annô 1544. Carolus V. Imperator in Franciam irrumpens Castrum Theodorici occupavit. Postmodùm cùm Dux Medianæ |: Mayenne:| vi foederis adversùs Henricum IV. Franciæ Regem cognomento Magnum initi hanc Urbem obtinuisset, eam Hispani expilârunt ac devastârunt. Ipsa haud multò post legitimo Principi suo se tradidit, qui an. 1581. eam per patentes litteras præclaris immunitatibus donavit.

Urbs ista vetus haud est, ac primùm Sæculo X. illius apud Glodoardum fit mentio.

* Glodoardus Abbas S. Remigii Rhemensis Ord. S. Ben. floruit Sæculô X. Scripsitque inter alia libris quatuor Ecclesiæ suæ historiam; item Chronicon ab an. 877. usque ad an. 966.

Campaniam inter et Flandriam ingens Sylva, quæ Arduenna |: Ardenne:| nuncupatur, maximum spatium occupat, ac longè protenditur.

85. ~~[illegible]~~

Caput ~~[illegible]~~ VIII.

De Ducatu Burgundiæ.

Burgundia nomen habet à Burgundis seu Burgundionibus Germaniæ Septentrionalis ultimæ populis Vandalorum et Suevorum progeniæ, qui ab iis plagis quas mare Balticum et Vistula flumen alluunt, atque modò Pomeraniâ, Borussiâ et Brandenburgici parte continentur, profecti Galliam velut inundarunt, atque in eâ an. 406. Regnum instituerunt, quod nomine suo Burgundiam seu Burgundicum vel Burgundiæ Regnum dixerunt, atque per annos 128. scilicet usque ad an. 534. sub quinque Regibus tenuerunt; complectebaturque Agrum Lugdunensem, Delphinatum, Provinciam, Sabaudiam, et provinciam illam, quæ, Regno hoc dissipatô, sola remansit ac Burgundiæ nomen retinuit, quam hic imus expensum. Igitur

Burgundia bifariam dividitur, in Superiorem videlicet, quæ Comitatus dicitur, et in Inferiorem, quæ Ducatus nuncupatur. De Inferiore seu Ducatu Burgundiæ hic duntaxat nobis sermo est; At de Comitatu alibi tractabimus.

~~Ducatus hic proprios [illegible] habuit usque ad Philip-~~

~~[illegible]~~

Dissipatô Burgundiæ Regnô, Ducatus hic proprios habere coepit Principes, qui sub Ducum titulô eidem summô præfuerunt imperiô usque ad Philippum de Robora |: de Rouvres:| qui an. 1361. nullo relictô herede diem supremum obiit, atque post 300. et quod excurrit annorum spatium primæ Ducum Burgundiæ stirpi finem imposuit.

Tum Ducatus iste hæreditatis titulô ad Joannem Franciæ Regem pervenit, qui illum Philippo filio suo natu quarto an. 1363. tradidit, in cujus prosapiâ permansit usque ad an. 1477. quo Carolus cognomentô Audax in prælio propè Nancejum 5. Januarii periit nullum heredem præter Mariam filiam unicam, quæ posteà Maximiliano Archiduci Austriæ post Imperatori nupsit, relinquens. Indè factum, ut Ludovicus XI. Franciæ Rex Inferiorem hanc Burgundiæ partem seu Ducatum, quòd feudum masculinum esse tueretur, sibi asseruerit, atque Coronæ adjunxerit, penes quam, nequicquam reclamante Maximilianô Austriacô ejúsque posteris, hactenùs remansit.

Ducatus iste orientalem Franciæ plagam occupat, et ab Occasu ad Orientem ultrà 30. miliaria porrigitur, et à Septentrione ad Meridiem ad 45. circiter. Versus Orientem confinis est Burgundiæ Superiori seu Comita-

tui/la Franche Comté/ et Brefsia /la Bresse:/ ad Occidentem Tractibus Borbonensi et Nivernensi; ad Meridiem Agro Lugdunensi, et ad Septentrionem Campania. Omni fructuum, frumentorum, et leguminum genere fertilis est, praeipuè vinis excellentissimis ita, ut nec ubi excellentiora et praestantiora reperiantur. Quatuor inter eos numerantur fontes minerales, et unus Salinus: profert etiam Sil seu ochram, quam Graphai seu tinctores utiliter adhibent. Praeter Sequanam et Soconam /Saone/ plures adhuc minores fluvii illum perfluunt.

Burgundiones seu Burgundi ad commercium nec tiquam sunt comparati, nec nisi earum rerum, quas apud ipsos Solum profert, negotiationem exerent. Cetèrum bonam eorum indolem quodammodò obfuscare videtur otium, cui plus aequò dediti dicuntur, quódque loquaces et maledicos efficit: praeipuè in colendis vineis occupantur, quas saepè perlustrant et obeunt, finitis quindecim aut viginti dierum vindemiis reliquum anni tempus quieti conservant.

Ducatûs Burgundiae communiter octo Tractus numerantur, suntque Divionensis, Augustodunensis, Cabilonensis, Montanus, Alesiensis/seu Alesiensis, Altisiodorensis, Quadrigellensis, Matisconensis; quibus adjicitur Bressia, Pagus Dombensis, Beugesia, et Gessia Bavonatus, qui communiter sub Beugesiâ comprehenditur. His Tractibus Universalis Burgundiae Ducatûs Praefectura constituitur. Eos singulis SS. expendimus.

§. I.

De Tractu Divionensi.

Tractus Divionensis /: Le Dijonnois:/ mediò aevò Pagus Divionensis nuncupabatur. Situm habet inter Comitatum Burgundiae, Campaniam, Pagum Alesiensem, et Tractum Augustodunensem. In eo praecipuè occurrunt sequentes Urbes:

Divio /: Dijon:/ alias etiam Dibio, Divion, Divione, Diviodunum, et Divionense Castrum. Caput totius Ducatûs seu Praefecturae. Romanorum aetate, forte ab Imperatore Aureliano, sub nomine Oppidi vel Castri duntaxat aedificata fuit, primumque anno 1187. ab Hugone III. Burgundiae Duce Civitas facta fuisse dicitur; attamen jam à Saeculo XI. Ducum Burgundiae Sedem fuisse tradunt aliqui.

Romanis Dibio dicebatur, quod nomen à veteri Gallico vocabulo Diu, quod apud Gallos rivum significabat, derivatum videtur, forte quia ipsa inter duos rivos Oscanum /: Ouche:/ scilicet, et Suzionem /: Suzon:/ posita est;

undè Dibio et tandem Divio. Hi duo rivi muros ipsius alluunt, qui optimi sunt rotundisque turribus antiquo more erectis custodiuntur; fossâ quoque cinguntur, quam tredecim propugnacula ambiunt. Quinque sunt illius portæ, quarum una murô obstructa est. Ovalem fermè figuram refert, ejusque ambitus est Semi-Milliaris. Ei insidet Castrum in quadrô positum, cujus quatuor angulos stipant singulæ ingentes rotundæ turres, muniuntque duo propugnacula soleam ferream referentia. Adest Ecclesia Collegiata, quæ Capella Sancta nuncupatur ab Hugone III. Burgundiæ Duce an. 1172. cùm ad Terram Sanctam proficisceretur, fundata; quam fundationem confirmavit Alexander Papa III. Capellasque tutelam in se sumsit necnon sibi et Successoribus suis solis subjectam fore declaravit; idque Innocentius III. an. 1212. denuò confirmavit. In hac Capellâ asservatur Sacra Hostia, quam Eugenius Papa IV. Philippo Duci Burgundiæ cognomentô Bono, auxilium, quod ipsi adversùs hostes suos tulerat, remuneraturus, donô dedit: in eâ quædam sanguinis maculæ conspiciuntur, quem tot ultri ictibus ex illâ Hebræum quemdam excussisse ferunt.

Præter Ecclesiam principalem, quæ S. Stephani dicitur, sex hic numerantur Ecclesiæ parochiales. Adest etiam Monasterium S. Bertini Ord. S. Benedicti. Patres Minores discalceati hic quoque habent Conventum, ut et ab an. 1237. Dominicani. Jesuitæ etiam habent Collegium, quo vix pulchrius in totâ Franciâ reperitur; in eo Humaniora, Philosophiam, et Theologiam docent. Adsunt etiam Urselinæ, necnon multa alia utriusque sexûs Monasteria. Duo etiam Nosocomia, in quorum uno expositi infantes educantur. In extremitate Suburbii situm est Chartusianorum Coenobium an. 1383. à Philippô Audace Burgundiæ Duce fundatum, in cujus Ecclesiâ sepulta jacent corpora ultimæ stirpis Ducum, et Uxorum, filiorum, filiarumque suarum: Philippi Audacis, et Joannis Intrepidi necnon Margarithæ uxoris ejus Mausolea sunt magnifica, eâque huc advenientes exteri admirantur.

In hac Civitate nati perhibentur Claudius Salmasius vir eruditissimus Calvini Sectator, natus est an. 1588. patre Catholicô et matre Calvinianâ, quæ eum in eâ sectâ educavit, denatus in thermis Spadanis |: Sparbrunn :| an. 1652. 3. Sept. et Jacobus Benignus Bossuet, Episcopus primùm Condomiensis post Meldensis Ecclesiæ Gallicanæ lumen, natus an. 1677. 27. Sept. denatus an. 1704. 12. aprilis.

2º. Fontes |: Fontaines :| Vicus milliari à Divione dissitus et supà montem collocatus; ex eo duntaxat celebris, quòd in eo natus sit Sanctus Bernardus illud

Saeculi XII. Sydus. Locum, ubi patris ipsius aedes stetêre occupat Strictioris observantiae seu Reformatorum Cisterciensium Coenobium, quos à Fuliô |: Feuillans :| Occitaniae Oppidô, ubi ejusdem Ordinis est Monasterium in quo primùm haec reformatio introducta est, atque ideò Caeterorum Caput dicitur, Fulienses |: Feuillans :| vocitant. In Coenobio Fontanensi extat adhuc cubiculum, in quo S. Bernardus lucem aspexit, in capellam conversum. Frustrà quidam contenderunt illum in alio ejusdem nominis Campaniae vicô natum fuisse.

3º Cistertium |: Cisteaux :| celebre Monasterium quinque Milliaribus à Divione inter paludes situm in Dioecesi Cabillonensi. Apud quosdam legitur Cistellense Monasterium. Est caput celeberrimi Ordinis, qui ab ipso Cistertiensis nuncupatur, cujus an. 1098. fundamenta jecit S. Robertus Abbas Molismensis Ord. S. Benedicti, ejusque confirmationem impetravit S. Stephanus illius Successor a Calixtô Papa III. an. 1119. atque cùm priùs Ordinis S. Benedicti diceretur et esset, novarum ad Sacram illius Regulam constitutionum accessu, mutatô nomine Ordo Cistertiensis dictus est, atque totâ Europâ deinceps mirè propagatus ita, ut illius ultrà 1800. utriusque sexûs Monasteria numerentur, quae omnia Abbati Cistertiensi utpotè totius Ordinis Superiori universali, seu, ut ajunt, Generali subduntur.

Cùm postmodùm hujus Monasterii amplitudo et abundantia, Monachorumque pietas et devotio multos ad se attraxisset, tandem propè illud civitas aedificata est, regióque, quae priùs inculta jacebat et deserta, modò quamplures numerat incolas, à quibus peroptimè colitur. Locus, in quo Coenobium unà cum Civitate positum est, ab Ottone I. Burgundiae Duce S. Roberto et ejus Monachis donô datum fuisse fertur.

Anno 1113. S. Bernardus unà cum triginta Sociis suis hic Monachum induit: ac postmodùm celebre Claravallense |: Clervaux Clara vallis :| Monasterium in Campaniâ fundavit, à quo novus hic Ordo adauctus est adeò, ut ipse solus centum sexaginta illius Monasteria in variis Europae regionibus erexerit. In hocce Claraevallis Asceteriô sequens in laudem magni hujus Sancti legitur Epigramma:

Sunt Claraevalles, sed clarus vallibus Abbas,
Clarior his clarum nomen in orbe dedit
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,
Claruit eloquio, Religione magis,
Claráque mors, clarúsque cinis, clarúmque sepulchrum,
Clarior exultat spiritus ante Deum.

87. ~~[illegible]~~

§. 11.

De Regione Augustodunensi.

Regio seu Tractus Augustodunensis (: L'Autonois:) confinis est versùs Septentrionem Agro Alexiensi, versùs Orientem Divionensi et Cabillonensi, versùs Meridiem Caroliensi et Borboniensi, et versùs Occidentem Nivernensi. In eo occurrunt celebres ferri fodinæ, atque etiam panni lanei et bombycini crispati (: Crépons:) conficiuntur. Hîc notatur Civitas

Augustodunum (: Autun:) Caput totius Regionis, quæ et eidem nomen tribuit, sic dicta ex Augusti et Dun, quod celticâ linguâ collem seu montem significat, nominibus; enimverò ei versùs Meridiem et Occidentem tres magni montes insident, quorum ille, qui Meridiem respicit, tot abundat fontibus, ut omnibus Civitatis Regionibus aquas in magnâ copiâ subministret. Arrosius (: Arroux:) flumen veteres ejus muros alluit, ejúsque longitudo est mille passuum et latitudo fermè totidem.

Priùs Ædua seu Æduorum Civitas dicta fuisse dicitur, quòd Æduorum populorum Caput esset; post ex Julii Cæsaris nomine Julia; deindè ab Augustô, qui eam Coloniam Romanam fecit, Augustodunum; tandem quoque in honorem Flavii Constantini Magni Flavia Æduorum nuncupata fuit; postmodùm tamen, reassumtô Augusti nomine, iterùm Augustodunum vocata est, quod nomen ad hanc usque diem servavit ac retinuit. Lis est inter Eruditos, num non hæc Civitas Oppidum illud fuerit, quod Julius Cæsar lib. 1. de bello Gall. c. 5. et lib. 7. c. 55. Bibracte Æduorum Oppidum longè maximum ac copiosissimum, et summæ apud eos auctoritatis nuncupat: Verior tamen nobis videtur hîc opinio, quæ Augustodunum à Bibracte distinguit; de hoc enim Oppidô jam à multis sæculis nulla facta est apud Scriptores mentio, nec illius ullibi extat vestigium, quod indicium est illud devastatum fuisse.

Civitas hæc olim longè augustior fuit, quàm nunc sit; enimverò potentissima erat; at post Barbarorum præda facta fuit; an. 451. ab Attila Hunnorum Rege devastata est; nec mitiùs eam habuit Burgundionum Rex Godemarus, qui annô circiter 523. eam obsedit ac obtinuit. In quibusdam antiquis Chronicis legitur Saracenos, cùm sub Carolô Martellô universum Burgundiæ Regnum depopulati essent, Augustodunum quoque occupasse, incendisse, ac devastasse, quod dein ad antiquum redire splendorem haud valuerit. In bello Civili et intestinô, quod Catholicos inter et Hugonotos exortum est, partem habuit, eique implicita fuit.

Multa hîc supersunt adhuc antiquitatis vestigia et reliquiæ. Druides* hîc conventum agebant eo locô, qui modò adhuc Mons Druidum (: Mont Dru:) dicitur, Janique

* Druides Gallorum Sacerdotes et Doctores,

Templum fuit. Mons Jovis |: Mont Jou :| Templum erat Jovi dicatum, et Martius |: Marchant :| Martis Campus. Cernuntur etiam reliquiæ Templi Dianæ, ut et Theatri seu Hypprodromi, et Arenæ, necnon Pyramis, quæ cenotaphio cuidam inserviisse fidetur; item Campus qui Urnarum dicitur |: le Champ des Urnes :| quòd in eo quamplures urnæ repertæ fuerint. Duæ etiam hic portæ conspiciuntur speciosæ admodùm, antiquitatis monumenta.

Augustodunum etiam est Sedes Episcopalis Metropolitanæ Lugdunensi subjecta, quam primus tenuisse S. Amatorius dicitur. Ipsius Successores à tempore S. Gregorii Magni Papæ jus habent pallium gestandi, Tribunalibusque Civilibus et Ecclesiasticis Archiepiscopatûs Lugdunensis Sede vacante præsunt. Sunt etiam nati Præsides Statuum Ducatûs Burgundiæ. p.

Præter Ecclesiam Cathedralem adest Ecclesia Collegiata B. V. Mariæ; item tàm in ipsa Urbe quàm in ejus Suburbiis octo adhuc Ecclesiæ, variáque utriusque Sexûs Monasteria; Duo Xenodochia, totidémque Seminaria numerantur.

Quædam etiam hic celebratæ fuerunt Synodi, ut circà an. 670. cui præsedit Ligerius hujus civitatis Præsul, in quâ 18. Canones conditi fuerunt. Circà an. 1055. convenêre Episcopi Godefredus Lugdunensis, Hugo Vesontinus, Aichardus Cabillonensis, et Drogo Matisconensis, ut deliberarent, quænam agendi ratio tenenda esset cum Robertô Burgundiæ Duce, qui Aganonem hujus Urbis Antistitem inclementer admodùm habuerat. an. 1077. denuò hic Synodus habita est; item an. 1094. cui Hugo Lugdunensis Archiepiscopus præfuit, et in quâ de illegitimis Philippi I. Franciæ Regis nuptiis, Simoniâ, et aliis rebus actum est.

§. III.

De Regione seu Agrô Cabillonensi.

Regio seu Ager Cabillonensis |: Le Challonois :| cum titulô Comitatûs. Satis angustus est; à Socconâ seu Arari |: Saone :| flumine in duas partes dividitur, atque confinis est versùs Orientem Comitatui Burgundiæ; versùs Septentrionem Burgundiæ propriæ; versùs Occidentem Agrô Augustodunensi; et versùs Meridiem Matisconensi. Pars illius, quæ Arari est orientalis, ab aliquibus Bressia Cabillonensis |: la Bresse Challonoise :| et sæpè Ditio S. Laurentii |: Le Ressort de S. Laurent :| nuncupatur. Olim Comitatûs Burgundiæ pars erat. Hic notantur:

1º Cabilo, seu Cabilonum, item Cabillodunum, Cabillio, Cabillonium, et Cabyllinum |: Challon :| Caput Regionis,

ad quos è magnâ Britanniâ venerant. Ideos Ammianus Marcellinus Eubages, et Diodorus Siculus Saronides nuncupant. Gallorum Sacris præerant, populúmque Religionis suæ superstitiones et ceremonias docebant, quas, si quibusdam fides, à Phocæensibus Joniæ populis in Gallias indè appulsis Massiliæque Urbis fundatoribus didicerant. Druides dicti fuêre vel à græcô vocabulo Δρῦς, vel à celtico Deru, aut ab Hybernico Draoi, quæ vocabulâ latinè reddita quercum significant, quòd Druides hanc arborem magni facerent, necnon in summâ haberent veneratione. Alii putant Druides nuncupatos fuisse ab Hebraïco nomine quodam, quod Contemplatorem significat. Erant Astrologi, Geographi, Geometræ, et Politici; magnáque erat apud Gallos eorum auctoritas.

quæ et ipsi nomen tribuit, sita est hæc urbs ad ripam Araris seu Soconæ |: Saone :| quinque milliaribus à Trenorciô |: Tournus :| et tribus à Viridunô |: Verdun :| in amplâ et fertili planitie.

Cæsar illius meminit in suis Commentariis, aitque eam Æduorum fuisse. Illius antiquitatem produnt quamplures Statuæ, Inscriptiones, Amphitheatri rudera, unà cum quorumdam veterum ædificiorum reliquiis. Romani olim in eâ frumentorum apothecam pro exercitu suô habuerunt, Imperatores quoque Copias suas sæpè congregârunt, et Reges Burgundiæ, quorum postmodùm facta est, frequenter resederunt. Gerunt ab Attila devastatam, et brevi pòst denuò restauratam fuisse. Sæculo VI. Franci eam occupârunt, et Guntramnus Clotarii I. Francorum Regis filius, necnon Burgundiæ Rex hîc Regiam habuit. Deindè propriis Comitibus paruit, ac demùm an. 1237. ad Duces Burgundiæ pervenit, sicque Ducatûs Burgundiæ pars facta est. In bello Civili multa perpessa est adversa, atque an. 1562. Hugonoti eam occupavêre.

Cabilo olim quinque numerabat Suburbia, quorum tria novis ejus moenibus inclusa illam, cùm priùs satis angusta fuisset, ampliorem effecêre. Ab aliquibus in novam et veterem urbem distinguitur; novæ partem constituit Arx an. 1563. suprà collem ædificata, et quinque propugnaculis instructa, quibus annis 1671. et 1672. quædam adhuc munimenta adjuncta fuêre. Duo adhuc numerat Suburbia S. Mariæ unum; alterum S. Laurentii, quod trans Ararim situm ponte lapideô Civitati annectitur. Bina etiam sunt hîc Xenodochia, unum pro ægrotis pauperibus, alterum, cui Charitas |: la Charité :| nomen, in quo quinquaginta quatuor infantes aluntur et educantur.

Habet Sedem Episcopalem Lugdunensi Metropolitanæ subjectam. Quo tempore fundata fuerit, certò definiri non potest: Sidonius Apollinaris qui sub Ultimis Occidentis Imperatoribus sæculô V. floruit, ac an. 482. 23. Aug. è vivis excessit, mentionem facit Pauli cujusdam tùm temporis Cabilone Episcopi.

Varia Concilia Cabilone celebrata fuêre, inter quæ primum fuit illud, quod S. Patiens Archiepiscopus Lugdunensis circà an. 470. celebrasse dicitur, in quo Joannes Archidiaconus, qui posteà inter Sanctos relatus est, in locum Pauli II. hujus Civitatis Episcopus electus fuit et consecratus. Annô 579. Guntramnus Rex Burgundiæ hîc Synodum fieri curavit, in quâ Salonius Ebrodunensis |: Embrun :| et Sagittarius Vapincensis |: Gap :| Episcopi velut læsæ Majestatis rei convicti depositi, et in carcerem conjecti fuerunt. Qui-

dam memorant an. 589. sub eodem Rege Cabilone aut Saltem in illius tractu Comitium fuisse habitum. An. 603. hîc Synodus celebrata fuit, in quâ instigante Brunechilde Reginâ ejusque artibus Desiderius Viennensis Archiepiscopus sede suâ pulsus est; huic Synodo Aridius Lugdunensis praesedisse dicitur, sicque iniquitatis hujus et injustitiae particeps paenitè fuisse. Annis 650. 813. 839. 873. 887. et 894. Comitia hîc habita fuêre, in quorum ultimo quidam Monachus nomine Gerfredus fuit accusatus, quòd Adalgarium Augustodunensem Episcopum venenô peremisset, qui tamen, more tùm temporis usitatô, sumtâ Eucharistiâ innocentiam suam testatus est. Annis quoque 918. 1063. 1073. et sequentibus aliis temporibus Ecclesiastici Conventus hîc habiti fuerunt.

2°. Virodunum, Viridunus, item Castrum seu Castellum Virodunum |: Verdun :| Urbs satis angusta ad confluentem Dubis |: Doux :| et Araris seu Sorgonae |: Saone :| tribus milliaribus à Cabilone, et totidem à Belnâ |: Beaune :| ac Savarâ |: Seure :| unam Belogardiâ |: Belegarde :| Titulô Comitatus gaudet. Nomen sumum habere dicitur à Celticis nominibus Ver, quod vadum seu transitum, et Dun, quod eodem significat. 450. commeantium passuum est ejus longitudo, latitudo 170. Suburbium S. Joannis amplum est, et propter exterorum agmentum ipsâ Civitate praestantius et populosius. Unicam habet Ecclesiam parochialem, commercium ejus frequens est et celebre: singulis annis 29. Octobris nundinas habet, quae 14. dies durant, et ad quas permulti conveniunt Mercatores.

89.

§. IV.

De Tractu Montanô.

Tractus Montanus |: le Païs ou Baillage de la Montagne :| sic dictus à montibus, quibus repletur; positus est ad Septentrionem Ducatûs Burgundiae juxtà Sequanam. Olim pars Campaniae, in quâ includitur, erat; at an. 1435. in tractatu Atrebatensi ab eâ avulsus fuit, nempe à Carolo VII. Galliae Rege Philippo Bono Burgundiae Duci traditus. In eo praecipuè oriuntur

Castellio ad Sequanam |: Chatillon sur Seine :| Urbs sita inter Axiam Dueis |: Aisey le Duc :| et Barium |: Bar :| ad ripam Sequanae 16. milliaribus à Divione et 13. à Lingonibus |: Langres :| Eam Sequana in duas partes dispescit. Bina illius extrema ... edita coarctant, medium verò in humili positum est, sicque Amphitheatri cujusdam speciem exhibet. Ejus ambitus est circiter 3500. passuum. Unica est in eâ Ecclesia parochialis cum duabus, ut vocant, filialibus. Item aliquot utriusque Sexûs Monasteria, ut Benedictinorum,

Franciscanorum, Capuccinorum, Monialium Benedictinarum, Urselinarum, et Carmelitanarum. Adsunt etiam duo Nosocomia, unum S. Germani pro egenis itinerantibus, alterum S. Petri pro aliis pauperibus. Adest etiam Collegium pro uno Rectore et tribus Professoribus fundatum, in quo Humaniora docentur.

§. V.

90. ~~[illegible]~~. De Pagô seu Tractu Alesiensi vel Alexiensi.

Pagus seu Tractus Alesiensis seu Alexiensis |: L'Aussois vel Auxois vel etiam, quod etymologiæ nominis magis convenit, Aulsois:| Nomen habet ab Alesiâ, seu, ut quidam scribunt, Alexiâ celebri quondam Mandubiorum populorum urbe, de quâ Cæsar meminit lib. 7. de bell. gall. c. 12. ut et Strabo lib. 4. quæ modò exiguus vicus est adhuc tamen celebris martyriô S. Reginæ, quod ipsa ibidem passa est, et cujus corpus sæculô XI. Flaviniacum |: Flavigny:| ad Ecclesiam Benedictinorum translatum est, ibique quiescit.

Situs est Tractus hic inter Agrum Divionensem versùs Orientem, Altissiodorensem versùs Occidentem, Augustodunensem versùs Meridiem, et Campaniam versùs Septentrionem.

Solum habet fertile præsertim frumenti, cujus ut et pecorum haud vulgare commercium incolæ agitant; hic etiam coluntur vineæ, adsunt etiam prata et sylvæ, p. occurrit præcipuè

.10 v.8 Semurum seu Senemurium |: Semur seu Semeur:| Urbs sita ad ripam Armentionis |: Armançon:| fluvii. Tractûs centrum occupat, estque illius caput. Distat à S. Reginâ |: Ste Reine:| Oppido seu exiguâ urbe tribus milliaribus, ut et à Flaviniacô; septem ab Abadone |: Avalon:| tredecim à Divione; et octo ab Augustodunô. Undique, si plagam orientalem excipias, montibus circumdata est. In suô ambitu tres murorum continet ordines, quibus trifariam dividitur, indicium, quòd ternis vicibus ædificata fuerit; hi tamen ita sibi invicem cohærent, ut unicam exhibeant Civitatem. Prima pars Oppidum nuncupatur, cæterisque populosior est et amplior: ibi Benedictini Prioratum habent, cujus Ecclesia magnifica est et B. V. Mariæ dicata necnon Civibus parochialis. Celebris Genebrardus Aquarum Sextiarum |: Aix:| in Provinciâ Archiepiscopus, priusquàm ad Archiepiscopalem dignitatem eveheretur, ibidem Prior fuit, atque 14. Martii 1597. defunctus sub principe Altari sepultus jacet. Habent hîc etiam Carmelitæ Monasterium, qui adversùs Calvinistas Catholicam fidem egregiè tuiti sunt.

Altera pars propugnaculum est editô locô positum, quod Gallis Donjon dicitur; munitæ Arcis locô est, necnon Oppido, et Castello, quod est ejus tertia pars, dominatur. Arx ista seu propugnaculum, quod præcipuâ sui parte in penè inac-

cessibili saxo collocatum est, nemori Romentione |: Romançon :| flumine cingitur viginti sex duntaxat passibus longum et octoginta latum; bini sunt in illo fontes, qui numquam exarescunt; ibi etiam est Capella S. Margaretha dicata, quam Monachi Rhodenses Lodiæ Melitenses S. Joannis administrant; bina etiam sunt Area, quarum una Monsillum |: Monstilde :| altera Velleris Signum |: Valering :| nuncupatur.

Castellum, quod, ut dictum, tertia Urbis pars est, muris, quos singulis quindecim passibus fortissima turres munient, cinctum est. Illud varia speciosa exornant ædificia, adestque Monachorum Prioratus, qui S. Mauritii dicitur.

Præter jam memorata Sacraria Semuri ornarunt Abbatia sub titulo S. Joannis Canonicorum regularium S. Augustini, Conventus Minimorum, Capucinorum, et Dominicanorum: in horum Ecclesiâ asservatur Miraculosa B. V. Mariæ imago, ad quam veneranda multi confluunt peregrini.

Semurum unica Ducatûs Burgundiæ Civitas fuit, quæ sumpto Sacro fœdere seu ligâ Regi fidelis perstitit: undè Henricus IV. ejus fidelitatem remuneraturus celebratis ibidem an. 1590. provinciæ Comitiis, Senatum Supremum an. 1592. in eam Divione transtulit, ibique ad pacem usque Sessiones suas in illâ celebravit.

1590 91.

§. VI.

De Regione seu Agro Altisiodorensi.

Regio seu Ager Altisiodorensis |: L'Auxerrois :| limites habet ad Septentrionem et Orientem Campaniam; ad Meridiem Burgundiam ipsam, et ad occidentem Tractum Nivernensem. Titulo Comitatûs fruitur. Occurrit præcipuè

Altisiodorum |: Auxerre :| Caput provinciæ eique nomen tribuens. Apud varia ætatis Scriptores, varia quoque urbis hujus leguntur nomina, ut Antisiodorum, Autosiodorum, Autosudorum, Autesiodorum, Autisiodorum, et Autesiodorum. In Notitiâ provinciarum et urbium Galliæ vocatur Civitas Autisiodorum, et Civitas Autisiodorensium. Idius etymologiâ à Celticâ quodam vocabulo, cujus significatio ignoratur, derivata videtur.

De Idius antiquitate nemo dubitat; ejusque meminerunt Veteres, ut Antoninus, Ammianus Marcellinus, &c. Ubi Romani Gallias sibi subegerunt, tùm et hæc potiti sunt Comitatu: Labescente dein Romanâ in Galliis Imperio ad Francos pervenit, quin unquam sub Burgundionum potestate fuerit, primumque sub Guntramno Clotarii I. Francorum

Regis filiô, cui Burgundiæ regnum cessit in partem, huic regno adjectus est. Sub Carolingis Regibus, et ex illorum donô Episcopi Altisiodorenses Comitatum hunc obtinuerunt, quem variis Dominis in feudum dederunt retentô sibi illius directô Dominiô, ab his an. 1370. ad Reges Franciæ in personâ Caroli V. emtionis titulô pervenit, tùmque negligi coepit Episcoporum directum illius Dominium, cùm ineptum videretur, ut Reges Episcoporum sibi subditorum clientes beneficiarii, seu ut Ic.tus ait, feudatarii essent. Tandem Carolus VII. cum ab Anglis premeretur Philippo Bono Burgundiæ Duci eorum foederato illiusque utriusque sexûs posteris, quò pacem cum ipso haberet, eundem Comitatum cessit; penes quos permansit usque ad mortem Caroli Audacis; tùm enim Ludovicus XI. Franciæ Rex Mariæ illius filiæ et heredis unicæ eundem eripuit ac coronæ suæ adjunxit.

Civitas Altisiodorum sita est in declivitate montis propè Icaunam |: Yonne :| fluvium, qui moenium ipsius partem alluit, sub 23. grad. 22 min. longit. et 47. gr. 46. min. latitud. Illius figura fermè rotunda est, enimverò ipsa 1100. passibus longa est, et 1000. lata.

Habet Episcopum Metropolitano Senonensi subjectum. Primus illius Episcopus fuisse agnoscitur S. Pelegrinus hûc an. 261. à Sixto Papa II. missus et Martyriô coronatus an. 273. sub Aurelianô Imperatore.

Ecclesia ejus Cathedralis haud specialem meretur attentionem, at Episcopali palatiô nil fermè totâ Franciâ augustius. Præter Ecclesiam Cathedralem adest etiam Collegiata S. Mariæ de Civitate |: Nôtre Dame de la Cité :| nuncupata, et eo locô, in quo Altisiodorum vetus erat, sita. Adsunt etiam Monasteria, ut Abbatia S. Germani Benedictinorum è Congregatione S. Mauri, et ubi usque sexaginta Sanctorum Corpora unà cum penè innumeris reliquiis asservantur, atque inter alia corpus S. Germani, qui per triginta annos hic Episcopatum tenuit ab an. scilicet 418. usque ad an. 448. quô Ravennæ mortuus est, necnon inde hûc deportatus, miraculis in vitâ et post mortem clarissimi. Item Abbatia S. Mariani Præmonstratensium, quæ an. 1565. ab Hugonotis devastata fuit. Abbatia S. Juliani Monialium Ordinis S. Benedicti in Suburbiô S. Martini posita. Abbatia Insularum |: des Isles :| Monialium Cistercensium, pp. Denique Collegium Patrum Soc. Jesu an. 1618. erectum, in quo Patres isti inferiora unà et Philosophiam docent*. Adsunt quoque octo parochiales Ecclesiæ, duóque Nosocomia.

* Dum hæc scribebantur nondum Jesuitæ exulare jussi erant.

Civitas hæc opportunum habet ad commercium situm propter Icaunam fluvium et commodam cum Lutetiâ communicationem. Vina illius sunt excellentissima, lanamque habet totius Burgundiæ optimam; at incolæ ad

hoc emolumentum non satis animum attendere videntur.

Olim hû, quemadmodùm Parisiis, Remis, et Turonibus celeberrima florebat Universitas cui praeerant Episcopi, imò ipsimet in eâ docebant.

Quaedam etiam Nationales Synodi Antisiodori celebratae memorantur, ut an. 584. sub Pelagiô Papâ II. item an. 1147. sub Gilbertô Porretanô Pictaviensi Episcopô, in quo doctrinam suam circà mysterium SS. Trinitatis exposuit, et cujus meminit Otto Frisingensis de Gest. Frider. I. Imp. Denique an. 1020. ab Episcopo Altisiodorensi Ariaci |: Ayri seu Airi :| quod est Castellum in ejus Dioecesi situm, habita est Synodus, cui Robertus Rex interfuit.

§. VII. 92.

De Carolesiô seu Pagô Quadrigellensi.

Carolesium seu Pagus Quadrigellensis vel Quadrellensis |: Charolois :| longitudo ejus est duodecim milliarium à Gusiâ |: Guise :| flumine usque ad Ligerim |: Loire :| et latitudo septem, ab Arrosio |: Arroux :| fluviô scilicet usque ad Pagum Matisconensem. Olim simplex erat Castellania, post in Comitatum evecta. Neque veteri neque mediâ aetate nomen ejus notum fuit, id solummodò de eâ memoriae proditum est, quòd nempè priùs pars fuerit Briennensis Tractûs, atque postmodùm in potestatem Comitum Cabilonensium venerit; à quibus dein permutationis titulô ad Duces Burgundiae pervenit, ab his verò ad Principes Franciae, et tandem denuò ad eosdem Burgundiae Duces emtionis titulô, cùm priùs Comitatûs titulô decorata fuisset; penes quos permansit usque ad obitum Caroli Audacis; tùm enim et Comitatum hunc Ludovicus XI. Mariae hujus Caroli filiae et heredi eripuit: at deinde Franciae Reges Austriacis Hispaniae Regibus Comitatum hunc restituere coacti sunt, penes quos remansit donec Ludovicus Borbonius Princeps Condaeus, cui Philippus IV. Hispaniae Rex, sub quo è Franciâ transfuga ~~Condaeus~~ stipendia meruerat, ingenti aeris summâ obligabatur, titulô compensationis illum sibi asseruit, necnon ad posteros suos transmisit, non multùm aut nihil contrà strepitantibus Hispanis. Occurrit praecipuè

Caroliae urbs |: Charolles :| caput Comitatûs ad ripam Recosii |: Recouse :| fluvii sex milliaribus à Cluniacô, et totidem circiter à Ligeri |: Loire :| flumine collocata. Exigua est, nec ultrà 300. passus longa et 250. lata. Binas duntaxat portas habet. Veterum Pagi Comitum Arcis reliquiae intrà urbis moenia continentur, ex quibus olim ampla fuisse videtur. Adest Ecclesia Collegiata simul et parochialis. Nosocomium sub Arce positum est, à Comitibus jam olim fundatum. p.

§. VIII.

De Agrô Matisconensi.

Ager Matisconensis |: le Masconois seu Mâconois:| situs est inter Bellojoviensem |: Beaujolois:| et Cabilonensem Agros, ac versùs Orientem per Ararim |: Saone:| à Bressiâ separatur. Speciales suos habet Status, ut vocant, quibus praeest Episcopus. Titulô Comitatûs gaudet, vinique optimi fertilissimus est. Aeduorum populorum fuit, primúmque Romanorum, dein Burgundionum, post Francorum factus est: postmodum proprios comites habuit, tandémque ad Reges Franciae rediit, necnon sub ipsorum permansit imperiô, donec an. 1477. Carolus VII. illum Philippo Bono Burgundiae Duci illiúsque sexûs utriusque posteris reliquit; hoc non obstante Ludovicus XI. mortuô Carolo Audaci Mariae ejus unicae filiae et heredi Comitatum hunc eripuit. In eo recensentur

1º Matisco seu Matiscona |: Mascon seu Mâcon:| Urbs Caput Comitatûs, à quâ et ipse nomen habet, sita ad ripam Araris seu Socconae fluvii, quocum opa pontis lapidei 300. passus longi et sex lati, quémque tredecim arcus sustinent, conjungitur, in declivitate collis. Moenia ejus arcûs seu semicirculi figuram exhibent: ejus longitudo est circiter passuum 1300. et latitudo 600. totus verò ambitus 3000. Incolae 6000. circiter in eâ numerantur: plateae ejus sunt angustae et inaequales. Olim, ut jam dictum Aeduorum fuit, quod ex Caesaris habetur Commentariis: ejus tamen nec Strabo, nec Plinius, nec Ptolomaeus meminerunt; solummodò in Notitiâ dignitatum Imperii memoratur Matiscone esse Sagittarum Opificium. Quo tempore Urbs haec Aeduis erepta fuerit, ignoratur, id duntaxat habetur compertum, quòd ubi Burgundiones eam occupârunt, jam haud incelebris Civitas fuerit.

Habet Sedem Episcopalem Lugdunensi metropoli subjectam. Ecclesia Cathedralis, quae S. Vincentii dicitur, angusta est et obscura, ejúsque fornices praealtae sunt. Campanae ipsius propter harmonicum, quem edunt, sonitum totâ Franciâ celebrantur. Ecclesia Collegiata S. Petri ex eo duntaxat spectabilis videtur, quòd illius Canonici quatuor ex utriusque parentis parte stemmatum nobilitatem probare teneantur. Sunt etiam in hac urbe Franciscani de Observantiâ nuncupati, Dominicani, Capucini, Minimi, Jesuitae, et Patres Oratorii; item Moniales Visitationis, Carmelitanae, Urselinae, et Sorores Hospitalariae, quae Nosocomium administrant. In Domo Charitatis |: la Maison de la Charité:| centum viginti personae aluntur.

Opinio est Episcopatum Matisconensem jam primô Ecclesiae saeculô fundatum fuisse, quamvis primorum Epis-

coporum suorum, antequam à Francis instituti fuerint, nomina ignorentur: primus horum Episcoporum, quorum nomina reperiuntur, erat Placidus quidam, qui tertio Aurelianensi Concilio, quod an. 538. habitum est, interfuit. Regnante Guntramnô Burgundiæ Rege bina in hac urbe celebrata fuêre Concilia: in ultimô, quod habitum est an. 585. Dominicarum dierum festivitas et ab operibus in eâ vacatio, quæ hactenùs non satis servata fuerat, denuò restituta est, ac poenæ in hujus Sancti præcepti transgressores decretæ.

2ò. Cluniacum |: Clugny, Cluny, seu Cluni :| Urbs sita propè Gronam |: Grosne :| rivum suprà collem, quam vallis intrà duos posita montes ambit; quatuor milliaribus à Matiscone, tredecim ab Augustodunô, et quindecim à Lugdunô. Moenia ejus ampliora sunt Matisconensibus, quamvis longè pauciores numeret incolas. Priùs nonnisi pagus erat, at postquàm ibi erectum fuit celebre Ordinis S. Benedicti Monasterium, quod ejus nomine Cluniacum seu Cluniacense Monasterium dictum est, tùm adfluente populô Civitas evasit.

Fertur Monasterium istud à Wilhelmo Aquitaniæ Duce et ejus Uxore Ingelbergâ constructum fuisse, id eâ ratione quidam referunt, ut à Bernone Balmensis coenobii in Diœcesi Vesontionensi, quod Balma Monachorum |: Beaume les Moines :| nuncupatur, Abbate jussu et sumtibus dicti Ducis cognomentô Pii an. 910. fundatum fuerit: alii volunt illud an. 826. extructum fuisse à Guarinô Cabilonensi simul et Matisconensi Comite, necnon à Bernone restauratum duntaxat.

Monachi Cluniacenses præter regulam S. Benedicti quasdam adhuc eidem superadditas servant Constitutiones, quibus à reliquis ejusdem Ordinis Alumnis quodammodò distinguuntur, undè et specialem constituunt Congregationem, quæ longè latéque propagata est, necnon Ecclesiæ magnos sanctitatéque percelebres viros, ut Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, &c. dedit. Tres numerantur summi Pontifices, qui Monachi Cluniacenses fuêre, scilicet Gregorius VII. Urbanus II. et Paschalis II. Ætate Petri Venerabilis ~~Abbat~~ Cluniaci Abbatis, qui sæculô XII. floruit, necnon Ecclesiam præclaris Operibus illustravit, atque 24. Decemb. an. 1157. in coelum evolavit, 460. ibidem numerabantur Monachi.

Cluniacenses sanctitate adeò excelluêre, ut quamplurimi dignitate et natalibus illustres viri apud ipsos domicilium et sepulturam sibi elegerint, quod produnt propè innumera Episcoporum, Archiepiscoporum, et aliorum magnæ notæ virorum, quæ ibidem visuntur cenotaphia et tumuli. Gelasius Papa II. Henrici IV. Imperatoris

persecutionem fugiens Cluniacum se recepit, ibique an. 1119. itineris et morbi incommodis confectus diem supremum obiit, statimque post ejus obitum Cardinales, qui eum magno numero secuti fuerant, eidem suffecêre Guidonem Archiepiscopum Viennensem, qui Calixtus II. dictus est.

Hujus Monasterii Ecclesiæ inter amplissimas totius Franciæ Ecclesias indubitatè recensetur, 600. pedum longa crucis Archiepiscopalis formam exhibet: à S. Hugone, qui anno 1048. Cluniaci Abbas et totius Congregationis Superior seu, ut ajunt, Generalis electus est, atque 29. April. an. 1108. obiit, Gothico opere ædificata fuit, atque ab Innocentiô Papâ II. consecrata. Posita est sub colle, cujus culmen Civitas et Monasterium ipsum occupant, undè ab his quadraginta duobus gradibus in eam fit descensus. Olim immensô et aliquot millionum prætii thesaurô potiebatur: at sæculo XVI. bello civili et intestinô fervescente, Monasterium an. 1562. ab Hugonotis devastatum fuit, thesaurúsque ablatus, Sacræ reliquiæ, ut et Bibliotheca, in quâ usque 1800. Manuscripti Codices asservabantur, igne consumtæ.

In Civitate tres numerantur Ecclesiæ parochiales, adsunt etiam Patres Franciscani, quos Recollectos vocant, et Xenodochium. Monasterium Summæ Sedi immediatè subjectum est nulliúsque Dioecesis; deputatúrque Monachus, qui Archidiaconus dicitur, necnon jurisdictionem quasi Episcopalem, ut ajunt, in ipsa Civitate certóque ejus districtu, qui Sacrum bannum (: le Ban sacré :) nomine Monasterii exercet; à cujus judiciô immediatè ad Summam Sedem fiunt appellationes.

q dicitur,

94. ~~202.~~

§. IX.

De Bressiâ.

Bressia (: la Bresse :) Comitatus à Sylvâ, quæ illius partem occupat, atque Brexia, seu ut Aimoinus vult, Saltus Brexius dicitur, nomen habere videtur. Olim Comitatus iste haud speciali nomine insignitus erat, sed duntaxat pars erat Regionis illius, quam Burgundiones ultimæ Germaniæ populi sibi subjecerunt, atque suô nomine Burgundicum Regnum dixerunt, quod postea Francorum Monarchiæ adjectum est. Labascente dein Caroli Magni stirpe, tùm inventi sunt in hac provinciâ, qui, excussô Regum dominatu, summum in eâ sibi arrogârunt principatum, præcipuáque illius pars ad Sabaudiæ Comites an. 1272. translata est, undè olim divisio in Bressiam Cabilonensem et Sabaudicam; hæc tandem an. 1601. à Carolô Emanuele Duce Sabaudiæ cessa fuit Henrico IV. Franciæ Regi receptô, ejus locô, Salutiarum Marchionatu, sicque nunc nullo additô nomine simpliciter Bressia nuncupatur.

Bressia Status habet provinciales, Urbesque, Clerus, et Nobilitas per Deputatos statutis temporibus conveniunt, aguntque Comitia, in quibus, quantùm valent, provinciæ suæ

bono prospiciunt, &c.

Posita est inter fluvios Ararim seu Soconam |: Saone :| versùs Occidentem, et Idanum |: Ain :| versùs Orientem. Ad Septentrionem confinis est Ducatui Burgundiæ, et ad Euro-Aquilo-Mesem Comitatui; ad Orientem Sabaudiæ; ad Meridiem Agro Viennensi; ad Occidentem Principatui Dombensi et Arari, quæ illam ab Agro Matisconensi separat. Ejus longitudo ab Oriente in Occidentem est circiter sexdecim milliarium, latitudo à Septentrione in Meridiem novem. Quidam sub Bressiâ comprehendunt Principatum Dombensem, Bengesiam, et Gessiam.

Bressia solum habet frumenti et cannabi fertile, vinum quoque profert haud injucundum; fluvii ipsius pisces abundanter suppeditant; adsunt etiam feræ pennariæ. Fluviorum et lacuum copia quibusdam in locis aërem efficiunt insalubrem. Hic solùm notatur

Burgus Bressiæ |: Bourgen Bresse :| Caput Comitatus. Sita est hæc Urbs fermè in centrô provinciæ ad ripam Resuziæ |: Resousse :| fluvii locô paludosô sed fertili, Lugdunum inter et Comitatum Burgundiæ. Olim Forum Segusianorum, item Tanum nuncupata fuit. Ejus ætas ultrà sæculum XIII. haud porrigitur. Illius longitudo est 2200. passuum, latitudo 900. totúsque ambitus circiter 2600. in septem regiones dividitur; trésque ejus sunt portæ.

Ante tractatum annî 1601. Henricum IV. inter et Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Lugduni conclusum ad Sabaudiæ Duces pertinebat, atque an. 1569. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux ibidem editô locô Arcem construi fecit munitissimam, quam an. 1611. solo æquari jussit Regina Ludovici XIII. mater.

Urbs hæc Sedes fuit Episcopalis an. 1515. à Leone Papâ X. ad instantiam Caroli Sabaudiæ Ducis erecta; at idem Papa anno insequenti urgente Francisco I. Franciæ Rege hanc erectionem revocavit; sed an. 1521. ad petitionem Caroli V. Imperatoris eandem restituit: tandem an. 1535. Paulus Papa III. urgente denuò Francisco I. penitùs eam abrogavit, necnon Metropoli Lugdunensi adjunxit.

Præter principem Ecclesiam B. V. Mariæ dicatam, quam Leo X. Cathedralem dixerat, et quæ nunc Collegiata duntaxat simulque parochialis est, adsunt hîc Monasteria seu Conventus Dominicanorum, Franciscanorum nudipedum, et Capucinorum; item Monialium S. Claræ, Urselinarum, Visitationis, et Sororum Hospitalariarum; necnon duo Nosocomia.

Hujus Urbis commercium consistit in equis, pecoribus, et pellibus, quæ penitùs dealbatæ Gratianopolitanis et Lugdunensibus Mercatoribus venduntur: et quamvis ad exercendam negotiationem non satis commodè sita videatur,

tamen in ea plures nundinæ celebrantur, quarum duæ, scilicet eæ, quæ 25. april. et 15. Junii habentur, liberæ sunt et à vectigalibus immunes.

Burgi Bressiæ nati perhibentur Claudius Gaspar Bachet, Claudius Faber |: Faure :| Vaugelas, Meziriac, et Nicolaus Faret, celebria Galliæ Parisiensis Academiæ membra.

95. §.X.

De Pagô Dombensi.

Pagus Dombensis, aliàs Dumbæ, et Dumbarum Tractus, item Dumbarum Principatus |: Dombes, Dombez, et Dombe :| exigua, sed fertilis ac venusta regio, quæ Supremi Principatûs titulô ac prærogativâ fruitur. Versùs Orientem conterminat Bressiæ, versùs Septentrionem Agro Matisconensi, versùs Occidentem Bellojoviensi, et versùs Meridiem Lugdunensi. Ejus longitudo est novem milliarium, et latitudo fermè totidem.

Hujus Pagi seu Principatus nec in Capitularibus*, nec in aliis veteribus monumentis fit mentio aliqua. Olim à Balgiaci |: Bauge :| et Bressiæ Dominis possidebatur, ab his ad alios tùm hereditatis tùm emtionis titulô ac jure devolutus est, donec ad Ducem Cenomanensem |: Duc de Maine :| Ludovici XIV. nothum, sed ab ipso in ingenuos transcriptum liberos, seu, ut Hti loquuntur, legitimatum ab Annâ Mariâ Ludovicâ Aurelianensi Monspenserii Duce donationis inter vivos titulô pervenit, in cujus prosapiâ etiamnum adhuc perstat.

Olim Principatus iste feudum erat Archiepiscopatûs Lugdunensis; verùm jam ab eo tempore, quo Franciscus I. eundem coronæ adjunxit, jure suô decidêre Archiepiscopi Lugdunenses. obstitêre Francisco I. Ludovica Princeps Borbonia et filius ipsius Monspenserii |: Montpensier :| Dux; undè inter ipsos lis mota, quæ tandem finem sortita est sub Carolo IX. à quô Ducibus Monspenserii unà cum Supremi imperii juribus hic Dumbarum Principatus restitutus fuit; Ludovicus XIV. quoque litteris patentibus declaravit quòd Supremus Dumbarum Dominus non tanquam suus Cliens fiduciarius seu, ut ajunt, Vasallus, verùm tanquam minùs potens Princeps respectu potentioris considerandus foret. Princeps Dombensis jus habet vitæ et necis, cudendæ monetæ, nobilitandi subditos, et quidquid placuerit eis imponendi. Occurrit hic præcipuè urbs

Trivoltium |: Trevoux seu Trevou :| Caput Principatûs in parte declivâ collis ad Orientalem Araris |: Saone :| ripam posita. Vetustissima est, ibique Severus Imperator competitorem suum Albinum prælio devicit, prout refert Spar-

* Capitularia hic intelliguntur Caroli magni, Ludovici Pii, et Pagoli Calvi Imperatorum aliorumque Franciæ Regum leges et Sanctiones ad res tùm Ecclesiasticas tùm Civiles pertinentes; statuebantur in Comitiis generalibus et Nationis Conventibus aut Conciliis auctoritate Principis, et consensu populorum, quibus quilibet in particulari subscribebat. Hujusmodi Sanctiones seu Constitutiones Capitularia dictæ sunt, quòd Sectionibus seu Capitulis distinctæ essent.

tianus*, qui Urbem hanc Tinurtium, vocat, quod vocabulum per Trivurtium emendari debet, ex quo dein Trivoltium factum est, prout in Antonini itinerariô legitur. Nomen habere videtur quòd eo loco sita sit, ubi una ex illis regiis viis, quas Agrippa in Galliis fieri curavit, trifariam dividitur, et quæ ob id Tresviæ seu Trivium nuncupata fuit.

Hujus Urbis parochialis Ecclesia facta est Collegiata àn. 1523. à Clemente Papâ VII. Adsunt hîc etiam Carmelitæ, Moniales tertii Ordinis S. Francisci, Urselinæ, et Nosocomium. Adest quoque celebre typographium. Eam imprimis decorat Eruditorum Societas, quæ majori ex parte ex Jesuitis conflata est.* Ab ipsâ an. 1701. vulgari cœptum est Diurnum seu Summarium continens librorum recèns editorum catalogum brevémve historiam sub Gallicô titulô Memoires de Trevoux, id est Commentarii Trivoltienses. Ab hac etiam Eruditorum Societate prodiit Dictionarium Universale Gallico-latinum, vulgò Trivoltiense |: Dictionaire de Trevoux :| dictum, quod novâ editione an. 1734. quinque tomis in foliô Nancei à Petro Antoine typis vulgatum est.

*Spartianus |: Ælius :| Historiographus latinus. floruit sub finem Sæculi III. Scripsitque circà an. 290. Chr. Adriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Severi et Pescennii Nigri Imperatorum vitas, librumque suum Diocletianô Imperatori inscripsit.

* Jesuitæ non amplius adsunt.

§. XI.

96.

De Beugesiâ.

Beugesia |: le Bugey seu Bugei :| Bressiæ adhæret, cujus propriè pars est, quamvis ab eâ expressè sit distincta. Ad Orientem confinis est Sabaudiæ sic, ut Rhodanus inter utramque fluat; ad Occidentem Bressiæ, à quâ Idanô |: Ain :| flumine separatur; ad Meridiem Delphinatui, à quo eam Rhodanus distinguit, et ad Septentrionem Gessiæ et Comitatui Burgundiæ. Sexdecim milliaribus longa est, et decem lata. Olim pars erat veteris Sequanorum Dominii; fuit etiam pars Regni Burgundici, postquam scilicet illud ad Francos pervenit; posteà propriorum Comitum, demúmque Ducum Sabaudiæ facta est, penes quos permansit usque ad an. 1601. quo Henrico IV. à Carolô Emanuele Sabaudiæ Duce cessa fuit, retenta tamen sibi exiguâ adhuc illius parte.

Hæc provincia Status habet liberos, qui Statutis temporibus Comitia agunt. Solum ejus frumenti, vini, frugúmque fertile est; prata habet optima, præstantésque sylvas et lacus. Occurrit præcipuè

Bellica seu Bellicum |: Belley seu Bellay :| Caput Bugesiæ. Sita est Civitas hæc inter colles et exiguos montes 2000. circiter à Rhodano passibus. Illius nomen in nullis eorum monumentorum, quæ Francorum ex Merovingicâ stirpe Regum ætatem superant, reperitur.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Vesontionensi subjectam. Fridericus I. Imperator cognomento Ænobardus meritis S. Anthelmi, qui an. 1163. ex magnô Carthusianorum propè Gratianopolim cœnobiô, ubi Prioris munere fungebatur, ab Alexandrô Papâ III. extractus ad hujus urbis Episcopatum erectus fuerat, permotus eidem et suæ Ecclesiæ Civitatis Dominium, omniaque Regalia jura concessit nihil sibi præter summum imperium retinens; undè ab eo tempore Antistites Bellicenses Imperii Principes dicti sunt ac fuêre, sessionémque ac votum in Imperii Comitiis habuêre, quamdiu scilicet Bugesia sub Romano-germanico fuit Imperiô.

Quâ ætate Sedes hæc Episcopalis erecta fuerit, ignoratur, id duntaxat constat, nempè Vincentium quemdam hujus Civitatis Antistitem interfuisse Secundo Parisiensi Concilio, quod circà medium Sæculi VI. sub Childeberto Clodovæi filiô celebratum perhibetur. Inolæ laudant Audacem quemdam nomine, quem dicunt jam initiô Sæculi V. Sedem hanc tenuisse.

Unicam habet urbs hæc parochialem Ecclesiam, quæ S. Laurentii dicitur, et quam Ecclesiæ Cathedralis Canonici administrant. Patres Minores de Observantiâ, Capucini, Moniales Visitationis, Urselinæ, et Bernardinæ seu Cistercienses habent hîc Monasteria.

Ajunt Urbem hanc an. 1385. incendiô consumtam fuisse, ac posteà ab Amadeo VIII. Sabaudiæ Duce restauratam necnon moenibus et turribus cinctam. Modò ejus longitudo est circiter 560. passuum, latitudo 400. et totus ambitus 2000.

§. XII.

97. [illegible]

De Gessiâ

Gessia seu Gesia, et Gajum Baronatus |: le pays seu la Seigneurie vel Baronie de Gex :| exiguus est districtus, qui velut Bengesiæ pars habetur, à qua pars Jurassi montis, quæ longum Credo dicitur, eam separat. Jacet inter Jurassum, Rhodanum, Lacum Lemanum seu Genevensem, et Helvetiam.

Olim Comitatûs Genevensis pars erat, Ecclesiæque Genevensis feudum. An. 1353. armorum vi Gessiam sibi subegit Amadeus Sabaudiæ tunc Comes duntaxat, ditionique suæ adjunxit; penes posteros suos permansit usque ad an. 1601. quô Regum Franciæ facta est: postmodùm Ludovicus XIII. Henrico Borbonio Principi Condæo illam cessit receptis pro eâ aliis ditionibus.

Propter viarum difficultatem commercium hîc haud viget, quamvis solum satis fertile sit. Gessiæ casei cebrantur, atque Genevam deferuntur. Occurrit Urbs

Gessia, Gesia, seu Gajum [: Gex, Gex, seu Gex :] quæ Baronatui nomen tribuit. Sita est sub monte S. Claudii, qui Districtum seu Baronatum ipsum à Comitatu Burgundiæ separat, duobus à Genevâ milliaribus.

Hujus urbis tres sunt partes: prima editum locum occupat ad occidentem, in quo olim munita et insignis Arx posita erat.; Altera veterum mœnium reliquiis, aliàs verò undique privatorum hortis clauditur; tres sunt iidem portæ et totidem Suburbia; estque propriè ipsa Civitas è latere versùs Occidentem posita. Pars tertia collocata est 200. ab Arce passibus versùs Occidentem, ac Gessia vetus [: Gex la vieille :] nuncupatur.

Ecclesia SS. Petri et Pauli est ejus Ecclesia parochialis, hæque unica. Carmelitæ hîc habent Monasterium, ut et Capucini, ac Ursulinæ. an. 1681. hûc adducta sunt Monniales de propagandâ fide dictæ, quas sola Regis pietas ac liberalitas sustentat; earum munus est sequioris sexûs juvenes personas ad fidem Catholicam recèns conversas educare. Adsunt etiam Moniales de Charitate. Item valdè pauper Nosocomium, at Speciès exigui cujusdam Collegii.

Ante hæc, ut à nobis dictum, Urbs hæc mà cum suo districtu Duibus Sabaudiæ parebat. an. 1536. in bello Sabaudico Bernenses eam mà cum Vaudô [: le Païs de Vaud :] occupavêre, atque primùm an. 1564. in pace Lausanâ restituerunt. an. 1589. belligerantibus adversùs Ducem Sabaudiæ Rege Galliæ, Bernensibus, et Genevensibus, hi illam expugnârunt, ac pace initâ restituerunt. Tandem an. 1601. vi tractatûs Lugdunensis Galliæ Regem inter et Ducem Sabaudiæ initi prioris facta est.

Caput ~~Sextus~~ IX. 98.

De Delphinatu.

Delphinatus [: Le Dauphiné :] Spectabilis Galliæ Provinciâ et una itidem illius Præfecturarum generalium. Situs est inter 26. et 29. gradum longitudinis, et 43. et 46. latitudinis. Ejus longitudo est 30. milliarium, et latitudo totidem. Versùs Occidentem Rhodanus [: Le Rhône :] fluvius ab Occitaniâ et Agrô Lugdunensi eum separat, ut et ad Septentrionem à Bressiâ et Burgesiâ, ubi etiam Sabaudiæ confinis est; ad Meridiem habet Provinciam; ad Orientem verò Alpibus à Pedemontiô distinguitur.

Delphinatus ~~dimembratus~~ in varios districtus et territoria divisus est, quæ variis temporibus in unum corpus coaluêre. Sæculo V. Burgundiones, ubi è remotissimis Germaniæ finibus advenientes in Galliam irrupêre, præcipuè hîc sedem suam fixêre, eorumque Metropo-

lis et Regia Vienna fuit. Ab his in Francorum potestatem venit; labascente dein sub Carlovingis Imperio proprios Dominos habuit, qui sub Germanô Romanorum Imperiô dominati sunt ei, nec tamen Duces, nec Principes, nec Comites, sed Delphini duntaxat nominari voluerunt; quid causa subfuerit, ut à Sue marinô honoris titulum assumserint, satis ignotum videtur: ajunt Guidonem IV. Albonæ (: Albon :) Comitem primum Delphini nomen, quod in Baptismate acceperat, gessisse, illudque ad posteros suos transmisisse, sicque Principatûs titulum evasisse, necnon ab eo Provinciam ipsam Delphinatum dictam fuisse. Horum Delphinorum ultimus Humbertus II. cum herede careret, hunc suum Principatum per modum donationis inter vivos Philippo VI. Valesio Franciæ Regi cessit cum optione illum cui ex suis filiis vellet tradendi eâ duntaxat conditione, ut qui eundem obtineret, Delphini nomen assumeret, Delphinatûs insignia gestaret, atque Germanô Romanorum Imperio subdi pergeret unà cum Statibus suis, qui nunquam Franciæ adjicerentur, nisi cùm fortè Romanum Imperium eidem conjungi contingeret. Id factum an. 1343. Philippus ultrò acceptis conditionibus Carolo filii sui Joannis Normanniæ Ducis primogenito Delphinatum an. 1349. destinavit, quem Humbertus ipse in illius possessionem immisit, atque an. 1351. Ordinem S. Dominici ingressus est ac professus, dein titularis Patriarcha Alexandrinus necnon Ecclesiæ Remensis Administrator factus diem supremum obiit 22. Maji an. 1354. vel 1355. Claromonte in Alverniâ. Carolus ergò Joannis Normanniæ Ducis filius primogenitus, qui et patri suo in Franciæ regnô successit, ac Carolus V. cognomentô Sapiens dictus est, primus regiorum Principum Delphinus vocatus est, quod nomen hactenus ad Franciæ Regum primogenitos propagatum fuit.

Delphinatus solum habet quibusdam in locis fertilissimum, ibique profert frumentum, vinum, olivas, glastum, calcidem, sericum, crystallum, ferrum, cuprum, &c. in quibus præcipuum consistit Incolarum commercium. At duæ illius tertiæ fermè steriles sunt, undè Incolæ per anni partem alibi operas suas præstare coguntur, quò habeant undè vivant ac tributa pendere valeant. Montes simplicibus medicinalibus, et omnis speciei feris abundant, præcipuè autem Ibicibus, rupicapris, ursis, gliribus, quæ sunt quædam species murium, quas hyberno tempore continuis sex mensibus dormire quin vel semel evigilent, ajunt; leporibus, perdicibus albis, phasianis, aquilis, vulturiis, &c. Producunt etiam abietes construendis navibus aptissimas. Adsunt etiam in Delphinatu fodinæ auri et argenti, quæ negliguntur; item quamplures fontes seu aquæ minerales, quarum quædam, ubi potantur, febrim expellunt.

Delphinatûs præcipui fluvii sunt Rhodanus (: le Rhône :)

Druentius seu Druentia veletiam Durantius |: La Durance :| Isara |: L'Isere :| et Druna seu Druma |: le Drôme :|

Delphinates, universim loquendo, ingeniô praestant acutô: Brigantienses commercium colunt, reliquis planitiem occupantibus sufficit quietè et tranquillè iis rebus frui, quas solum ipsorum profert. Generatim Delphinates astuti sunt et tectissimi; amicitiam sectantur non admodùm teneram, attamen inimicitiam eorum rarò sequitur perfecta animorum abalienatio, aut saltem facilè ad pacem redeunt et concordiam, haud inhumanorum Christianorum indicium.

Delphinatus dividitur bifariam, in Superiorem scilicet, cujus sex territoria seu pagi numerantur; et Inferiorem, qui quatuor duntaxat continet. Hos omnes ordine hîc recensemus.

§. I. 99.

De Pagô Gratianopolitanô.

Pagus seu Tractus Gratianopolitanus |: La Graisivaudan, nomen à Gratianopolitanô per corruptionem derivatum :| intrà montes porrigitur secundùm Isaram |: Isere :| et Dracum |: le Drac :| fluvios. Ad Euro-aquilonemesem confinis est Agro Viennensi; ad Boream et Caurum Sabaudiae; ad Orientem Tractui Brigantiensi; ad Euronotum Agro Embrodunensi; ad austrum Tractui Vapincensi et parti Diensis, qui unà cum Royanensi illius fines ad occidentem determinat. Quamplures in eo numerantur populosi pagi, at paucae notae cujusdam Urbes.

Tractus iste praeter Burgundiae Reges et sub ipsis Episcopos Gratianopolitanos nullos agnovit Dominos usque ad annum circiter 1040. tùm enim Guido senior Guidonis Magni pater primùm Comitis Gratianopolitani titulum assumsit, atque sic Comitatum hunc Albonensi conjunxit, suisque posteris reliquit. Notatur hîc

1º Gratianopolis |: Grenoble :| Nomen Tractui suo tribuit totiusque Delphinatus Caput est. Sita est haec Urbs ad Isaram, ubi in planitie sub montibus Dracum in se recipit. Nomen suum habet ab Imperatore Gratianô, qui Lugduni an. 383. interemtus fuit; ipso tamen longè antiquior est, atque priùs Cularo dicta est, sub hoc quippè nomine illius meminit Plancus epistolâ ad Ciceronem, quae Cularone in finibus Allobrogum scripta fuit. Labascente Romanô in Galliis Imperiô Urbs ista primùm ad Burgundiones, dein ad Francos pervenit, et à Carlovingis ad illius Episcopos, quos cùm Comites Albonae post Delphini nuncupati in suis turbarent juribus, Fridericus I. Imperator cognomentô Aenobardus an. 1161. Episcopos in omnia sua jura restituit adjectô illis Principum titulô. At devo-

luto ad Reges Galliæ Dalphinatu, tùm Episcopi ipsorum subditi esse coeperunt.

Gratianopolis Gradis est frequentissima, satisque munita, à Castrô, quod Bastidia |: Bastille :| nuncupatur, protecta est. Isara eam in binas inæquales dividit partes; sequior colle coarctatur, ac penè unicâ platea, amplâ tamen, concluditur, habet Ecclesiam parochialem, quæ S. Laurentii dicitur; in locô eminentiori positum est Monasterium Monialium Visitationis B.V. Mariæ: pars altera nobilior vicos habet amplos, venustos, et perspicuos; inter ejus palatia eminet Episcopale. Ornamentarium quod centrum civitatis occupat, duris munita Speciem refert.

Habet Sedem Episcopalem Metropolitanæ Viennensi subjectam. Jamque à Sancto IV. Episcopos habuisse legitur; omnium verò S. Dominus, qui huic Episcopatûs dignitate fulsit, an. 381. Concilio Aquilejensi, in quo S. Ambrosius præsedit, interfuisse memoratur. In eô etiam residet Supremus Senatus hic, ut ajunt, Parlamentum dignitate post Parisiensem tertium.

Pelles et Manica Gratianopolitanæ celebres sunt; panni, qui hîc in magnâ quantitate conficiuntur, admodùm rudes sunt. Ab hac urbe Philippus Hispaniæ Princeps an. 1742. cum exercitu irruptionem fecit in Sabaudiam.

Haud procul abeô visitur fons ignens et semper ardens, qui, seu potiùs cujus continuò sursùm efflantes sulphurei vapores, ubi lumen admotum fuerit, statim in flammas erumpunt. Item turris, in quâ nullum venenosum animal vitam servat, sed statim ac in eam immittitur, perit.

2.° Magna Carthusia |: la grande Chartreuse :| in monte asperô tribus circiter à Gratianopoli milliaribus ad Sabaudiæ confinia collocata. Nomen habet à monte, cujus ipsa culmen occupat, qui olim Catorissium dicebatur. In tabulâ Peutingerianâ Gratianopolis Morginum |: Morges :| interponitur et pagum, qui à monte isto, in cujus pede situs est, Catorissium dicitur: postmodùm nomen istud mutatum fuit in Caturcium, dein litterâ r à secundâ illius Syllabâ ad primam translatâ in Cartorcium, Carthusia, Cartusium, denique Carthusia quod nomen hactenus obtinuit. In quodam Manuscriptô Chronicô quod Suessione in Bibliothecâ S. Medardi asservatur, atque usque ad an. 1261. perductum est, et in quo anni fundationis variorum Ordinum Monasticorum annotati reperiuntur, hæc de Cartusianis leguntur: Anno 1086. cepit Ordo Caturciensis: et in Testamento Ludovici IX. Galliæ Regis pariter Ordo Caturciensis legitur. Humbertus a Burgundiâ* scribit Carthusianos nomen sumsisse ab hujus Ordinis cœnobiô, quod haud procul à parochiâ quâdam, cui nomen Cartusia, positum est: hæc pa-

* Humbertus à Burgundia dictus, Superior generalis

rocia eadem est ac Catorissium, quod primùm memorauimus, quæ Gallicè Chatouſſe, Chartrouse, ac tandem Chartreuſe dicta est.

In hunc montem S. Bruno patriâ Coloniensis, ſibique, vel ut alii volunt, Ecclesiæ Remensis primùm Canonicus ac Scholasticus, ubi et Theologiam docuit, mundo renuntiens anno 1084. secessit, atque constructo Coenobio Ordinem instituit, qui ab hoc monte Cartusianus dictus est, ejusque alumni Cartusiani vocati. Regulam S. Benedicti sequuntur additis eidem Constitutionibus quibusdam: Silentium perpetuum, austeritatemque jejunium servant, carnibus, etiam ægroti, nunquam vescuntur, semper cilicium super carne unda gestant, nec Coenobio egrediuntur. Multique celebres viri ex hoc Ordine prodierunt. S. Bruno è vivis excessit in Calabria Regni Neapolitani provincia anno 1101. à Leone Papa X. anno 1514. Sanctorum albo adscriptus est.

Ordinis S. Dominici, natus perhibetur Romani seu Romonii |: Romans :| Dalphinatus urbe olim Burgundiæ regni; unde quidam arbitrati sunt eum è Burgundia ortum duxisse, undè fortasse, ut Humbertus à Burgundia perperam dictus sit. vitam posuit Lugduni an. 1276. ubi in medio chori Ecclesiæ Dominicanorum sepultus jacet. Quædam Opera nobis reliquit.

100.

§. II.

De Tractu Brigantiensi.

Tractus Brigantiensis |: Le Briançonnois :| limites habet ad Orientem Pedemontium; ad Septentrionem Comitatum Mauriana |: Le Comté de Morienne :| ad Occidentem Agrum Gratianopolitanum, et ad Meridiem Ebrodunensem et Marchionatum Salutiarum.

Olim pars erat Alpium Cottiarum, postèa Marchionatûs Segusiensis |: Le Marquisat de Suse :| à quo deinde Delphinorum Comitatus, ut et Regnum Burgundia ab Italiâ secernebat, necnon ob difficilem adeum accessum Insula liberi admodum erant, nec compertum habemus, quando Delphinorum Viennensium seu Albonæ et Gratianopolis Comitum agnoverint Dominium. Propriis legibus vivebant, quibus, ut et privilegiis ac immunitatibus suis à cæteris Delphinatibus secernebantur.

Pars ea, quæ Pedemontio confinis erat, atque in Diœcesibus Tarinensi et Salutiarum sita est an. 1713. in pace Ultrajectensi à Ludovico XIV. Duci Sabaudiæ cessa fuit. Hùc recensetur Urbs

Brigantium, Brigantio, Brigantia, item Urigantia |: Briançon :| septem milliaribus ab Ebrodunò versùs Septentrionem distita, et quindecim à Pinarolio |: Pignerol :| versùs Orientem, vetus Segusiorum Civitas, prout notat Ptolomæus. Julianus epistolâ ad Athenienses ait eam in Alpibus Cottiis sitam esse. Itinerarium Antonini et Tabula Peu-

tiniciana habent Brigantio, et Itinerarium Burdigalense in Hierosolymam sub Constantinô Magnô confectum Brigantium collocat in Alpibus Cottiis quemadmodum et Auctor Tabulæ Peutingerianæ.

Huic urbi insidet Castrum in promontô sanè positum. Binî rivi, quorum unus Dura, alter Antia nuncupantur, sub eâ conjunguntur, atque Durantiam fluvium efficiunt. Sæculô XVI. Confœderati Catholici seu Ligistæ eam occuparunt, at Lesdeguierius an. 1590. iterum iisdem Ducibus ereptam.

Propè Civitatem adest Pinus haud abrimilis, vulgari linguâ Melèze dicta, ex cujus foliis manna defluit. Item haud procul ab eâ visitur Saxum pertusum, supra cujus aperturam hæc Inscriptio legitur: D. Cæsari Augusto Dedicatam, Salutate eam. Episcopum habet Archiepiscopi Ebrodunensis Suffraganeum.

§. III.

De Agrô Ebrodunensi

101. 1590

Ager seu Tractus Ebrodunensis |: L'Embrunois :| situs est ad Occidentem Pedemontii in illius confiniis à quo per Durantiam fluvium separatur, et ad Septentrionem Agri Brigantiensis, à quô pylâ, quæ Foramen Rostanicum |: Pertuis-Rostain seu Rostang :| dicitur, secernitur: hæc pyla illud ipsum trajectum saxum est, de quo primùm præcedenti §. Cautum fuit.

Inclinatô jam Romanô in Galliis Imperiô Tractus iste primùm in Visigothorum potestatem venit, dein Ostrogothorum factus est; ab his Sæculo VI. ad Reges Francorum stirpis Merovingicæ, et ab eis ad Carolovingos, demùm ad Imperatores Germanos devolutus est: Denique Conradus II. Imperator, qui ab an. 1025. usque ad an. 1039. quô 4. Junii Ultrajecti ex morbô Decumbens obiit, per 14. annos Imperii habenas moderatus est, eundem Archiepiscopis Ebrodunensibus eorumque Ecclesiæ donô dedit, qui postmodùm in suâ possessione turbati fuerunt à Comitibus Forcalqueriensibus |: Forcalquier :| donec an. 1179. Romanum Archiepiscopum Ebrodunensem inter et Guillelmum Comitem Forcalqueriensem conventione initâ utriusque jura in hoc Tractu seu Comitatu stabilita fuerunt. Postmodùm Comitatum hunc obtinuêre Delphini, atque altum Archiepiscopi Dominium in eo agnovêre, eique homagium semper præstitêre; at ubi post mortem Humberti II. ultimi Delphinatûs Principis Regum Franciæ factus est, tùm hi non modò ab hac servitute liberi esse voluerunt, sed contrà Antistites hos ad ipsis fidelitatis juramentum circà ea jura, quæ eisdem in hoc Tractu competere dignoscuntur, præstandum adegêre. Hîc recensentur.

Ebrodunum |: Embrun seu Ambrun :| Caput Comitatus, eique nomen tribuens, Urbs vetustissima, cujusque veteres Scriptores Strabo et Ptolomæus meminêre, quamvis non eo, quô debuissent, locô idem collocent. Hîc quoque quærendi videntur Ambibareti, Ambivareti, et Ambonareti,

quorum Cæsar meminit. Ptolomæus, post Antonini Itinerarium memorat, illam Eborodunum, Eburodunum, Ebredunum, et Ebredunum vocat. Itinerarium Burdigalense in Hierosolymam sic habet: Ebridunum mansio inter Catoriges [:Chorges:] et Ramam, Rama exiguus vicus est. Robertus de monte* in suo chronico eam Ebredunum Alpium maritimarum Metropolin Civitatem nuncupat. Aliqui etiam scribunt Embrodunum, et Embrodunum, at Ebrodunum invaluit.

Ebrodunii etymologia duci videtur à duobus hisce Celticis vocabulis Ebro silicat, quod idem est ac fertile, et Dun quod, ut jam alibi observavimus, montem significat.

Augustus Nero illius Civibus Latinitatis, idest honorum et Magistratûs in Romanô Imperiô jura concessit.

Sita est hæc Civitas supra collem, ejusque montium partem Durantia alluit; ampla non est, aditu quidem difficilis sed malè munita, Castrumque munitum, quod eo locô, ubi nunc Capucinorum monasterium est, collocatum erat, modò solo æquatum est. Distat à Vapincis septem milliaribus versùs occidentem, et fermè totidem à Brigantiâ versùs Septentrionem, ut et à confiniis Bedomontii versùs orientem.

Primus hujus civitatis Episcopum fuisse S. Marcellinum ajunt, quem et illius Apostolum nuncupant, quòd eam totam fecerit Christianam, cùm priùs adhuc multi illius Cives Idola colerent.

Episcopi Ebrodunenses primùm tempore Concilii Francofordiensis, quod an. 794. sub Carolô Magnô celebratum est, Archiepiscopi facti fuêre. Eorum item civitate nuncupatur, qui Senatorum albo adscripti fuerunt. Ecclesia Cathedralis Speciosa esse dicitur. Jesuita etiam hîc habent Collegium.

Anno 1583. Hugonoti Ebrodunum occupaverunt, ejusque multas in illius Ecclesiis invenerunt; earum septem Parochiales numerabantur, duæ incendio consumtæ sunt.

Victor Amadeus II. Dux Sabaudiæ postèà Rex Sardiniæ an. 1692. eam adortus est et obtinuit, sed ad sua viam relegens deserere coactus est. Annô quoque 1744. Philippus Hispanus Princeps è Bedemontiô huc se recepit, ut exercitum suum reficeret.

Inter Concilia quæ Ebrodunii celebrata fuêre memoriâ dignum illud est, quod anno 1729. sub Archiepiscopô Petro Guerino de Tencin actum est, in quo Sanitis [:Senezii:] in Provinciâ Episcopus Joannes Soanen, quòd Constitutioni Unigenitus à Clemente Papa XI. adversus Jansenistas emanata adhærere detrectaret, eamque totis viribus rejiceret, Sede suâ dejectus est in Monasterio inclusus fuit. Annô item 1290. Synodus hîc habita fuisse memoratur.

* Robertus, de monte cognominatus, quòd Montis S. Michaëlis in Normanniâ abbas fuerit. Quidam ajunt eum circà an. 1210. floruisse, alii autem verisimiliùs contendunt eum jam an. 1186. è vivis sublatum fuisse. Abest hactenus continuationem Chronicii Sigeberti Gemblacensis ab an. 1112. usque ad an. 1210. quamvis videatur nonnisi usque ad an. 1178. opus suum perduxisse, vel ad summum usque ad an. 1182.

§. IV.

De Tractu Vapincensi.

Tractus Vapincensis |: La Gapençois :| ad orientem et meridiem confinis est Provinciæ; ad occidentem Tractui Dienſi, et ad Septentrionem Agro Gratianopolitanô. Ejus longitudo est octo milliarium, latitudo decem.

Olim Insola olim et Romanorum ætate Tricorii vocabantur, quorum meminit Titus Livius lib. i. Decad. 3. à Romanis ad Burgundiones, et ab his ad Francos, post ad variarum prosapiarum Principes, ipsumque Vapincensem Episcopum devolutus est. Tandem Ludovicus XI. et Carolus VIII. ejus filius cum Provinciam asseruissent, Supremum etiam hujus Tractûs dominium obtinuerunt. Dein Delphinatui adjectus est, quamvis ad Provinciam pertinuisset. Notatur hîc

Vapincum seu Vapingum |: Gap :| urbs Tractui ipsi nomen tribuens Caputque ipsius, sita est ad ripam Bene |: Bene :| fluvii in pelle montis; mediocriter magna, aliquot domus ex lapide satis elegantes continens, cæterum malè ædificata. Castrô protegitur, quod Gallicè Fort Buymore dicitur; ante hac satis munita erat, at nodô mœnibus cingitur satis debilibus. Extrà dubium est eam esse Tricoriorum Vapincum, de cáque fit mentio in Itinerariis Antonini et Burdigalensi, necnon in Tabulâ Peutingeriana, nullus tamen antiquiorum Geographorum et Historicorum illius meminit.

Episcopus illius Agri varum Ecclesiarum Archiepiscopi Suffraganeus est. Tres primi illius Episcopi ignorantur, quartus fuisse Constantinus dicitur, qui Concilio Arausicano I. an. 441. sub Leone Papâ I. celebratô, et cui Hilarius Archiepiscopus Arelatensis præsedit, interfuit. Alii memorant quendam Constantinum, quem dicunt interfuisse Concilio Epaonensi seu Epaoni* celebrato an. 517. urgente Sigismundô Burgundiæ Rege, cui, Hormisdâ Summô Pontifice, Alcimus Ecdicius Archiepiscopus Viennensis præfuit, ac S. Viventiolus Metropolita Lugdunensis. Gratianopolitanam cæterùm Civitatem habent Monasterium, cujus Ecclesia satis elegans est.

Urbs Res in civili et intestinô Sæculi XVI. bello multas calamitates sustinuit modò à Catholicis, modò ab Huyonotis ompata. In bellô, quod sub finem Sæculi XVII. gestum est Dux Sabaudiæ an. 1692. eam expugnavit, ejusque munimenta dejecit ac solo æquavit.

* Epaonum seu Epaunum. Urbs hæc evanuit. Sita fuisse dicitur in veteri Burgundiæ regnô ac Districtu Viennensi volunt aliqui, quòd Epaonum seu Epaunum sit pondus ferè quatuor milliaribus à Viennâ distans, atque inter eam et Lugdunum positus. Alii, sed minùs vere, quod nobis videtur, contendunt, Epaonum fuisse Castrum seu Domum campestrem ad Lacum Lemanum non procul ab Agauno, hinc S. Mauritio, in Vallesiâ sitam: laudenim pen-

§. V.

De Tractu Royanensi

Tractus Royanensis |: Le Royannez :| Limites habet ad Orientem et Septentrionem Agrum Gratianopolitanum, ad Occidentem tractum Valentinum, et ad Meridiem Diensem. Quique admodùm est ambitûs, nec ultrà seu milliaria longus et quatuor latus est. Nomen habet ab angusta Urbe, quæ Pons Royani |: Pont de Royan :| dicitur. Olim titulô Principatus gloriabatur, modò nonnisi Marchionatus est. Royanenses concessione Delphini à vectigalibus sunt immunes.

104.
ea, inquiunt sub Gallicanis Regibus habita sunt Episcoporum Synodi in campestribus Regum aedibus, ad quas ipsi divertere solebant ac deliciari.

§. VI.
De Baronatibus
seu
Tractu Baronatuum.

Baronatus |: Les Baronies :| sunt Tractus sic dictus, quòd duobus amplis Baronatibus Meduliione |: Meuoillon :| scilicet et Monte Albanô |: Montauban :| contineatur, qui Baronatus liberi nullique alii Principi praeterquam Imperatori subjecti erant, quippè à Baronibus hereditariè possidebantur Regni Arelatensis Clientibus fiduciariis, seu, ut ajunt, Vasallis duntaxat. Tandem hi Baronatus ad Delphinos pervenêre, atque ab ipsis Principatui suo adjecti sunt, et ab his, ut hîc soepius dictum, ad Reges Franciae. Habent Comitatum Vindaum ad Merid.

Binae in iis numerantur Urbes, nempè Buxium |: Buis seu le Buy :| Meduliionis Baronatûs Caput. Sita est ad ripam Uvesii |: Ouvese :| fluminis quinque milliaribus à Vasione, cui est Septentrionalis; et Nevidunum |: Nion :| Caput Baronatûs Montis Albani. Posita est haec urbs in valle ad ripam Aigari |: Aigue :| fluvii. Pontem habet, quod Romanorum Opus necnon omnium totius Europae praestantissimus praedicatur; rotundam figuram ad instar litterae O exhibet, atque mediâ sui parte velut sub terrâ est, alterâ verò super eam ~~eminet~~, et quamvis stupendae sit altitudinis, tamen solummodò semicirculus illius super terram eminet, necnon adeò profundum illius fundamentum dicitur, ut illius initium etsi quaesitum haud inveniri potuerit.

105.

§. VII.
De Agrô Viennensi.

Ager seu Tractus Viennensis, vel territorium Viennense |: le Païs Viennois :| Limites habet ad Septentrionem Bressiam et Bugesiam, à quibus Rhodanô separatur; ad Orientem Sabaudiam; ad Meridiem Agrum Valentinum; et versus Occidentem à Rhodanô aluitur.

Initio Allobrogum Regio, illorúmque Dominii pars fuit, post Romanis paruit, deindè Burgundionibus, ac demùm Francorum factus est, quórum Reges postmodùm Romanorum simul et Germanorum Imperatores fuêre. Ubi Carolus Calvus Imperator Regnum Arelatense, quo Tractus iste continebatur, circà an. 879. Bosoni uxoris suae fratri tradidit, tùm ad eum pervenit ejusque successores, et ab his ad Archiepiscopos Viennenses dono Rudolphi cognomentô Pigri factô an. 1023. in cujus tamen possessione interdum turbati fuêre. Extinctâ dein Bosonis stirpe supremum Viennensis Agri dominium penes Imperatores Germanos denuò fuit, sub quibus memorati Archiepiscopi ab an. 1102. Agro seu Comitatui

huic praefuêre. Demùm Delphinorum factus est, qui tamen Archiepiscoporum Clientes fiduciarii, seu, ut ajunt, Vasalli fuerunt. At ubi post Humbertum II. ultimumque Delphinum unà cum Delphinatu ad Reges Franciae pervenit, tùm horum Antistitum in hocce Viennensi Comitatu q immi-
q auctoritas nui coepit, ac post omninò evanuit. Occurrit in eo

1º Vienna, Vienna Allobrogum (: Vienne :) sita ad ripam Rhodani, ubi olim erat portus an. 1265. ex lapidibus constructus, qui modò prorsùs devastatus est, octo circiter milliaribus seu leucis infrà Lugdunum versùs Meridiem. Antiquissima est, necnon Allobrogum Metropolis fuit: potentissimos hos populos atque ad bellum apprimè comparatos aegrè Romani subegêre, nec nisi repetitô adversùs ipsos bellô; primùm enim male pacati, ut ait Cicero Oratione tertia Catilinariâ, Coloniam Romanorum Viennâ ejecerunt; undè de iis loquens Horatius* ait

- - - - - rebusque novis
Infidelis Allobrox.

Novis igitur copiis adversùs ipsos Romanis dimicandum fuit, iisque tandem devictis nova Viennae constituta Colonia, et sub quorum dein Imperiô optimis Galliae Transalpinae Civitatibus annumerata fuit, necnon sedes fuit Romani in Galliis Vicarii. Caesar illius meminit lib. 7. de bell. gall. Pomponius Mela lib. 2. c. 5. opulentissimam pronuntiat, et Plinius lib. 3. c. 4. Coloniae titulum ei tribuit. apud Ptolomaeum lib. 2. c. 10. velut sola Allobrogum Civitas memoratur. Eusebius Caesariensis in suâ Historiâ Ecclesiasticâ ait celeberrimas et praecipuas Gallorum Metropoles fuisse Lugdunum et Viennam. Tempore Ausonii adhuc opulenta erat, sic enim in Arelat. de eâ loquitur:

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Seneca in ludô mortis Claudii Imperatoris eam sendecim milliaribus (: Romanis utique :) à Lugdunô distare ait. In thesaurô Goltzii* occurrit moneta Neronis, in quâ haec leguntur: Vienna Leg. VII. Claudiana.

Litterasetiam ut plurimùm et vel maximè Vienna colebat atque Poëtarum Romanorum versus legere habebat in deliciis; undè Martialis** lib. 7. epigr. 88. sic loquitur:

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit ibi omnis senior, juvenisque puérque,
Et coràm tetricô casta puella virô.
Hoc ego maluerim, quàm si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinùs ore bibunt,
Quàm meus Hispanô si me Tagus impleat aurô
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos opes.

Mediô aevô non minùs celebris Vienna fuit, ut quae Caput unius magnae Galliarum provinciae extiterit, eique nomen

* Horatius (: Q. Flaccus :) celebris Poeta latinus Venusii in Apuliae confiniis natus an. urb. cond. 689. an. mundi 3919. ante Chr. 65. circiter Romae educatus, obiit an. urb. cond. 746. an. mundi 3976. ante Chr. 8. circiter aetatis an. 57.

* Goltzius (: Hubertus :) Venloae Gueldriae urbe patre sive Herbipolensi an. 1526. 30. oct. natus perhibetur, celebris Antiquarius; numismatum thesaurum posteritati reliquit, mortuus 14. Maji an. 1583.

** Martialis (: Marcus Valerius :) Poëta Latinus, Bilbilis veterum Celtiberiorum seu Regni Aragoniae urbe ad Xalonem
q natus. fluvium q Romam venit annum agens 21. ibique per 35. annos sub Imperatoribus Galba,

suum tribuerit.

Quod illius originem spectat Ado Viennensis** arbitratur eam à quodam Verneriô, cùm ex Africâ deturbatus fuisset, excitatam fuisse, et quia intrà biennium illam absolvit, eidem Viennæ nomen à latinô Bienniô datum fuisse. Quidam Lacedæmoniorum Legislatorem Lycurgum illius fundatorem constituunt; imò alii ejus exordia ad tempora Eliæ referunt. Stephanus Byzantinus ait Cretenses ad Oraculi cujusdam effatum ibi coloniam instituisse. Verùm hæc omnia fabulam redolere videntur, verisimillimúmque est Allobroges Civitatem hanc ædificasse. Burgundiæ Reges Sæculo V. occupatô illius Tractu eam quoque obtinuerunt Regiamque suam effecerunt; postmodùm Francorum facta est; tùm Romano-Germanici Imperii, et quamvis, quod suprà memoravimus, varii Principes ac Domini in ipsius Tractu imperium habuerint, hi tamen omnes Urbis hujus absoluti Domini haud fuêre; enimverò ipsa nullum supremum Dominum agnovit præter Imperatorem, suarúmque libertatum ac immunitatum custos semper fuit acerrima. At ubi Delphinatus adeoque et Comitatus Viennensis, qui illius erat provincia, ad Reges Franciæ pervenit, tùm Civitatis jura imminuta sunt, ipsáque memoratos Reges ipsorúmque Primogenitos Delphinos tanquàm absolutos Dominos tandem agnoscere et venerari debuit.

Vienna locô inamoenô ac inæquali sita est, necnon inter montes, qui eam velut in Rhodanum præcipitatum videntur, coarctata. Moenium ipsius ambitus est 4780. orgyjarum, circuitus verò ipsius milliaris cum dimidiô. Curia seu Prætorium, et Nosocomium spectabilia sunt ædificia.

Thuanus* hîc tria munita Oppida seu Castra recenset, scilicet Fanum S. Columbæ, quod suburbium est ad alteram Rhodani ripam, quod ponte Civitati jungitur. Bastiam in loco editô propè portam Lugdunensem; et Pipetum insigne propugnaculum seu Castrum in eminenti saxô positum.

Tradunt aliqui Pilatum Judææ Præsidem, à quo divinus Servator noster ad mortem condemnatus fuit, hîc in turri, quæ adhuc hodie Turris Pilati nuncupatur, inclusum ac mortuum fuisse; alii dicunt eum se ex eâ egisse præcipitem: at compertum habemus turrim hanc nomen accepisse ab Humberto Pilati, qui Humberti II. ultimi Delphini ab commentariis, seu, ut ajunt, Secretarius fuit.

Archiepiscopatus Viennensis antiquissimus est. Contendunt aliqui S. Crescentium S. Pauli Apostoli Discipulum primum illius fuisse Antistitem, verùm hæc traditio multis difficultatibus est obnoxia: id duntaxat certum est, ætate scilicet Eusebii Cæsariensis Lugdunum et Viennam præcipuas Galliæ Metropoles fuisse.

Ecclesia Cathedralis perpulchra est, Gothicum Opus. Præter illius Capitulum tria adhuc Viennæ numerantur, nempè S. Petri olim Benedictinorum Monasterii, quod an. 1612. ad Sæcularem Clerum transcriptum fuit: S. Andreæ minoris seu

Ottone, Vitellio, Vespasiano, Titô, Domitianô, Nervâ et Trajanô, apud quos in magnô fuit honore; Idcirco reversus in patriam ibidem quintô vel sextô à suô reditu annô obiit. ab ipso habemus adhuc quatuordecim libros Epigrammatum &c.

** Ado nobilibus in Franciâ parentibus ortus Gerariæ Monachus Benedictinus factus est, tùm in Prumiense Germaniæ Monasterium, indè Romam, post Ravennam, demùm Lugdunum se contulit, tandem an. 860. Archiepiscopus Viennensis electus, ibidem vitam posuit an. 875. annos natus circiter 76. Scripsit inter alia Chronicon ab exordiô mundi usque ad tempora Lotharii Imperatoris ac Ludovici et Caroli ejus filiorum, cujus extrema pars ab an. 874. ad 880. ab alio adjecta est.

* Thuanus (: Jacobus Augustus) Supremi Senatûs Parisiensis Præses, et Regiæ Bibliothecæ Præfectus, natus est an. 1552. Senatus Parisiis 17. Maji. an. 1617. 138. libris scripsit Historiam Sui ævi ab an. 1543. usque ad an. 1608.

inferioris sic dicti ad distinctionem Abbatiæ S. Andreæ Superioris Monialium; Monasterium est Benedictinorum non reformatorum; et S. Severi, quod quatuor Canonici et Parochus constituunt. Abbatia S. Andreæ Superioris fundatorem suum agnoscit S. Leonium; olim in ea centum erant Moniales; sed Vandali eam devastârunt; postmodùm Ermengardis uxor Radulphi Regis ab eo facultatem obtinuit Monasterium hoc restaurandi: hodie in illud suscipiuntur nobiles Virgines, quin tamen teneantur nobilitatem suam probare. Hîc adhuc variæ aliæ sunt Ecclesiæ et Monasteria; Capucini montem occupant; non procul ab ipsis Jesuitæ habent insigne Collegium; Carmelitæ etiam et Franciscani habent Conventus. Ecclesia B.V. Mariæ de vitâ nuncupata vetus est ædificium, quod Præsidum Romanorum et Pilati Prætorium fuisse dicitur.

Viennæ visitur Amphitheatrum, quod quibusdam in locis adhuc integrum est. Quatuor vel quinque passibus ab Urbe ante portam Avenionensem vetus pyramis cernitur acus dicta, super fornice quadratâ quatuor columnis sustentatâ viginti usque viginti quatuor pedibus in altum porrectis; ipsa pyramis ejusdem fermè altitudinis est: totum hoc monumentum ex duris lapidibus inter se se absque cæmentô aptatis compositum est, et quia Inscriptione caret, non satis dignosci potest ad quid erectum fuerit, videtur tamen Romani cujusdam Sepulchrum fuisse.

Ensium lamellæ Viennenses celebrantur, adest hîc etiam Opificium anchorarum tam pro Regiis trieribus quàm aliis navigiis; adsunt et molæ, chartaria, conficiendo pulvere pyriô, item alia, in qua sericum præparatur et convolvitur. Vini etiam et frumenti, quæ solum abundanter profert, commercium hîc exercetur.

In hac quoque Civitate quædam celebrata fuerunt Concilia, ut an. 1112. in quo Henricus V. Imperator excommunicatus fuit, conventióque ipsum inter et Paschalem Papam II. ratione Investiturarum inita rescissa. Item an. 1311. Oecumenicum XV. jussu Clementis Papæ V. cui ipsemet præsedit, interfuêre 300. Episcopi, inter quos fuerunt Patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus, necnon Philippus Pulcher Franciæ Rex unà cum tribus suis filiis, quorum primogenitus Rex Navarræ erat, et fratre suô. Suppressio Ordinis Templariorum; ratio agendi, quam Bonifacius VIII. adversùs eundem Philippum tenuerat; universalis invectio festi Corporis Christi, quod Paschalis Papa IV. jam instituerat, fuêre præter varia adhuc doctrinæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ capita, argumentum hujus Concilii definitionum.

2.º Romanum, Romani, et Romonum |: Romans:| ampla et populosa civitas et Emporium, primáque post Viennam. Sita est in amoenâ planitie ad ripam Isaræ |: Isere:| tribus à Rhodanô milliaribus, decem à Gratianopoli ad Africum ipsius, et duodecim à Viennâ ad illius meridiem, sub 22. gr. 42. min. long. et 45. gr. 6. min. latitud.

Antehac opulentiâ aliisque prærogativis nobili Delphinatûs Urbi cedebat; verùm devastationes, quas ferventè Sæculo XVI. Civili bellô Religionis causâ perpessa est, eam multùm dejecêre. Ortum suum debet celebri quidam Monasterio, quod ibidem sub Imperio Caroli Magni à S. Bernardô Archiepiscopô Viennensi ad initium Sæculi IX. fundatum fuit, cujus Monachi longè post ad Clerum Sæcularem transcripti fuêre, Abbatis reditibus ad Archiepiscopum translatis. Extat adhuc hîc aliud Benedictinorum Monasterium, quod S. Justi dicitur, à Beatrice Regis Hungariæ filiâ et Humberti II. Delphini matre an. 1332. fundatum. Adsunt etiam alia variorum Ordinum Monasteria et Conventus. Ad alteram Isaræ ripam est Suburbium, quod Bortorium |: Le Beage :| dicitur.

Romani etiam visitur Mons Calvariæ typus Hierosolymitani. Romani Bassinô è terrâ Sanctâ reducis Opus, Franciscus I. primum ejus lapidem an. 1520. posuit.

Hîc quoque panni lanei conficiuntur, ac præcipuè lana negotiatio viget.

§. VIII.

De Agrô Valentinensi.

Ager seu Principatus Valentinensis |: Le Valentinois :| Confinis est versùs Septentrionem Agro Viennensi; versùs Orientem Diensi et Baronatibus; versùs Meridiem Tricastinensi; et versùs Occidentem Rhodano, qui illum ab Occitaniâ, quemadmodùm Isara ab Agrô Viennensi separat. Dividitur in Superiorem, qui secundùm Rhodanum ab Isarâ ad Drumam usque porrigitur; et Inferiorem, qui à Druma Vindaum Comitatum usque protenditur.

Ager iste seu Tractus à Romanis ad Burgundiones transiit, ab his ad Marchiones Provinciæ, ac demùm ad Reges Franciæ, qui illum Delphinatui adjecerunt. at an. 1498. Ludovicus XII. illum ab hoc Principatu avulsit mâ cum Tractu Diensi, neuon utrumque in Ducatum abiisse eractum tradidit Cæsari Borgiæ Alexandri Papæ VI. filio notho; quam tamen donationem idem Rex, ubi Cæsar hîc hostium Franciæ partes sentus fuit, revocavit. Postmodùm Ludovicus XIII. eundem Ducatum in Pariatûs dignitatem evexit, atque Honorato Grimaldi Monachii |: Monaco :| Principi, quòd partes ipsius amplexus fuisset, neuon in Monachium præsidium Gallicum admisisset, in plenam cessit proprietatem ita, ut etiammùm deficiente illius masculâ stirpe ad fœminas devolveretur, datis super hâc re 26. Januarii an. 1643. apud S. Germanum in Lediâ |: S. Germain en Laye :| patentibus Litteris, quæ 6. Februarii ejusdem anni in Supremi Parisiensis Senatûs seu Parlamenti commentaria relata fuerunt.

Valentinenses populos Plinius Segovellaunos, Ptolomæus Segalaunos, et Notitia Imperii Segolaunos nuncupant. Notatur hîc

Valentia |: Valence :| olim Segalaunorum Urbs, item Julia Valentia, Agri Valentinensis Caput, cui et nomen tribuit. Sita est ad Orientalem Rhodani ripam, septem milliaribus à Deâ |: Die :| novem à Vivariô |: Viviers :| et undecim à Viennâ, inter has duas ultimò recensitas Urbes sub 22. gr. 30. min. Longit. et 44. grad. 58. min. latit. Vetustissimis Galliæ Civitatibus annumeratur, atque jam Plinii Senioris, qui sub Nerone et Vespasianô Imperatoribus floruit, ætate Colonia Romana erat. Eam à viribus Arobore, quòd numerosissima esset, Valentiam dictam quidam volunt. Mediocriter ampla est. Habet Castrum à Francisco I. excitatum sed exigui momenti, ejus mœnia tamen sunt optima.

Juxtà novam à Romanis factam Galliæ provinciarum dispositionem Valentia sub primâ Viennensi continebatur. Post Romani Imperii in Galliâ excidium Burgundionibus, deinde Francis Merovingis subjecta fuit; sub Carolingis verò Regni Burgundiæ et Arelatensis pars fuit, eoque velut Supremos Principes et Dominos suos Imperatores agnovit, qui ex aliâ quàm Caroli Magni prosapiâ Regnum hoc possederunt, tandemque Imperatores Germanos, ubi scilicet Regnum istud ad ipsos devolutum fuit. Tùm Fridericus I. Imperator cognomento Barbarus cum Vesontione consisteret Agrum Civitatemque Valentinensem ejus Episcopo, cui Eudes nomen erat, cum omni jurisdictione tradidit, eique subjecit ita, ut ipse neminem præter Imperatorem in posterùm Superiorem agnosceret. Eo tempore hujus Urbis Episcopi Valentiæ Comites salutari voluerunt, quem titulum hodiedum adhuc gestant; hoque Dominium semper tenuerunt usque ad an. 1449. quô Ludovicus de Pictaviâ |: Louis de Poitiers :| tunc temporis Valentiæ Antistes, exemplum Joannis Gerhardi Archiepiscopi Viennensis Metropolitani sui secutus, Ludovicum Delphinum velut Supremum Suum Dominum agnoscere, eique ut tali homagium præstare debuit, adeò ut præter usufructuariam Dominii hujus proprietatem nihil retinuerit.

Episcopatus Valentiæ antiquissimus est, jámque an. 300. quidam Æmilianus, de quo in vitâ S. Marcellini fit mentio, ibidem fuit Episcopus. Ecclesia Cathedralis haud est inventa, eam an. 1096. Urbanus Papa II. in honorem SS. Cornelii et Cypriani consecravit, sed modò S. Apollinaris dicitur. Palatium Episcopale satis magnificum est.

Præter Ecclesiam Cathedralem adsunt adhuc alia Ecclesia et Monasteria; scilicet Ecclesia Collegiata S. Petri Burgensis |: S. Pierre du Bourg :| Abbatia S. Rufi Canonicorum Regularium S. Augustini: hi Avenione primò per annos 100. habuêre domicilium, dein an. 1162. in insulam Rhodani propè Valentiam, cui nomen Iparveria |: L'Espaviere :| translati sunt;

at ùm primis sub Carolô IX. Religionis tumultibus Hugonoti Monasterium ipsorum penitùs devastassent, in Urbem se recepérunt. Franciscani discalceati hîc etiam habent Conventum, ut et Dominicani, necnon Carmelita.

Adest quoque Universitas à Delphinô Humbertô II. primùm Gratianopoli erecta, et posteà à Ludovicô XI. Gratia Regebue translata: constat tribus Facultatibus Scilicet Theologiâ, Jurisutriusque, et Medicinæ; circà an. 1470. apprimè florebat, modò exiguum habet Studiosorum numerum.

Valentiæ asservatur Sceleton Gigantis alicujus, cujus proceritas quindecim ulnarum mensuram aquavit; Latina, quæ ibi legitur, inscriptio ait, Gigantem hunc Buardum fuisse dictum, atque apud Vivarienses (: Vivarais seu Vivarez :) Tyrannum fuisse, cujus ossa an. 1406. reperta hîc condita fuerint.

Item propè portam S. Felicis cernitur rotunda turris, cujus pars superior extrà lineam longiùs protenditur quàm inferior; quidam arbitrantur esse artificiosum Architecturæ Opus, ad instar propendentium Pisæ et Bononiæ turrium; at verò plebs, quæ communiter omne id, quod comprehendi difficile est, miraculo deputat, venditat turrim hanc se ita inclinasse, ùm S. Felix duíque alii Martyres urbem ingressi sunt, velut se coràm ipsis prostraturam esset.

Varia Synodi hîc celebratæ memorantur, ut an. 373. sub Damasô Papâ Valentiniano et Gratiano Imperatoribus. Interfuêre triginta Episcopi; eique Segadius præsedit, adquem quinquagesima quinta Epistola S. Ambrosii directa est. Franciscus illius finis fuit Librum, qui in Gallicanam Ecclesiam irrepserant, tollere; verùm hæc Synodus Acatholicis nostris, quod rebus suis haud faveat, dubiosa videtur. Item anno 859. sub Carolo Calvo Imperatore, cui præfuit Remigius Lugdunensis Antistes; in eâ de prædestinatione actum, necnon Pelagianorum et Semi-Pelagianorum hæresis cum magnô favore damnata est.

§. IX. 107.

De Tractu Diensi.

Tractus seu Pagus Diensis (: Le Diois :) ad montana porrigitur, Situsque est inter Agros Gratianopolitanum, Vapincensem, et Valentinensem: Est pars regionis veterum Vocontiorum, quorum apud Historiographos, qui Hannibalis è Gallia in Italiam transitum memoriæ tradidérunt, fit mentio. Hic Vocontiorum populus magnô apud Romanos erat in honore, ut quem Plinius Civitatem Romanis fœderatam nuncupet, et cujus Metropolim dicit fuisse Vasionem (: Vaison :) nunc Vindâi Comitatûs (: le Venaissin :) in Provinciâ urbem.

Olim Episcopi Dienses ex Imperatorum Germanorum liberalitate huic Tractui dominabantur; at temporis tractu à quibus dam Comitibus dominium hoc illis ereptum fuit. Alios

Comes Tolosanus Tractum hunc an. 1189. Aimaro de Pictaviâ |: de Poitiers:| Comiti Valentinensi sub fidei et feudi obligatione tradidit: denique Ludovicus de Pictaviâ Stirpis suæ ultimus illum an. 1404. Carolo VI. pro 100000. aureorum nummorum summâ vendidit, sicque Coronæ inseparabiliter adjunctus fuit. Occurrit

Dia, seu Dea Vocontiorum |: Die:| Tractus caput, cui et nomen tribuit, sedésque Episcopi sub Archiepiscopô Viennensi. Sita est ad ripam Drumæ |: Drôme:| fluvii novem milliaribus seu leucis à Valentiâ, decem à Vapincô et Gratianopoli, sub 22. gr. 58. min. long. et 44. gr. 44. min. lat. Apud quosdam Auctores, qui ante Sæculum IV. scripserunt, vocatur Deensium Civitas, ac ipsius Incolæ Deenses. Illius meminit Itinerarium Burdigalense in Jerosolymam sub Constantinô Magnô Sæculô IV. scriptum, item Itinerarium Antonini*, necnon tabula Pentingeriana**. Arelate reperta fuit Inscriptio, in quâ hæc leguntur: Colonia Augusta Dea Vocontiorum; undè habetur Deam fuisse Coloniam Romanam, vocatam fuisse Augustam, et ad Vocontios pertinuisse. Certum est illam Sæculô IV. Urbem fuisse Sedémque Episcopalem, eò quòd Palladius Episcopus ipsius an. 347. Sardicensi Concilio interfuerit.

* vid. sup. not. ad n. 65.
** vid. sup. not. ad n. 189.

À Romanis ad Burgundiones, et ab his ad Francorum Reges Merovingos, post Carlovingos, tùm ad Burgundiæ et Arelates Reges, denique ad Imperatores Germanos, necnon ab his, retentô summô in illam Imperiô, ad illius Episcopos; cùm enim Fridericus I. Imperator cognomentô Ænobardus an. 1178. Arelate consisteret, Urbem hanc Roberto ipsius Episcopo in omnimodam proprietatem unà cum omnibus emolumentis et juribus Regalibus, imò cudendæ monetæ liberaliter cessit, retentô tamen sibi et Successoribus suis summô in illam Imperiô. At postmodùm Dominiô hoc à Comitibus ejecti aliisque vexationibus afflicti, ad incitas penè redacti sunt Episcopi Dienses; undè cùm Gregorius Papa X. centum circiter post annos in Galliam veniens animadvertisset Ecclesiam hanc ut et Valentinensem summâ premi egestate, et à tyrannis vix non oppressas fuisse, easdem in perpetuùm conjunxit unámque esse jussit datâ hanc in rem mense Septembri an. 1275. Bullâ Viennæ expeditâ. Hæc conjunctio, postquam ultrà 400. annos durasset, tandem anno 1697. ad instantiam Ludovici XIV. ab Innocentiô Papâ XII. dissoluta fuit, necnon Diensibus proprius denuò datus Antistes, qui nunc Civitati, 95. Ecclesiis, et 24. Castellis dominatur.

Olim præclaræ erant Diæ Ecclesiæ præstantiáque Monasteria: at Hugonoti Sæculo XVI. in primis Religionis tumultibus et Ecclesias has et Monasteria excidêre.

Acatholici isti in hac Urbe vicinisque locis potentissi-

ni simul erant et numerosissimi; in Urbe habebant Academiam seu Universitatem, in quâ suæ Religionis studiosi instituebantur; at post antiquatum an. 1685. à Ludovico XIV. Nannetense Edictum, cum eorum potentia aquè ac Universitas unà fuerunt antiquata. Aderat etiam Dia Castrum, cujus munimenta solo aquata fuêre.

§. X.

De Tractu Tricastinensi.

Tractus seu Ager Tricastinensis |: Le Tricastin ou le Tricastinois :| exigui admodùm districtûs, limites habet versùs Septentrionem Valentinensem et Diensem agros; versùs Orientem et Meridiem Comitatum Vinduanum |: Le Venaissin :| et versùs Occidentem Rhodanum flumen.

Olim Regionem hanc possederunt Tricastini veteres Galliæ Narbonensis populi. Ptolomæus lib. 2. c. 10. illos Tricastenos, et Silius Italicus* lib. 3. v. 466. Tricastenos nuncupant.

Nulla hîc ornavit Civitas nisi ea, quam Plinius Augustam Tricastinorum, Ptolomæus verò veteri illius Gentis nomine Noviomagum vocant, Galli verò Fanum S. Pauli ad tria castra |: S. Paul trois chateaux :| seu Fanum S. Pauli Tricastini |: S. Paul Tricastin :| ab ipsâ Regione seu Tractu et nomine S. Pauli Patroni, et quarti ipsius Episcopi, de quo apud Usuardum** hæc leguntur: Kal. Feb. in Oppido Trecastino |: legi debet Trecastino seu Tricastinô :| Sancti Pauli Episcopi, cujus et vita virtutibus claruit, et mors miraculis commendatur. ab aliquibus simpliciter et sine addito Fanum S. Pauli |: St. Paul :| dicitur. In antiquis Galliæ provinciarum Notitiis et Urbium Notitiis scribitur Civitas Tricastinorum. Sidonius Ep. 12. lib. 6. vocat eam Tricastinam Urbem, et Robertus de monte in suâ Chronicâ Civitatem Tricastinum. Sæpiùs etiam legitur Civitas Tricastinorum, Trecastinorum, Trecassianorum, Oppidum Trecassinum, item Civitas Vegasinorum, quæ vocabula omnia mendosa sunt, atque ex litterarum transpositione, additione, ac mutatione, prout frequenter accidit, irrepsisse videntur.

Sita est hæc Urbs in declivitate collis ad confinia Provinciæ, miliari à Rhodanô et bonis St^is Spiritûs |: bont-St-Esprit :| duobus à Visario |: Visarez :| et quatuor à Montilio Adhemari |: Montelimar :| ac Arausione |: Orange :|. Sed nunc extat pagus similior est, quàm Urbi.

Episcopus illius Suffraganeus est Archiepiscopi Arelatensis! Sub ultimis Burgundiæ et Arelatæ Regibus, nec non Imperatoribus Germanis, Supremum hîc in temporalibus aquè ac in spiritualibus Episcopi tenuêre Dominium; at tandem

* Silius Italicus |: Cajus :| Poëta latinus, Consul Romæ fuit, cùm Nero trucidatus est. An. Chr. 68. Vetera Hispaniæ Ubaque olim Italia dicta est, natum esse connumis fert opinio; quidam tamen contendunt hunc Silium in aliqua Italiæ hujus nominis Urbe cum primùm aspexisse. Jam provectæ ætatis erat, cùm poëticum opus sum in 17. libris distinctum de Rumôr Bellô Punicô ab Carthaginensi scripsit; unde non tantus ardor et virtus in ipsius versibus reminit, quantus invenitur in iis, qui in juventute fiunt.

** Usuardus Monachus Benedictinus S. Germani, ut quidam volunt, alii verò dicunt eum fuisse Monachum in Monasterio S. Salvatoris in Normanniâ Inferiori, iterum alii dicunt eum Fuldæ Monachum fuisse. creditur fuisse Alcuini discipulus, atque à Carolo Magnô jussus scribere Martyrologium, quod adhuc pro manibus habemus, quamvis alii contendant hunc sub finem Sæculi XI floruisse Martyrologiumque suum Carolo Calvo dedicasse, non Carolo Magno.

cùm sub Deodatô de Stagnô |: de l'Étang :| hujus Urbis Episcopô ditio hæc sua à vicinis devastaretur, tùm ipse Regem Franciæ Carolum VI. tanquam Delphinum vocavit adversùs eos in auxilium necnon Urbis et ditionis suæ Condominum fecit: at postmodùm, videlicet an. 1450. Ludovico Delphino, qui posteà Rex Franciæ factus est sub nomine Ludovici XI. Stephanus Genevius |: Etienne Genève :| eo tempore Urbis istius Episcopus Condominio, quod hactenus Episcopi tenuerant, renuntiare coactus, eidem Ludovico homagium fidelitatisque juramentum præstitit.

Plures numerantur hujus Civitatis Antistites, qui variis interfuêre Conciliis, ut Epaonensi* Florentius; Aurelianensi IV. Heraclius; Lugdunensi II. Eusebius Presbyter nomine et vice Victoris Episcopi; Idem Victor Mastisconensi; Alius Victor Matisconensi II. Cabilonensi Betto. Primus Augustæ Tricastinorum Episcopus fuisse dicitur S. Sulpitius.

* vid. sup. §. 6. n. 102. in Not.

Hugonoti Sæculo XVI. hanc Urbem occupârunt ejectis Episcopô illiúsque Clerô unà cum omnibus Catholicis, atque per 50. annos tenuerunt: At post Edicti Nannetensis rescissionem vicissim ipsi expulsi fuêre.

Caput ~~Sectio~~ X.
De Provinciâ.

109.

Provincia |: La Provence :| ea pars Galliæ meridionalis est, quam Romani primò occuparunt, qui et ei genericum hoc Provinciæ nomen imposuerunt. Olim amplioris, quàm nunc, ambitûs erat, enimverò præter Occitaniam |: le Languedoc :| complectebatur Delphinatum et Sabaudiam, p. Genuam usque; modò ita coarctata est, ut limites ejus sint ad Septentrionem Delphinatus; ad Orientem Alpes et Varus |: Le Var :| flumen, quibus à Ducis Sabaudiæ Statibus separatur; ad Meridiem Mare Mediterraneum; et ad Occidentem Rhodanus, quô ab Occitaniâ sejungitur.

Provincia bifariam dividitur, pars ejus Septentrionalis Provincia Superior nuncupatur, Meridionalis verò Inferior. Longitudo ejus est circiter 55. leucarum, et maxima ejus latitudo 40.

Eam olim incoluêre Galii seu Galyi, quos quidam Salvos, Saluvios seu Galluvios vocant, quique origine Ligurini erant. Marsilii, qui à Phocæâ ~~[illegible]~~ Joniæ urbe ortum ducebant necnon professione Mercatores erant, negotii exercendi gratiâ ad hujus regionis littora consederunt, ubi multas Urbes ædificaverunt; at cùm Galii veteres illius incolæ eos, utpotè advenas et peregrinos, ægrè paterentur, variisque vexationibus affligerent, tùm Romanos foederatos suos vocavêre in auxilium: igitur Fulvius Consul Romanus an. U.C. 629. ante Chr. 123. adversùs Galios missus, eos annô insequenti aliquot præliis fudit, nec tamen penè subegit, quod postmodùm scilicet An. U.C. 631. ante Chr. 123. Sextus Consularis perfecit, exturbatúmque eorum Regem Teutomalum ad Allobroges confugere coëgit. Sic ergo primùm tunc Romani in Galliâ Transalpinâ firmum pedem figere coeperunt, hancque Provinciam, cæteris jam amissis, ultimò conservârunt, nec priùs amiserunt, quàm Odoacer Herulorum Rex an. 476. in Italiam vocatus Romam occupasset; tùm enim Euricus, seu Evaricus, vel Ericus Visigothorum in Hispaniâ Rex indè veniens

eam sibi subjecit, atque cinà an. 484. quo Arelate vitam posuit, filio suo Alarico reliquit; hunc posteà Clodovæus Francorum Rex prælio fudit et occidit. Visigothi dein illam Theodorico Ostrogothorum Regi tradiderunt, hic verò sorori suæ Amalasuntæ ejusque filio Athalarico reliquit, post quorum mortem à Bellisariô Justiniani Imperatoris Belliduce ad angustias redacti Provinciam Francorum Regibus Merovingis permiserunt, à quibus ad Carlovingos pervenit; post Caroli Calvi mortem, quæ sextâ octob. an. 877. secuta est, Boso Arduennæ Sylvæ Comitis filius, cujus sororem Carolus uxorem habuerat, unà cum Burgundiæ et Arelatensi Regno Provinciam obtinuit, ejectus dein à Carolomannô, tandem à Carolô Crassô, qui 13. Jan. an. 888. mortuus est, restitutus fuit. Mortuô Bosone Provincia aliquantô tempore sine Principe et sub Anarchiâ rebúsque perturbatis genuit; hinc Saraceni occasione acceptâ in vicinis Forojulii |: Frejus :| littoribus in eam fecerunt excursum, atque Fraxineti* consedêre, undè factis excursionibus Regionem devastârunt necnon in Alpes usque penetrârunt. Tandem Ludovicus Bosonis filius paternum regnum adeptus est; eo demortuô Hugo quidam Regnum ipsius Provinciámque sibi asseruit, at ubi Rex Italiæ coronatus fuit, tùm Burgundiæ et Arelatense Regnum unà et Provinciam ad Rudolphum Burgundiæ Transjuranæ Regem, qui Italiam deseruerat, transmisit: Hic deinde Provinciam Bosoni cuidam, ~~sub titulo Comitatûs~~ qui Bertham Hugonis neptem duxerat, sub Comitatûs titulô ac feudi obligatione dedit: ab eo tempore Provincia proprios suos habuit Comites, qui ei sub Germanis Imperatoribus, postquam scilicet ad eos Burgundiæ et Arelatense Regnum devolutum fuit, summô dominati sunt imperiô, inter quos apprimè celebratur Wilhelmus primùm dicti Bosonis filius, is Saracenos an. 980. Fraxinetô et littoribus ab ipsis occupatis ejecit, ac totâ Provinciâ expulit, urbésque maritimas, quas ipsi devastârant, restauravit. Tandem Renatus ultimus Provinciæ Comes, eamdem, exclusâ Yolantâ Renati Lotharingiæ Ducis matre, unicâ filiâ suâ, Carolo Duci Cenomanensi fratris sui filio et Ludovici XI Franciæ Regis Nepoti testatô reliquit an. 1480. Yolantæ verò Comitatum, nunc Ducatum, Barrensem duntaxat. Carolus hic dein, cum heredibus careret, ditionis suæ heredes ~~instituit~~ Ludovicum XI. ipsius filium Carolum tum temporis Delphinum, Regésque omnes Franciæ ipsorum Successores instituit frustrà ad hæc omnia reclamantibus Lotharingiæ Ducibus, quibus, præter Barrensem Comitatum, nil nisi vacuus Comitum Provinciæ titulus, quem hodiedum adhuc usurpant, relictus est, ac in partem cessit.

In Provincia duo sunt Archiepiscopatus, et undecim Episcopatus, de quibus suis locis agemus, ubi scilicet singula ejus territoria, quæ à Gallis dicuntur Vigueries, id est, Tribunariæ jurisdictiones, atque nomina sua

* Fraxinetum |: frainet :| Castrum munitissimum fuit, necnon Saracenorum perfugium, duabus leucis à sinu Grimaldi |: Grimaudt :| situm habuit propè Vicum, qui hodiedùm adhuc Garda Fraxineti |: La garde du frainet :| dicitur, non procul à Sylvâ, quæ ab Imolis Sylva Maurorum dicitur. Castri hujus rudera adhuc supersunt.

à præcipuis provinciæ Civitatibus sortiuntur; suntque sexdecim numerò, præter eidem adjacentes Insulas.

Hujus Regionis aër et solum non ubique paria et eadem sunt: Provincia Superior fertilis est et temperata, at in Inferiori aridum est solum aërque vehementer callidus, callidior foret, nisi exiguus ventus, quem Boream (: la Bise :) vocant, et qui communiter ab horâ nonâ vel decimâ matutinâ usque ad vesperam spirat, illius calorem quodammodò mitigaret. Ipsa Mendica odorata nominatur, quòd, cùm maximâ frumenti penuriâ laboret, tamen innumeris penè odoriferis arboribus abundet, ut sunt punicæ, mali aureæ, citri, oleæ, lentisci, cypressi, palmæ, ficus, Acaciæ Africanæ, rusci myrtifolii, arbuti, mespili, &c. vinum etiam profert spissum fumidum et dulce sed in exiguâ quantitate; apianum quoque excellentissimum, item tubera, sed quæ, ut et ferina, si ficedulam excipias, nihil valent. At Provincia Superior habitatoribus suis subministrat pascua, frumentum, poma, pyra, vinumque optimum licèt haud in magnâ quantitate. Ejus littora pisces habent præstantiâ Oceani piscibus longè inferiores. In Telonis Orâ piscis capitur, qui Dactylus, quòd illius figuram referat, dicitur; in excavatis lapidibus invenitur, qui, ut habeatur, diffringi debent.

Provincia commercium agit longè celeberrimum, enimverò universa fermè negotiatio, quæ Franciæ cum Italiâ, Hispaniâ, orientalibusque Emporiis intercedit, Massiliæ perficitur. Jure legibusque Romanis regitur. Adest quoque Supremus Senatus, seu Parlamentum, quod Aquis residet. Adsunt et Status, Ecclesiasticus scilicet Nobilis, et Civicus, qui singulis annis comitia agunt. Præcipui ejus fluvii sunt Druentia seu Durantia (: Durance :) Sorgia (: Sorgue :) Argenteus (: Argens :) Arcus (: Arc :) Viridonus (: Verdon :) et Varus (: Var :) eminent Durantia et Varus; reliqui rivi duntaxat sunt. Annis 1720. 1721. et 1722. truculenta pestis in hac provinciâ dirè grassata est, necnon ultrà 100000. hominum devoravit. Sub finem anni 1746. irruptionem in eam fecêre Austriaci, jamque haud exiguos progressus in eâ fecerant, cùm motus Genuæ excitati indè pedem referre Italiámque repetere illos coëgerunt.

Provinciales laudantur, quòd sint vivaces, ingeniosi, fortes et animosi, sociabiles, paucisque contenti; at etiam carpuntur, quòd sint inconstantes, avari, otio dediti, fide labiles, parúmque sinceri: id saltem verum ajunt, scilicet quòd dexterè fines suos consequi, suáque commoda curare noverint.

En veteri quadam Traditione contendunt Ecclesias Massiliensem et Aquensem totius Galliæ primas fuisse; ajuntque Judæos Lazarum unà cum Marthâ et Maria Magdalenâ sororibus suis, Marcellâ ancillâ earum, Maximinô Celidoniô, quos coecos natos fuisse dicunt; Josephô ab Arimathiâ Jesu Christi Discipulô Jerosolymis exturbasse, eosque omnes navigio sine remis ac velis imposuisse, sic tamen

divinâ providentiâ Massiliam feliciter et inolumes appulisse, indéque digressos in Provinciâ Christi fidem dilatasse, Maximinum quidem et Celidonium Aquis Sextiis Evangelium annuntiasse, primósque hujus Civitatis Episcopos fuisse, Martham verò et Marcellam, necnon Josephum ab Arimathiâ idem Tarasconæ prætitisse. Magdalenam autem et Lazarum Massiliæ remansisse, ibíque Lazarum primum fuisse Episcopum. Equidem non desunt argumenta, quæ huic traditioni opponantur; at verò in Provinciâ eidem contradicere grande piaculum est, ita Inolarum mentem occupavit, eorúmque animis infixa est, ut etiam Supremus Senatus Aquensis seu Parlamentum librorum Joannis Launoji*, in quo celebris iste criticus idam inter aniles fabulas rejiciebat, publicè nam Carnificis manu lacerari jusserit. Modò singula Provinciæ Territoria seu Dioceses expendimus, ubi statim ab ipsis horum Territoriorum Metropolibus Urbibus, quippè à quibus ipsa sumunt sua nomina, incipiemus.

110.

§. I.

De Territorio seu Diœcesi Urbis Aquensis.

1°. Hujus Territorii, quod Gallicè La Viguerie d'Aix dicitur, Civitas Aquensis seu Aquæ Sextiæ [Aix] imò totius Provinciæ Metropolis et Caput est: partem illius meridionalem occupat Sita in amplâ planitie non procul ab Arvâ fluvio. Cum Sextius Calvinus Romanus Belli dux institutis, cùm enim venis Autumnum an. U.C. 630. Alpes transisset, atque in Salyorum regione in loco, ubi aquæ calidæ erant, hyemasset, ibi Castrum exstruxit, quo Massiliensium ditionem à Gallorum incursionibus tutam præstaret, idque ab aquis, quas ibi offendit, nominéque suo, quod eis imposuit, Aquas Sextias nuncupavit. Initio Castrum istud iis annumerabatur, quæ Oppida Latina dicebantur usque ad Plinii, qui sub Vespasiano floruit, ætatem, postmodùm factum est Colonia Romana, idque nomen jam tempore Ptolomæi gerebat. Si fides Floro, propè hanc Urbem Marius Teutones et Ambrones delevit, in cujus rei memoriam hodiedum adhuc ostenditur pars aliqua pyramidis in loco prælii erecta, inter hanc Civitatem et Janum S. Maximini propè Arcum [L'Arc] fluvium. Saraceni sub Carolo Martello in Provinciam et Burgundia regnum irrumpentes eam devastaverunt, quæ postea ædificata fuit, non tamen eo, ut creditur, loco, in quo prius fuerat.

Ampla est et venusta, magnificis ædificiis et palatiis, nec non foris publicis pulcherrimis, porticibúsque, quarum latera frondosa stipant arbores; et platea ejus optimè sunt strata sed non adeò munda. Orto vel novem sunt illius porta, per quas in illam fit ingressus; munimenta

* Launojus [Joannes] natus perhibetur in oppido quodam Normanniæ pago non procul à Constantiâ [Coutances] Parisiis Philosophiæ et Theologiæ dedit operam, ibíque anno 1636. Doctoratûs laurea donatus est. post Parisiis apud Simondum, et Romæ apud Lucam Holstenium et Leonem Allatium frequens fuit. præcipuum Studium sultum in hoc collocasse videtur, ut videlicet varias traditiones inveteratas ab ecclesiis exterminaret. obiit an. 1678. 10. Martii, annos natus supra 77.

Illum Montagius per jocum Sanctorum à suis Loculis deturbatorem [le Denicheur des Saints] vocat, quod pertenderit, à populo Sanctos agnosci, qui re vera Sancti non sunt, et quod sæpè idem Sanctus multiplicatus fuerit, et sub diversis nominibus honoratus honoretur.

† ornata;

ipsius exigui videntur esse momenti. Civis ejus apprimè comis est et urbanus.

Illius Antistitem an. 878. Joannes Papa VIII. Archiepiscopum dixit, estque Statuum provinciæ natus Præses. Volunt hic primum Episcopum fuisse S. Maximinum, de quô num. præcedenti sub finem locuti sumus. Ecclesia Cathedralis ampla est, atque S. Salvatoris dicitur. Præter eam variæ adhuc Aquis extant Ecclesiæ et Monasteria sexûs utriusque, ut Patrum Oratorii, Dominicanorum, Minimorum, Capucinorum, Franciscanorum, ab his nominatur Suburbium, in quo sunt thermæ publicæ, et fons mineralis. ~~[illegible]~~; adsunt etiam Moniales Ordinis S. Dominici, &c. Ut et celebris Universitas auctoritate Summi Pontificis Alexandri V. an.* 1409. erecta. In Civitatis Prætoriô est etiam Bibliotheca publica, et in commodum eruditorum illorum, quibus ad comparandos sibi necessarios libros facultates desunt, semper aperta. Hic quoque residet Supremus totius provinciæ Senatus seu Parlamentum à Ludovicô XII. an. 1501. institutum.

2°. Occurrit Ignum S. Maximini |: S. Maximin :| Sita est hæc Urbs sex leucis seu milliaribus gallicis ab Aquis Sextiis, octo à Telone |: Toulon :| et duobus à Rupe Magdalenæ |: Ste Baume :| propè Argenteum |: Argens :| fluvium in planitie, quam præcelsi montes excipiunt. Ortum suum habet à Monasteriô Benedictinô, quod filiale fuit Cœnobii S. Victoris Massiliensis; ante Benedictinos illud incoluêre Monachi sub Regulâ S. Cassiani viventes. In illius Ecclesiâ condita dicuntur ossa S. Mariæ Magdalenæ, quæ ab an. 730. quo Saraceni in Provinciam irrupêre, usque ad an. 1279. in quâdam subterraneâ Capellâ seu specu ejusdem Ecclesiæ delituerant; et quia à Dominicanis inventæ fuerunt hæ reliquiæ Carolus II. Siciliæ Rex, qui in Provinciâ Sedem suam fixerat, eisdem, abdicatis Benedictinis, Monasterium istud pretiosum inventum ipsorum velut remuneraturus tradidit incolendum. In eâdem Ecclesiâ servatur etiam in parvô vase crystallinô quædam terræ particula, quæ sanguine Jesu Christi conspersa, atque à B. Mariâ Magdalenâ, dum sub Christi morientis cruce esset collecta dicitur.

Duabus à Ganô S. Maximini leucis seu milliaribus gallicis Aquas Sextias inter et Telonem, in montis, qui ambitu suô decem leucas comprehendit, densâque et magna sylvâ cingitur mediô antrum visitur, cui nomen Rupes Magdalenæ |: la Ste Baume seu Caverne sainte, id est Caverna sancta :| Traditio est, S. Mariam Magdalenam S. Lazari, quem Christus suscitavit à mortuis, sororem in hoc antrô seu specu per triginta annos austeram pœnitentémque vitam egisse. Non desunt eruditi, qui totam hanc S. Mariæ Magdalenæ historiam inter fabulas rejiciunt; at hi apud Provinciales, qui eam magnô animi fervore tuentur, pessimè audiunt.

Creditur vetus hujus Urbis nomen fuisse Via lata, illud, quod nunc gerit, à S. Maximinô, quondam, quod ajunt, Aquensi

* Alexander V. Papa constitutus fuit an. 1409. ab Ecclesiæ Patribus et Cardinalibus quibusdam, qui Pisas ad extinguendum Ecclesiæ Schisma, quod jam pluribus annis vigebat, ubi duo Summi Pontifices simul Ecclesiam regere visi sunt, ~~[illegible]~~ quilibet in suis sibi adhærentibus regnis ac provinciis, convenerant. at longè abfuit ut sic Schisma tolleretur quin potiùs auctum fuit, tum enim Ecclesia sub tribus simul Pontificibus gemuit, &c.

Archiepiscopô, apud se sepultô accepit.

§. II.

De Territorio seu Dioecesi Rejensi. iii.

1º Territorium istud seu Dioecesis, quæ Gallicè Riez dicitur, nomen habet à præcipuâ suâ Civitate, quæ communiter Reji Apollinarii nuncupatur. Sita est ad ripam Alvestri |: Auvestre :| rivi, in amoenâ planitie, quæ ¶ totius Provinciæ vinum, omnisque generis fructus optimos profert, quatuordecim milliaribus seu leucis ab Aquis Sextiis ad Africum; decem à Sistaricâ |: Sisteron :| ad Euronotum; vinginti et unâ à Telone ad Euro-aquilonemesem, sub 23. gr. 57. min. long. et 43. gr. 52. min. latit. Angusta est, sed perpulchra et populosissima simulque antiquissima; à Pliniô Albece dicitur, apud quem Reji populi sunt quemadmodùm Cavares, Vocontii, Salurii, &c. Julius Cæsar in suis Commentariis sæpiùs Albicos memorat montanorum suprà Massiliam incolas; hi iidem fuisse possunt intelligi, qui posteà Reji nominati et Apollinarii cognominati fuêre, prout Plinius notat. à Strabone Alboëci nuncupantur, at inter hæc nomina Reji obtinuit. Sæculo VI. nomen Reji in Regii mutatum fuit, prout apud Gregorium Turonensem videre est; at prioribus temporibus Reji semper scriptum fuit, prout apud Sidonium Apollinarem sæpiùs legitur. Aliàs etiam à Scriptoribus modò Regensis civitas, modò Albecum Rejorum Apollinariorum, modò Colonia Rejorum, modò Regium, et modò Regensium Civitas vocatur.

¶ excellentissimum

Episcopus Rejensis est Suffraganeus Archiepiscopi Aquensis. In temporalibus æquè ac Spiritualibus Urbi dominatur. Memoriæ proditum est S. Maximum an. 433. vel, ut alii volunt, an. 455. hujus Civitatis Episcopum fuisse electum, eique circà an. 462. vel 466. in Episcopali dignitate Faustum successisse, quem miris encomiis Sidonius Apollinaris celebrat; attamen notant eruditi illum Semi-Pelagianorum partes fovisse. De ipsorum Antecessoribus nihil scitur à quoquam; multi quidem arbitrati sunt S. Prosperum celebrem illum et egregium S. Augustini et Gratiæ defensorem vel ante vel post S. Maximum Rejis fuisse Episcopum; at certum est eum nequidem Presbyterum minùs Episcopum fuisse, sed Laïcum duntaxat.

S. Maximus, qui, ut et Faustus, Monachus fuit Lerinensis, Rejis obiit ibique in templo ad S. Petrum, quod modò penè deserta Capella est extrà Civitatem, sepultus fuit; de ejus corpore Rejenses nihil præter cranium et unum brachium ostentant, reliquum Corpus reperitur Grassæ in Monasteriô, quod dicitur B. V. Mariæ Grassensis |: Notre Dame de grasse :| in Occitaniâ. Quando et quomodò illùc translatum fuerit ignoratur, nullum aliud hac de re documentum habent Monachi Grassenses nisi reliquiarum suarum Inventarium ante 400. circiter annos confectum,

in quô corporis S. Maximi fit mentio. et quamvis Rejenses credant se unum illius brachium possidere, contendunt tamen Monachi Grassenses se cum reliquo hujus Sancti corpore ambo etiam ipsius habere brachia; sicque nobis tria ~~[illegible]~~ exhibentur ~~brachia~~; partium modò est inter se se convenire, quid de superfluô tertiô brachiô agendum sit. An. 439. Rejis Concilium celebratum fuisse memoratur.

2º occurrit Monasterium, seu ex corruptâ elocutione Monsterium |: Moustiers, seu Moutiers, et Monstiers:| urbs exigua ad Orientem Aquarum Sextiarum collocata. Originem suam acceptam refert Monachis Lirinensibus, qui hîc loci Conventualem Prioratum sub suæ Abbatiæ directione erexerunt. Modò ibi nulli ampliùs extant Monachi sed Presbyteri Sæculares, qui Parochialem Ecclesiam administrant. Monasterium jus habet ad Status seu Comitia Provinciæ legatos mittendi, undè et in Civilibus honoratioris ordinis est quàm Reji. Adest in hac urbe Monasterium Servitarum, quod unicum est in totâ Granciâ. Opificium vasorum Gaventinorum |: Gayence:| et Ostraciorum seu Veneriorum, vulgò Porcellaniorum, quod hîc est, multum celebratur.

112. ~~[illegible]~~

§. III

De Territorio seu Diœcesi Sanitiano.

Territorium seu Diœcesis Sanitiana |: Le Diocese de Senez:| exiguum admodùm occupat spatium circùm Viridonum |: Verdon:| fluvium. Occurrit

1º Sanitium |: Senez:| urbs posita in regione frigidâ, horridâ et sterili intrà montes quatuor leucis à Diniâ |: Digne:| et totidem à Castellanâ |: Castellane:| varia adhuc sunt illius nomina, ut Sanitia seu Sanicia, Sanetium, Sanicio seu Sanitio, Sanesio, Sanguistersa, Urbs Saniciensium, Civitas seu Urbs Sanitiensium, quæ passim apud Scriptores leguntur.

Proprie nonnisi exiguum et humile perpaucorum Incolarum Oppidum est hæc Civitas. De eâ ante sæculum VI. nihil certi habetur, quô memoratur Marcellus quidam illius Episcopus ~~qui~~ an. 506. Concilio Agathensi in Occitaniâ interfuisse. Illius deinde Successores variis Granciæ Synodis astitêre. Urbs hæc Maris Alpibus semper adscripta fuit, illiusque Episcopi ab eo tempore, quo Archiepiscopi Arelatenses jure suô, quod in illas Maris Alpes habebant, privati fuêre, semper Archiepiscopos Ebroducenses |: Dt Embrun:| velut Metropolitanos suos agnoverunt. Civitati dominantur partim Episcopus, partim Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, et partim Comites Carcesii |: de Carcés:| An. 1727. Joannes Joanne illius Episcopus, quòd Pastorale mandatum vulgasset, in quô partes Quesnelii et ejus Sectatorum apertè tuebatur, omni Episcopali et Sacerdotali dignitate exutus est.

2º Castellana |: Castellane:| Sita est hæc urbs ad ripam Viridoni |: Verdon:| fluvii in peramoenâ et fertili valle. Olim posita erat in editô monte, cui dominabatur Arx in

præruptâ rupe collocata Baronum sedes, qui Provinciæ Comitibus subesse detrectabant, solosque Imperatores Arelatensis Regni Monarchas velut supremos suos Dominos agnoscebant. An. 1181. Alphonsus Arragoniæ Rex Barcinonæ et Provinciæ Comes Baronem Bonifacium Castellanæ Dominum ad sibi præstandum homagium adegit, quod et ipsius præstitêre Successores antiquatis privilegiis, quæ ab Imperatoribus acceperant. Horum Baronum ultimus, cùm adversùs Carolum Andegavensem Caroli I. Siciliarum Regis filium arma ~~capessisset~~ capessivisset, victus captúsque Massiliæ an. 1257. capite truncatus est, Castellanáque Fisco addicta. Quatuor dein ab illius morte annis hujus Urbis Incolæ, relictâ veteri Urbe suâ, novam eo locô, in quo nunc est, ædificavêre.

Urbs ista votum et Sessionem habet in Comitiis Provinciæ, in eâque modò residet Episcopus Sanitianus. Adsunt etiam in illâ Augustiniani, et Moniales Visitationis B. V. Mariæ. Ignoramus, quô fundamentô à quibusdam hæc Civitas Salinæ, Civitas Salinarum, et Civitas Salinensis dicatur.

§. IV.

De Territoriô seu Dioecesi Dignensi seu Diniensi.

Territorium seu Dioecesis Dignensis |: Le Diocese de Digne :| Bloduna seu Bledunæ |: Bleone seu Blesne :| fluvii ripam utramque occupat, necnon juxtà Druentiam |: La Durance :| flumen, quod ipsi est occidentale, usque ad Delphinatûs confinia porrigitur. Notatur hic

Digna |: Digne :| sita in montis pede ad ripam Bloduna. Apud veteres varia leguntur ipsius nomina; apud Plinium vocatur Dinia, vel juxtà antiquas editiones Dina, aitque esse Oppidum Bodionticorum Galliæ Narbonensis populorum, quos etiam Brondiontios et Bodiontios nuncupat. Ptolomæus Diniam eam nominat atque Sentiis seu Sontiatiis, vel Soguntiis Bodionticorum vicinis adscribit, fortè utriusque populi Metropolis fuit. In veteribus Galliæ provinciarum et Urbium Notitiis modò dicitur Civitas Diniensium, id est, Dina, modò Civitas Diniensium, id est, Dinia. Apud recentioris ævi Scriptores nuncupatur Dignia, item Digna.

Digna bifariam dividitur, in Civitatem scilicet et Oppidum: Civitas, ut primùm dictum, pedem montis occupat, tres portas habet, et tria suburbia, moeniorum ipsius latera quadratæ turres stipant. Oppidum in valle, ubi Mardaricus |: Mardaric :| fluvius præterfluit, ac paulò infrà civitatem Bledunæ immergitur, collocatum est: olim via 200. passibus Urbe minus erat, quod ipsius penè diruta moenia produnt, quorum ambitus est 600. passuum; tres, quemadmodùm Urbis, erant illius portæ; et sicut ipsa 330. passuum pontem suprà Bledunam habebat, ita et Oppidum suum suprà Mardaricum tenebat. Hugonoti inter

Sæculi XVI. bellis intestinis tumultus Oppidum (etsi Dioecesi Arelatensi subjectum) in ecclesiâ Cathedrali, quo in eo sita est, quater devastaverunt, præcipuè autem annis 1562. et 1591. Canonici suntis secum, quas salvas præstare potuerunt, reliquiis, et Altarium ornamentis, abeâ ad Ecclesiam S. Hieronymi in Civitate se receperunt; exemplum Canonicorum Sanctæ plerique Oppidi hujus Insolæ in Civitate ipsâ sedem fixerunt, adeò ut modò tres vicis Insulæ xat in eo extent. Urbs ista Sessionem et votum habet in Provinciæ Comitiis. Olbius Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Ebrodunensis in Delphinatu.

Celebris Petrus Gassendus hujus Ecclesiæ Cathedralis Canonicus et Præpositus fuit. Natus est Campitersorii [Champtercier:] mediari gallicâ civitate à Dignâ versùs Caurum Oppidô an. 1592. obiit autem Parisiis 24. octob. 1655. constantis et immutabilis orthodoxiæ, idibatâque moralis Christianæ Presbyter. Astronomiam coluit, de quâ etiam præstantes edidit libros, acerrimus Epicuri propugnator, cujus Philosophicum Systema in lucem denuò produxit, quemque adversùs Veterum calumnias, quibus vita et doctrina ipsius denigrata fuit, egregiè tuitus est. Cæterùm Gassendus ex illis unus fuit, qui ad institutionem Philosophiæ dubitantis præcipuè et quamplurimùm contulerunt. Ipsius Philosophiæ cursum Gallicâ sermone edidit F. Bernier Montispessulanæ Facultatis Medicæ Doctor, cujus secunda editio prodiit Lugduni an. 1684.

114.

§. V.
De Territorio seu Dioecesi Arelatensi.

Territorium seu Dioecesis Arelatensis [Le Diocese d'Arles:] situm habet juxtà ripam orientalem Rhodani. Ad Septentrionem confinis est Territorio Tarasconensi, ad Orientem Aquensi, ad Meridiem Mari Mediterraneo, et ad Occidentem Rhodano, quô ab Occitaniâ separatur. Ambitus ejus est 44. miliarium et latitudo 19.

Territorium istud separatam et propriam semper habuit jurisdictionem, nec unquam Provinciæ pars seu ei subjectum fuit. In quatuor partes dividitur: prima dicitur Crau [La Crau:] Campus est septem vel octo miliarium silicibus cooperitus, sub quibus herba crescit optimum orium pabulum, quod naso sublevatis silicibus decerpunt, inter Rhodani brachium orientalem et Lacum Martigii [La Mer de Martigues seu Martegues:] In eo frumentum, vinum, quod Belnensi [Beaune en Bourgogne:] comparari potest, item coccus, manna, oliva, et omnis generis fructus colliguntur. Adsunt etiam Sylvæ, paludes et lacus, in quibus optimi capiuntur pisces.

Districtum hunc Veteres Campos lapideos dixerunt, hæque de eo fabulati sunt, scilicet, quòd cùm Hercules in his Campis cum Albione et Bergione Neptuni filiis, qui ipsum, ne Rhodanum transiret, impedire conabantur, dimicaret, eique sagittæ defecerent, Jovem invocaverit, qui eidem

lapidum pluviam miserit in auxilium, quibus hi Neptuni filii obruti fuêre. Ita narrat Pomponius Mela lib. 1. c. 5. et Plinius lib. 3. c. 4. Superque, inquit, Campi lapidei Herculis prœliorum memoria. Et profectò vix non crederetur in his Campis verè lapides pluisse, tanta nempè est illorum longè latéque copia.

Secunda pars dicitur Area seu Solum Burgi |: Plan du Bourg:| Magna est planities Rhodanum inter et Cravam. Fertilissima quoque est, et usque ad mare, ubi flumen istud in illud influit, porrigitur. In eâ sunt Insulæ, perpulchræ villæ, et ædes voluptariæ, necnon lucri amoeni.

Tertia Optima |: Tres bon:| nuncupatur. Minima quidem est, sed tamen cæteris fertilior, undè fors à sua fertilitate Optimæ nomen accepit. Est planities partem territorii Septentrionalem occupans milliari et dimidio duntaxat longa, in quâ et extat Monasterium Benedictinum Mons Major dictum. Quibusdam in locis paludosa admodum est, undè in æstate insalubrem habet aërem.

Quarta olim Castra Mariana seu Campus Marianus vocabatur, nunc verò Camaria, Camargua, et Camargo |: Camargue:| nuncupatur. Insula est, quam ambo Rhodani brachia seu rami efficiunt, quæque ab Arelate usque ad Mare Septem milliarium spatiô protenditur. Solum ipsius est totius Provinciæ fertilissimum et optimum, aëréque gaudet adeò temperatô, ut pecorâ etiam in apertis campis hyemare valeant; hîc quoque maximi totius Europæ boves reperiri dicuntur. Occurrit

1º Arelatum seu Arelate |: Arles:| Caput totius territorii, à quâ et ipsum nomen habet. Civitas est Archiepiscopalis sita ubi Rhodanus in duos diffunditur ramos, ad dexteri illius rami ripam orientalem in rupe, quæ sensim in magnam devergit planitiem, et ad lævam Aquarum Sextiarum. Longè ante Romanorum in Galliis Imperium stetit, jámque celebris erat, cùm Julius Cæsar adversùs Gallos bellum gereret, eámque Arelatem nuncupat. Nomen hoc habere videtur à duobus Celticis scilicet Ar, quod ad seu apud significat, et Late, quod idem est ac lacus seu palus, velut Urbs ad paludem; enim verò prope paludem sita est. Scriptores Latini eam Coloniam Romanam vocaverunt, eò quòd Romanorum militum sexta Legio in illâ Stationem suam habuerit. Apud Plinium legitur Colonia Arelate Sextanorum, et apud Suetonium* in Tiberiô. Arelate Colonia. Ammianus Marcellinus eam simpliciter Arelatem nominat, ac in Viennensi provinciâ collocat. Ptolomæus illam in Regione

* Suetonius |: C. Tranquillus:| Suetonii Lenis tertiæ Legionis sub Ottone Imperatore Præfecti filius, vixit circà

an. Chr. 118. Sub Trajano et Adriano Imperatoribus, hujus Sanctionis Consilii commentariensis fuit, sed post ab officio et aula amotus; quod, ut quidam referunt, nimiam cum Sabinâ Imperatrice familiaritatem foviſſet; quod infortunium ei ad scribendum occasionem præbuit. ab eo inter alia, habemus vitas duodecim primorum Imperatorum.

Sabyorum reponit; qui populi erant in Galliâ Narbonensi; atque Ἀρελάτου Κολωνίαν dicit. Legitur etiam apud Ausonium Arelatus et Arelas. Denique in antiquis Notitiis scribitur Arelatensium Civitas.

Arelate initio ad laevam dexteri Rhodani brachii ripam posita erat, Constantinus Magnus, ut communis eâque verisimillima fert opinio, novam Urbem è regione veteris in dexterâ ejusdem brachii Rhodani ripâ ædificari curavit, ambásque ponte junxit; novam munitionibus instruxit, veteresque muros, quos Crocus Germanus Bellidum dinerat, iterùm erexit, neenon ad Rhodani ripam magnificum palatium Triclium dictum construxit; quod ipse cum totâ suâ familiâ inoluit, donec Byzantium, quod postea nomine suo Constantinopolis vocatum est, legiam suam transtulit; eámque præstantissimis aliis ornavit ædificiis; verbo illam totius Imperii caput fecit, atque nomine suo Constantinam appellari voluit. Sub Honorio Imperatore, qui et in ea legiam habuit, idem nomen adhuc retinuit; quædam enim hujus Imperatoris Constitutio hujus Civitatis meminit, eámque Constantinam Urbem nuncupat.

Imperio Occidentali in Gallis extincto Euricus Visigothorum Rex Arelatem occupavit, atque in eâ Sedem suam fixit; Theodoricus Ostrogothorum Monarcha post Alarici Euricii filii mortem hanc Urbem obtinuit ultà et Galliarum Præfecturam, deinde an. 513. Franci eam adepti sunt. an. 730. in Saracenorum potestatem devenit, undè Carolus Martellus eos expulit, et ab illo tempore penes Francia Reges permansit donec post mortem Ludovici Balbi Boso Rex Burgundiæ et Provinciæ an. 879. salutatus legiam transtulit Viennam in quâ et Ludovicus coecus ejus filius moratus est. At Hugo illius Successor Sedem suam denuò Arelate constituit, ut et Rudolphus Burgundiæ Transjuranæ Rex, cui Hugo legionem hanc cesserat; tùm Arelate Regia Urbs facta est, undè etiam factum, ut Regnum Burgundiæ deinceps Regnum Arelatense dictum quoque fuerit, hóque ultimum nomen prævaluerit. Ea deinfuerunt Episcopo, Ecclesiæ, et Civibus Arelatensibus ab Imperatoribus Germanis indulta privilegia, ut ipsorum Civitas nemini nisi soli Imperatori subjecta esset, vel ideò maximè, quod Caput esset Regni, cui nomen suum imprimebatur. Et Fridericus II. Imperator eandem eousque immunem declaravit, ut ad liberæ cujusdam Reipublicæ statum et conditionem evecta videretur, tùmque ejus potentia brevi temporis spatio ita crevit, ut Genua aliæque Emporia illius amicitiam requisierint. At hæc Respublica ultrà 37. annos ætatem suam non perduxit; ubi enim Carolus I. Comes Andegavensis Ludovici Sancti germanus frater Provinciam adeptus est, tùm illius libertatem turbare cœpit, fultus quodam, quod tamen effectum suum nunquam sortitum fuerat, Friderici I. Impe-

ratoris diplomate an. 1162. emanatô, quo Raimundô Berengario Provinciæ Comiti omnem jurisdictionem in Civitatem Arelatensem tradiderat, ac tandem obtinuit, ut Cives nomine Civitatis eidem non tanquam Provinciæ Comiti, quippè quòd ipsa omninò distinctus ab hoc Comitatu Status esset, sed velut Domino suo singulari duntaxat, homagium Tarasconæ præstarent, reservatis tamen, quæ ab Imperatoribus acceperant, ~~privilegiis~~ sibi privilegiis. Eadem privilegia postmodùm annô videlicet 1354. Carolus IV. Imperator in suô Romam versùs, quò coronam Imperii accepturus pergebat, itinere illac transiens solemni Decretô confirmavit; qui et post decem annos Italiâ illuc reversus Regni Arelatensis Monarcha coronari etiam ibidem voluit. At cùm an. 1378. idem Imperator Parisiis, quò Regem Franciæ salutaturus venerat, moraretur, Carolo Delphino, qui posteà sub nomine Caroli VI. Rex Franciæ fuit, Vicariatum in toto Arelatensi Regno, exceptis duntaxat Domûs Saubaudicæ ditionibus, tradidisset, tùm de privilegiis et immunitatibus Arelates Urbis penitùs actum fuit; nec ab illo tempore sive Carolus IV. sive illius successores, vel tanquam Imperatores, vel tanquam Arelatensis Regni Monarchæ jus aliquod in Provinciâ aliisque dicti Regni provinciis et Urbibus amplius exercuerunt.

Suprà memoravimus Arelatem olim utramque dexteri seu orientalis Rhodani brachii ripam occupasse; at jam diu pars illa, quæ dicti brachii ripam occidentalem tenebat, à Gothis seu aliis Barbaris populis devastata fuit, adeò, ut modò nonnisi exiguum oppidum Gallicè Trinque-Taille dictum extet, quod ante actis temporibus propugnaculum erat Baltii seu Bauci (: Les Baux :) Dominis proprium, at an. 1161. à Raimundô Berengariô Barcinonis et Provinciæ Comite expugnatum fuit, ejusque munitio solo æquata.

Arelatem etiam celebrem efficiunt varia, quæ in illâ et propè illam extant antiquitatis monumenta, et quorum aliqua adhuc integra reperiuntur, ut Amphitheatrum, Obeliscus, Campi Elisei, in quibus Ethnici, post etiam Christiani, mortuos suos sepelierunt, sepulchra, columnæ, Statuæ pectore tenùs efformatæ seu dimidiâ sui parte infernè truncæ, columnarum bases, aquæductus, arcus, unà cum reliquiis Capitolii et Templorum Idolis consecratorum; extrà civitatem visitur pyramis ex duris lapidibus olim 60. modò autem 24. duntaxat pedibus alta. Reliqua vetera monumenta non amplius supersunt, vel quia, quemadmodùm à Rhodanô magnificus pons, qui utramque Civitatem jungebat, subversa fuêre, vel quia à Gothis et Saracenis, quemadmodùm præstans ac speciosum forum, quod columnæ et Statuæ cingebant, devastata fuêre. Veneris, quam

Arelatenses colebant, Statua, cujus caput primùm deindè reliquum corpus præter ambo brachia casu sub terrâ inventa sunt an. 1651. ab Arelatensibus an. 1684. Regi suo Ludovico XIV. donô transmissa fuit, extatque nunc restaurata Versaliis in magnô ambulacrô.

Aralete Sedes est Metropolitana. Primus illius Episcopus fuit S. Trophimus, quem dicunt fuisse SS. Apostolorum Petri et Pauli Discipulum, primumque hic Evangelium prædicasse, at Gregorius Turonensis memorat illum Sæculo III. duntaxat floruisse, atque circà an. 250. sub Imperiô Decii à S. Fabianô Papâ huc missum fuisse.

Variæ præter Ecclesiam Cathedralem Arelate numerantur Ecclesiæ et utriusque sexûs Monasteria, quæ hic recensere nimis longum foret.

Annô 314. jussu Constantini Imperatoris celebratum fuit hic Concilium 200. Episcoporum, in quô examinatæ fuerunt accusationes adversùs Cæcilium Carthaginensem Episcopum factæ, necnon 22. Canones contrà Donatistas editi sunt. Constantius Imperator Arianis addictus hic an. 353. aliud celebrari fecit, in quô S. Athanasius condemnatus, ac unà cum Paulinô in exilium actus fuit. An. 449. Ravennius hujus Civitatis Antistes duo Concilia habuit, in quibus de reformatione Ecclesiasticæ disciplinæ tractatum fuit. Leontius itidem hic Archiepiscopus an. 475. adversùs Prædestinatianos Synodum celebravit. Posterioribus temporibus et sæculis varia adhuc in hac Urbe circà disciplinam Ecclesiasticam aliáque capita habita sunt Concilia, ut an. 524. 554. 813. 1232. &c.

Adest hic etiam Societas eruditorum sub titulô Academiæ Regiæ Scientiarum et linguarum. Ei dedêre initium quidam hujus Civitatis Nobiles litterarum cultores eximii, qui statis diebus conventum agebant; an. 1668. jussu Regiô debitam congruámque assecuta est formam, illiusque membrorum numerus ad viginti Nobiles stabilitus est, cui ex ejusdem Regis mandatô decem adhuc adjuncti sunt. Nullus nisi nobilis ei adscribitur. In hac Civitate natus perhibetur S. Ambrosius Mediolanensis Antistes patre Ambrosiô Senatore Romanô, quem Constantinus Imperator, cùm Regiam suam Arelate Constantinopolim transtulisset, huc miserat, ut Galliarum Præfectus Prætorii esset.

2º Sallum seu Salona |: Salon :| Urbs sita Arelatem inter et Aquas Sextias in Cravâ seu Campis lapideis. De ejus ortu nihil certi habetur, quidam debilibus admodùm ducti conjecturis eam antiquissimam esse volunt. Olim nonnisi Arx erat, modò autem Urbs est haud ignobilis sed angusta satis. Eidem in temporalibus æquè ac spiritualibus dominatur Archiepiscopus Arelatensis, in eáque domum habet venustam et perpulchrè ornatam. Illam quoque perfluit Durantiæ ramus, qui Fossa Craponæ |: Fosse Crapone :| dicitur.

In ingressu Ecclesiæ FF. Minorum discalceatorum ad dexte-

ram versus murum visitur sepulchrum celebris Nostradami* cum hoc Epitaphiô Marmori inscriptô: D.M. Ossa Clarissimi Michaëlis Nostradami, unius omnium mortalium judiciô digni, cujus penè divinô calamô totius orbis ex Astrorum fluxu futuri eventus conscriberentur. Vixit annos LXII. menses VI. dies X. Obiit Salonæ MDLXVI. Quietem posteri ne invidete. Anna Pontia Gemella Salonia Conjux Opt. V. F.

3º Berra |: Berre :| Urbs sita eo loco, ubi Arcus |: L'Arc :| fluvius in Martigii lacum, qui etiam Lacus Berræ nuncupatur, influit. Antehac habita est velut munitissimum totius Provinciæ propugnaculum. Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux Ligistarum bellô fervente illam post diutinam obsidionem an. 1591. obtinuit, tenuitque usque ad an. 1598. quô pace inter Galliarum et Hispaniarum Reges Verbini in Picardiâ conclusâ Henrico IV. restituta fuit. Hic excellentissimum Sal conficitur, quô toti Provinciæ vicinisque Regionibus et Sabaudiæ providetur.

Berra sita quidem est in Diœcesi Arelatensi, attamen pars est Territorii seu Ditionis Aquensis. Celebrem efficiunt Reliquiæ, quæ in illius Ecclesiâ asservantur, scilicet de Capillis, lacte, et vestibus B.V. Mariæ; Ossa quædam S. Laurentii; digitus S. Germani. Verùm hæ Reliquiæ quibusdam videntur suspectæ, præsertim eæ, quæ de B.V.M. esse dicuntur; et ut e.g. de ejusdem capillis duntaxat loquamur, in tot locis de iis haberi dicuntur, ut si simul conferrentur, eos unius capitis esse vix credi posset, necnon pluribus sufficere omninò viderentur. Quin reverentiæ, quæ veris et authenticis Sanctorum Reliquiis debetur, quidquam detractum velimus, consentaneum tamen arbitramur, hisce adeò illustratis, quibus vivimus, temporibus ea omninò vitanda esse, quæ antehac forsimplex et ignara devotio accepit de manu talium personarum, quæ vel dolô vel ignorantiâ hujusmodi imaginarias Reliquias præbuerunt.

4º Baltium seu per corruptionem nominis Baucum |: Les Baux :| amplum Oppidum duabus vel tribus circiter leucis ab Arelate versus Aquas Sextias situm in editâ rupe cum Castellô benè munitô, solum habet frumenti, vini, et olivarum feracissimum; illis annumeratur Regionibus, quæ partes Provinciæ neutiquam esse volunt, sed eidem vicinæ duntaxat. Olim libera Respublica erat nullique nisi Imperatoribus tanquam Regum Burgundiæ et Arelates Successoribus subjecta.

Baltii Domini temporis successu res suas adeò augere sciverunt, ut septuaginta novem loca sibi subjecta in Provinciâ habuerint, quæ ipsorum nomine Ditiones Baltienses |: Terres Baussecques :| dicta fuerunt. Tandem Sæculô XII. Hugo Baltii Dominus se suásque ditiones Alphonso Aragonum Regi et Provinciæ Comiti subjecit, eique homagium præstitit, hac tamen conditione, ut omnia sua subditorúmque suorum privilegia et immunitates sarta tecta manerent. An. 1426. extinctâ Baltii Dominorum stirpe, Dominium istud jure Caduci ad Comites Provinciæ devenit; quod an. 1642. Ludovicus XIV. Marchionatûs titulô decoratum Monachii |: Monaco :| Principi dedit.

Nostradamus |: Michaël :| Celebris Medicus et Astrologus, natus in Gano S. Remigii |: St. Remy :| in Provinciâ Diœcesis Avenionensis. A suis Majoribus, qui magnorum Principum Archiatri fuerunt et celebres Astrologi utriusque Artis addiscendæ stimulus ipsi velut inditus fuit. Absolutis suis in Universitate Montis-Pessulani studiis Tolosam et Burdigalam profectus est, indè an. 1555. in patriam redux Centurias suas Propheticas vulgavit, quæ ipsi nomenet famam pepererunt haud exiguam; de quibus tamen postmodùm varia tulêre Scriptores judicia, inter quos Stephanus Jodellus Nobilis Parisiensis suaq; ætatis celebris Poëta, Orator, et Architectus sequens de eo ingeniosum nobis reliquit Distichon:

Nostra damus cùm falsa damus nam fallere nostrum est.
Et cum verba damus,
Nil nisi Nostra damus.

Obiit Jodellus mense Juliô an. 1573. 41. ætatis suæ annô.

5º. Ad Lacum Martigii |: Martegues :| tres exiguæ urbes sitæ reperiuntur unicam constituentes Communitatem, suntque Joncaria |: Jonquieres :| ad meridiem; Insula |: L'Isle :| in mediô; et Ferrariæ |: Ferrieres :| ad Septentrionem. de quibus nihil notatu dignum occurrit.

6º. Janum triarum Mariarum |: Les trois Maries :| Oppidum in Camarguâ ad ostium Rhodani, quod gradus Orgoni seu Urgonii |: le Gras d'Orgon :| dicitur ad Meridiem Arelatis. Traditio est Massilienses antiquitùs hîc Apollini Templum ædificasse Delphicum nuncupatum: item tres Sanctas Mulieres Marias Magdalenam, Jacobi, et Salome unà cum Lazarô è Judæâ in navi remis et velis orbatâ hûc feliciter appulisse, ibique sepultas fuisse; à quibus Oppidum ipsum deindè nomen accepit. Earum corpora postmodùm, ne in Barbarorum regionem hanc vastantium manus inciderent, sub Ecclesiâ fuerunt abscondita. an. 1448. Renatus Rex Jerusalem et Siciliæ necnon Comes Provinciæ has reliquias invenisse dicitur, atque in pretiosa thecâ repositas aliò solemniter transferri jussisse. At hæc traditio hujusmodi esse videtur, ut omninò et secundùm omnes suas circumstantias vix probari possit.

115.

§. VI.

De Territoriô seu Dioecesi Massiliensi.

Territorium seu Dioecesis Massiliensis |: Le Diocese de Marseille :| Maris littus occupat, atque in eo notatur duntaxat

Massilia seu Marsilia |: Marseille :| Civitas ordine et dignitate Provinciæ secunda, quamvis Metropolis haud sit. Opulentissima est et populosissima, Emporiúmque celeberrimum: antiquissima quoque est, ut quæ 500. ante Christum annis ædificata fuerit à Græcis Phocæa Joniæ in Asiâ minori provinciæ Urbis Mercatoribus, qui negotiationis ergò hûc appulerant, à quibus et Massalia vocata fuit, quod nomen Latinis Massilia, et recentioribus Marsilia |: Marseille :| dictum est*.

Initiô Græcarum Civitatum more quamdam Reipublicæ formam Aristocratiâ temperatam habuêre Massilienses: Nec diu quieti fuêre; enimverò Salyi veteres Regionis Incolæ ipsis secundam fortunam opésque, quas congerebant, invidentes variis hostilitatibus eosdem premere coeperunt, indè factum, ut, quemadmodùm jam suprà n. 109. memoravimus, Romanos, quibus grati jam erant, vocarent in auxilium; hi accurrentes Salyos bellô adorti sunt injuriam Massiliensibus illatam vindicaturi, quod abundè præstârunt non modò, sed et indè nacti sunt occasionem Galliam Transalpinam sibi subjiciendi. Ipsi Massilienses postmodùm sub jugum adducti fuêre; cùm enim Pompeji partes fovissent, tùm Julius Cæsar ipsorum Civitatem obsedit et obtinuit. Massilienses igitur amissâ potentiâ suâ et auctoritate unicè congerendis opibus navarêre operam, quæ eos ad voluptuosam vitam sensim abduxerunt, prout refert Athenæus* lib. 12. ubi ait Massilienses armorum perdidisse affectum, asperáque et frugalis vitæ institutum abjecisse; indè factum, ut illorum mores in adagium venerint, ubi de helluonibus et luxuriosis sermo fuit.

* Phocæi seu Phocenses Atheniensium Colonia fuerunt. Hi non modò negotiationis exercendæ causâ, sed potius per Medos et Persas patriâ expulsi in Provinciam delati sunt ætate Tarquinii quinti Romanorum Regis, atque in ejus littore Massiliam construxerunt.

* Athenæus Grammaticus Græcus natione et Naucratis in Ægypto natus, vicit sub Imperatore

Massilienses pro acceptô à Majoribus suis more diu Scientias humaniorésque litteras coluêre, eorúmque ope Galli barbariem suam deposuêre. Pytheas ex hac Civitate oriundus et Alexandri coætaneus, si Gassendo fides, primus fuit litteratorum, qui in Occidente visi fuêre. Massilia nor. modò gloriari potest, quòd litteras in Galliam invexerit, sed et quòd trium præcipuarum et celeberrimarum totius Orbis Academiarum unam instituerit, Scholásque suas cum Athenis et Rhodô partiverit. Qui litteras et Philosophiam docerentur undique Massiliam appulerunt; ibique adeò suavis erat vitæ consuetudo, ut Romani liberos suos educandos illuc mitterent. Factum etiam est, ut Incolæ vetus suum idioma in Latinum transmutârint.

Marcô Aureliô Sæculô II. ab illo tenemus Opus 15. libris distinctum, qui libri Dipnosophiston vocantur, quòd in iis varios inducat eruditos in mensâ Lavensii Civis Romani de rebus variis colloquentes. Opus istud Isaacus Causobonus notis illustravit.

Sæculo V. postquam Heruli Romam unà cum Italiâ subegissent, tùm Massilia in Eurici Visigothorum Regis ejusque filii Alarici potestatem venit; post hujus mortem Theodoricus Ostrogothorum Rex Urbem hanc unà et vicinam regionem occupavit: ipsius Successores eam Merovingis Franciæ Regibus reliquerunt, quam et usque ad Caroli Martelli tempora tenuerunt, tùm enim Carlovingorum Regum facta est; postmodùm fuit sub ditione Regum Burgundiæ et Arelates. Initiô Sæculi XI. et sub Regnô Ludovici coeci et Præfecturâ Hugonis Comitis Saraceni, qui Provinciæ littora occupaverant, cunctas maritimas Urbes, intérque eas Massiliam vastaverunt, quæ deinde sub Conradô Pacificô restaurata est. Eo tempore Urbs hæc à Præfectis sub Vice Comitum nomine regebatur: hi sub finem ejusdem Sæculi XI. absolutum in eâ sibi arrogavêre Dominium, primúsque qui ei absolutâ et supremâ potestate dominatus est, Wilhelmus nuncupabatur, is an. 1004. obiit, Vice-Comitatúmque suum posteris suis reliquit. Sæculô XIII. dein partim deficiente Vice-Comitum horum prosapiâ, partim titulô emtionis supremum istud Dominium ad Urbem ipsam denuò rediit, atque libera Respublica denuò facta est usque ad Carolum Andegavensem Ludovici Sancti Franciæ Regis hujus nomini IX. fratrem, qui Provinciam adeptus circà ejusdem Sæculi XIII. medium Massilienses sibi subjecit; cúmque an. 1262. jugum hoc excutere tentassent, ad officium reducti fuerunt, jugúmque, quod ipsi fuerat impositum, gravius factum est: nihilominùs multa adhuc conservârunt privilegia et immunitates, ut qui ad tributa, quæ Provincia Principi suo pendere solebat, nihil contribuerent, imò districtum suum ad eam pertinere aut illius partem esse negarent, Regesque seu Principes non tanquam Provinciæ Comites, sed ut Massiliæ Dominos duntaxat agnoscerent, atque liberæ Civitatis titulum sibi arrogarent. At

ubi an. 1660. Ludovicus XIV. in Provinciam venit, tùm Massilienses antiquatis eorum immunitatibus et privilegiis penitùs sub jugum adduxit, arcémque propè Urbis portum q turrimque S. Joannis dictam, quæ in portûs ingressu è regione Arcis posita est, propugnaculis munire fecit.

q construi

Strabo lib. 4. Massiliam depingit velut optimè ædificatam Urbem spectabilisque magnitudinis, et quæ velut Amphitheatrum circùm portum à naturâ in rupe excavatum constituta esset. Modò nihil de hac veteri magnificentiâ Massiliæ occurrit, ac frustrà ibi quærerentur fundamenta Templorum Apollinis et Dianæ, de quibus Strabo meminit; id duntaxat scitur, hæc nempè ædificia in Civitatis fastigiò stetisse.

Massilia olim peninsulam occupabat, quam angusta admodùm terræ moles seu lingua continenti jungebat; at omnia hæc diruta ac demolita fuerunt urbsque secundùm portum extensa. Bifariam dividitur, scilicet in Veterem et Novam: Vetus posita est in editô locô non procul à portu, rude et inconcinnum Gothorum Opus. Nova verò portum ambit, eámque venustam efficiunt magnifica ædificia, pulchri latíque vici, præsertim Basilica seu Prætorium Comitiale, Armamentarium, et Nosocomium: eam à Veteri separat vicus seu platea ampla, cujus latus utrumque arborum series magnificáque ædificia ornant. Hic triremes regiæ construuntur, atque in portu, qui percommodus est, quiescunt. Adsunt etiam varia Opificia textilium bombicinorum aureorum et argenteorum, Saccari, Sevi, &c. De hujus Civitatis celeberrimô commerciô jam suprà num. 119. memoravimus, quòd nempe universa penè totius Franciæ cum exteris negotiatio in illâ perficiatur.

Est etiam Sedes Episcopalis Metropoli Arelatensi subjecta. Primum illius Episcopum fuisse dicunt S. Lazarum fratrem S. Mariæ Magdalenæ, quem Christus à mortuis suscitavit, de quo sæpè jam laudatô num. 109. egimus. Ab hac opinione Provinciales nullâ ratione aut argumentô divelli se patiuntur, nullíque auctores esse vellemus, ut apud ipsos eam in dubium revocaret, aut quidquam eidem contrarium tueretur.

Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ in Urbe veteri sita est, sunt adhuc Massiliæ variæ aliæ Ecclesiæ, et utriusque Sexûs Monasteria, inter quæ eminet Abbatia seu Monasterium S. Victoris olim apud Romanos Præfecti Castrensis, qui an. 290. hic Martyrium subiit. Illius fundator primúsque Abbas fuisse dicitur Joannes Cassianus, in quod deinde Regula S. Benedicti introducta fuit; duas habet Ecclesias superiorem scilicet et inferiorem, utramque Sæculo V. ~~ad finem vergente~~ consecravit S. Leo Magnus Papa. A Sacris Sancti Victoris reliquiis, quæ ibi asservantur, nomen, quod hodie gestat, accepit, cùm priùs Monasterium S. Petri dice-

retur. Ex eo permulti excellenti doctrinâ et rarâ pietate celebres viri prodierunt, ut Duo Summi Pontifices, plures Cardinales, ingensque Episcoporum numerus. Urbanus Papa V. hujus Cœnobii Monachus et Abbas erat, cùm ad Papatum erectus est, in eóque sepeliri voluit. Fatentur omnes, in totâ Franciâ nullum reperiri Monasterium hocce antiquius et celebrius, simúlque tot privilegiis et immunitatibus munitum.

Academia Scientiarum et politiorum litterarum |: L'Academie des belles lettres :| hîc an. 1726. sub protectione famosi Franciæ Polemarchi seu, ut ajunt, Marescalli de Villars tunc temporis Provinciæ Præfecti erecta necnon à Parisiensi adoptata fuit. Constat Directore, Cancellariô, quorum officia nonnisi per annum durant, Secretariô, qui perpetuus est, et viginti membris, necnon viginti associatis: eorum studia solummodò eloquentiam, poësim, historiam, et Criticen spectant; anno 1734. tamen Rex eisdem facultatem fecit adhuc decem in Philosophicis disciplinis expertos viros sibi adjungendi. In festô S. Ludovici publicum agunt conventum, in quo præmium à Duce de Villars fundatum quod in aureô trecentarum librarum numismate consistit, merenti tribuitur.

Leucâ circiter ab Urbe tres sunt in mari Insulæ exiguæ, quæ re ipsâ non sunt nisi scopuli. Anno 1529. in illarum minima Franciscus I. Arcem munitam construi fecit, quam Arcem taxi |: d'If :| nuncupavit, quòd in eâ multa taxi reperiantur: ad ejus latus cernitur Insula Ratonea |: Ratonneau :| aliàs Insula S. Stephani nuncupata, in qua etiam propugnaculum est, quod Massilienses de consensu Provinciæ Præfecti an. 1597. excitârunt. In tertiâ Insulâ quæ Mesa seu Pomponia |: Pomegues :| aliàs S. Joannis dicitur nonnisi turris est. Itæ Insulæ steriles omninò sunt, ac solummodò propter situm suum annotari merentur.

Cùm solum Massiliense ex suâpte naturâ macilentum sit, nec minimum stercoris frustum perire sinitur, imò in id summô intenditur studiô, ut etiam ex remigum excrementis compendium fiat: hi in labris, quæ in uniuscujusque triremis extremitate collocata sunt, alvum egerunt, unde triremum Tessarario haud exiguus obvenit proventus; hæcque frigida et glebosa terra, ubi fimô calefacta fuerit, exquisitos racemos, elegantes olivas, optimasque ficus profert.

Cæterùm notum est de Massiliâ adagium, illam scilicet esse Mulierum paradisum, Virorum purgatorium, et Mulorum seu Asinorum infernum; hi quippe gravissima onera portare coguntur, Viri potiorem vitæ suæ partem super mare transigunt, et Mulieres domi voluptatibus indulgent.

§. VII.
De Dioecesi Teloniensi

Dioecesis Teloniensis |: Le Diocese de Toulon :| Situm habet in littore Maris Mediterranei Massiliensi ad Orientem. In eo notatur

1° Telo, Telonium, Tolenium, Tolonium, et Telo Martius, item Portus Teloniensis |: Toulon :| Urbs Dioecesi ipsi nomen tribuens. Telo seu Telo martius vocata dicitur à quodam ejusdem nominis Romanæ plebis Tribuno, qui hic Coloniam instituit. Sunt qui dicant eam Telonem seu Tolonium nuncupatam fuisse à celebri quodam Navigatore, de quo Lucanus* in suis Pharsaliis meminit, seu à Tolumnô Belliduce Gothicô sub Rege Theodoricô in Italiâ, qui illam restauraverit, atque nomine suô insigniverit. Alii conjecturant Telonem urbem esse Portum Citharistam, de quô Plinius meminit, eò quòd Antoninus in suô Itinerariô dicat Portum hunc distare à Massiliâ triginta milliaribus Romanis, quæ exacta distantia est Telonem inter et Massiliam. Quidam recentiores arbitrantur vetus Taurentium, quod apud Ptolomæum Tauroentium, apud Antoninum verò Taurentum et apud Julium Cæsarem Taurenta dicitur, Telonem esse; equidem nullus Geographus, Historicusve aut alius antiquus Scriptor Telonis meminit ante Auctorem Itinerarii, qui Telonem Martium duodecim milliaribus distare ait à Taurentô Urbe Maritimâ olim à Massiliensibus fundatâ, de quâ nec minimum superest vestigium; eam tamen apertè à Telone distinguit, sicque horum recentiorum opinionem clarè refutat, qui binas has Urbes unam eandémque faciunt.

Civitas hæc sita est in littore Maris Mediterranei locô percommodô, ut quæ versùs Orientem omninò libera sit, ad Septentrionem verò montibus protegatur adeò in altum subvectis, ut ad nubes usque protendi videantur, qui et Portum ipsius tutissimum præstant. Medioeris est, multisque in locis malè comparata, nova tamen illius regio satis compta videtur. Distat à Massiliâ duodecim leucis, et sexdecim ab Aquis Sextiis ad Euronotum sub 23. gr. 36. min. et 35. secundis longit. ac 43. grad. 7. min. et 24. secund. latitudinis.

Portus ejus totâ Europâ celebratur, amplissimus est, ut qui 9000. passus ambitu suô contineat, necnon tutissimus; bifariam aggere lapideô dividitur scilicet in majorem et minorem, prior naves militares recipit, alter mercatorias, multisque propugnaculis defenditur; aditus ejus adeò angustus est, ut nec duæ naves simul illum ingredi valeant. Armamentarium habet totâ fermè Granciâ instructissimum; adsuntque officinæ, in quibus omnia instrumenta ad instruendas naves requisita conficiuntur.

* Lucanus |: Marcus Annæus :| celebris Poëta Latinus, Cordubæ in Hispaniâ an. Chr. 39. nobilibus parentibus ortus, nondum octavum ætatis annum emensus Romam deportatus est liberalibus litterarum studiis operam navaturus, in quibus adeò profecit, ut juvenis adhuc græcè et latinè peroraverit. tanti eum Nero Imperator fecit, ut ante requisitam ad id muneris ætatem Augurem et Quæstorem dixerit. At cum ob excellentia poëtica opera sua populus præ Nerone ei palmam detulisset, id honoris illi invidens Nero, quòd ipse Poëtarum Princeps haberi vellet, illum ab edendis carminibus litibusque instruendis et propugnandis prohibuit, quod in Lucanô tantum in Neronem odium excitavit, ut in conspirationem contrà ipsum se trahi permiserit, quâ detectâ jussu Neronis venæ sectione vitam finivit an. Chr. 65. Varia opera edidit, quorum pleraque exciderunt.

Civitas hæc eam sortem experta est, iisdémque vicissitudinibus exposita fuit ac reliquæ urbes Provinciæ. Initiô sæculi X. Saraceni eam devastârunt, nec apparet ante sæculum XI. restauratam fuisse. Sæculô XII. iidem Saraceni binâ vice nimirùm an. 1176. et 1197. illam denuò oppugnârunt et exciderunt, Incolasque in captivatem abduxerunt.

Massilienses, qui, ut præcedenti §. retulimus, Vice Comitatum suum denuò obtinuerant, postmodùm Carolo I. Neapolis et Siciliæ Regi omnia cedere coacti sunt, quæ tàm Teloni quàm in vicinis Civitatibus ad hosce Vice Comites pertinuerant. Ab eo tempore Telo Regibus Siciliæ et Neapolis tanquàm Provinciæ Comitibus semper adhæsit, necnon sub eorum patrociniô haud contemnenda cepit incrementa. Deficiente dein Caroli Successorum stirpe unà cum Provinciâ ad Reges Franciæ eo, quo dicto §. præcedenti diximus, modô pervenit.

Annô 1707. Foederati urbem hanc terrâ marique adorti sunt, nec tamen obtinuêre, verùm 21. Augusti recedere coacti fuerunt urbe in cineres penè redactâ. In bellô nuper adversùs Hungariæ et Bohemiæ Reginam modò Imperatricem Mariam Theresiam excitatô huic Civitati Classem suam Angli admovêre, diuque impedivêre, ne Classis Hispanicâ, quæ hûc se receperat, egrederetur veláque faceret. Annô 1721. mense Martiô pestis cum magnâ vehementiâ hîc erupit, magnámque Incolarum stragem edidit. Historia Patris Girardi et puellæ Cadiers ejus, quod ajunt, poenitentis, quæ miros motus in Franciâ et alibi præsertim apud Protestantes excitavit, ante annos Telone exhibita fuit.

Hujus Civitatis Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Arelatensis. Porrò nullum extat monumentum, quod ante sæculum V. de Ecclesiâ et Episcopis Teloniensibus mentionem faciat; eo duntaxat tempore memoratur Honoratus illius Antistes, cujus S. Leo Magnus in quadam ad Episcopos Galliæ epistolâ meminit. Sæculô VI. dein frequens est Episcoporum Telonensium memoria, tunc etiam nomen Telo in Tolo mutari coepit. S. Cyprianus post Gratianum circà an. 516. Telone sedit, atque tertius seu quartus hujus Urbis Episcopus fuisse dicitur obiit ante an. 549. hoc enim annô S. Palladius ipsius Successor Concilio Aurelianensi V. subscripsisse invenitur: colitur S. Palladius velut secundus post B. V. Mariam Ecclesiæ hujus Patronus. Telonienses alium adhuc hujus nominis Sanctum Martyrem venerantur.

Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ B. V. Mariæ dicata est, aliæ adhuc hîc sunt Ecclesiæ, variáque utriusque sexûs Monasteria. Adest etiam Jesuitarum Collegium, in quo Seminarium est Clericorum, qui navibus Capellani destinantur. Patres quoque Oratorii hîc ha-

Supersunt libri decem, de bello intestino Julium Cæsarem inter et Pompejum, quos Pharsalia nuncupavit à Pharsalô Thessaliæ in Macedoniâ urbe, quæ nunc Farsa dicitur, propè quam Julius Cæsar initô cum Pompejô prælio hunc devicit, solúsque Imperiô potitus est. Horum librorum decimi pars ultima jam dudum interiit.

bent domum, in quâ litteras docent. Telonienses primi sunt Saponis inventores, cujus apud ipsos magna exercetur negotiatio.

2º Hiersum, seu Olbia et Areæ (: Hieres et Hyeres :) Urbs à Telone quinque leucis versùs Orientem dissita. Olim spectabilis fuit, quòd portum haberet, in quo ad terram Sanctam peregrinantes navem conscendere solebant; modò Portus oppilatus est, Maréque ultrà 2000. passus retrocessit. Solum ejus jucundum est tùm ob suam venustatem, tùm ob fructuum, quos profert, excellentiam. Una est ex veteribus Massiliensium Coloniis Græcè Oblia, idest latinè Beata dicta, post Area nuncupata fuit, undè Gallicum Hieres nomen prodiit.

Antehac ~~cum~~ insalubris hîc spirabat aër, quòd serpens et tardifluens lacûs haud procul ab eâ solum occupantis aqua illum inficeret, at postquam ante 40. vel 50. annos lacus iste sibi aquagium in Mare fecit, tùm etiam aër salubrior factus est. Non procul ab hac Urbe optimum sal conficitur. Jus habet mittendi Legatos ad Comitia Provinciæ.

Adest etiam in eâ Ecclesia Collegiata an. 1571. à Wilhelmô le Blanc Episcopô Teloniensi fundata, necnon duæ aliæ Parochiales Ecclesiæ, item Monasteria Franciscanorum nudipedum, Monalium S. Claræ, et duo Monialium Cistercensium. Dum annô 1707. Dux Sabaudiæ Telonem obsidebat, Classis Hollando-Anglica naves suas hîc ad terram applicuit.

3º È regione Urbis Hiersi haud procul ab eâ ad Meridiem et Euronotum in Mari collocatæ sunt Insulæ, quæ ipsius nomine Hiersæ, seu Arearum Insulæ nuncupantur cum titulo Marchionatûs. Primùm Massilienses eas incoluêre, à quibus Stoecades dictæ sunt. Sunt autem autem primò, prout Plinius Hist. nat. lib. 3. c. 5. eas vocat, Hypæa, Prote, et Mese, nomina græca ipsis juxtà situm suum indita, quæ latinè reddita idem sonant, ac Inferior seu ultima, Superior seu prima, et Media seu, prout mediâ ætate dicta est, Mediana: Gallicè vocantur Porquerolles, Portecros, et Isle du Levant seu de Titan; hæc postrema olim Cabaros dicebatur. Propè accedunt duæ aliæ Insulæ, quæ ab eodem Pliniô Phonice et Sturium vocantur, modò autem Gallicè Langoustier et Ribaudan; quamvis quidam priorem Hypææ (: Porquerolles :) adjiciant, quòd ei proxima sit. Has Insulas Cardinalis Ricolocus seu Richelius duobus optimis instruxit munimentis, quò ab earum occupatione Hispanos arceret.

Cassiani ætate has Insulas tenebant Monachi, quos postmodùm Saraceni in Captivitatem abduxerunt. Idem infortunium tetigit ipsorum Successores Monachos Cister-

cienses, et post ipsos Canonicos Regulares S. Augustini, qui has Insulas occupaverant, et quos, ut eas Cisterciensibus demò cederent, frustrà monuerat Innocentius Papa III. undè modò ibi nullum ampliùs extat Monasterium.

In his Insulis colliguntur herbæ admodùm salubres, quæ in Italiam, Græciam, imò in Ægyptum deportantur: Ita etiam sunt fertiles, ut Equites Melitenses, Rhodò amissò, in illis, Rege Franciæ annuente, sedem suam figere cogitarint; undè ob fertilitatem suam Insulæ auri |: Isles d'Or :| nuncupatæ fuerunt. Cæterùm populosissimæ sunt, ac in Mese |: Portecros :| validum est præsidium Gallicum. Propè has Insulas an. 1744. Angli velut in insidiis subsedêre, ubi et Classem Gallico-Hispanicam è Portu Teloniensi egressam adorti sunt ac devicerunt.

§. VIII. 117.

De Diœcesi Foro Juliensi.

Diœcesis Foro-Juliensis |: le Diocese de Frejus :| ad Orientem Telonis sita est. In quâ notatur

1º Forum Julii |: Frejus seu Frejuls :| Urbs à quâ Diœcesis ipsa nominatur. Sita est inter paludes mediâ leucâ à Mari ad ripam Argentei |: Argens :| fluminis. Nomen habet à Juliô Cæsare; at quô annô fundata fuerit, ignoratur. Juliô Cæsare antiquior videtur, eò quòd Plinius lib. 3. c. 4. asserat illam Coloniam Pacensem fuisse nuncupatam, ob pacem in eâ cum Regionis illius Unigenis, qui ægrè Romanorum jugo se subjiciebant, conclusam. Tacitus quoque, qui sub Trajanô scripsit, celebrem veterámque Coloniam nominat. Vocata est etiam Colonia Octavanorum, quia Veteranorum octavæ Legionis militum habitatio fuit. Denique post Plinium Classensis, seu potiùs Classica dicta fuit, quòd Augustus in illius portu armamentarium Maritimum construxerit.

Portus iste olim tutissimus erat, et quamplurimis continendis navibus idoneus; at postmodùm cumulatus est, necnon ante annos 200. et quod excurrit, ejus restauratio perperàm tentata fuit. Muris undis, quibus olim Urbs ista cingebatur, successêre paludes, quæ illius aërem insalubrem efficiunt.

Iisdem disturbationibus, fatis, et vicissitudinibus obnoxia fuit ac reliquæ Provinciæ Regiones et Urbes. Sub finem Sæculi IX. Saraceni illam penitùs excidêre, atque pluribus post annis deserta mansit, necnon primùm circà an. 970. restaurata fuit. Ibi cernuntur reliquiæ Aquæductûs, qui ad novem usque leucas protendebatur, necnon Amphitheatrum, quod adhuc integrum est, Romanorum opera.

Habet Episcopum Archiepiscopi Aquensis Suffraganeum sibi ab an. 1203. concessione Alphonsi Arragonica Regis et Provinciæ Comitis etiam in temporalibus dominantem.

2°. Draguinianum, seu Draconem, et Draconum |: Draguignan :| Civitas inter majores Provinciæ Urbes una, in cujus Comitiis votum habet et Sessionem; septem milliaribus gallicis à Forô Julii, totidemque à Tropætopoli |: S. Tropez :| ad Caurum; et duodecim à Telone ad Euro-aquilonem meridianum distans. Sita est in planitie fœcundissimâ, quæ illius habitationem efficit amœnissimam non procul ab Alpibus, quæ excellentia vina proferunt, et adeò vehementia, ut nisi mediâ parte aquâ delibuantur bibi haud possint. Eam fluvius, qui Gallicè Bis dictus, perfluit, qui et ei magnum affert commodum. Caput quoque est ejus territorii |: Viguerie :| ejusdem Sceum nominis, à quô etiam Forum Julii pendet. Habet Ecclesiam Collegiatam, quæ simul parochialis est, B.V. Mariæ et S. Michaëli Archangelo dicatam, in quâ clavus asservatur, quem dicunt esse unum ex illis, quibus Christus Dominus Crucifixus est. Præter eam occurrunt hîc adhuc alia Ecclesiastica ædificia tàm Monachorum, quàm Monialium, necnon Collegium Presbyterorum doctrinæ Christianæ.

Quidam ajunt Draguinianum esse Forum Voconii Veterum, at alii eis contradicunt, volúntque Forum Voconii esse Canetum |: le Canet :| Oppidum à Draguinianô tribus circiter leucis dissitum versùs Africum.

Duobus circiter ab hac Urbe milliaribus gallicis versùs meridiem occurrit Oppidum Arcus |: les Arcs :| nuncupatum indè notum, quòd ei proximum sit magnificum S. Rosolina Templum, in quo Patres Carmelitæ divina peragunt officia: in eo reconditum est Corpus Sanctæ hujus, cujus artus aquè sua lineamenta retinet ac pulcher est, ac ipsa adhuc viveret, quamvis jam ante 300. annos è vivis excesserit.

3°. Tropetolis, seu Tropetis, item Portus S. Tropetis seu S. Eutropii |: S. Tropez :| exigua sed munita Civitas et Emporium, unà cum Arce, seu, ut ajunt, Citadellâ, sita ad Littus Maris Mediterranei. cum optimô et magnificô Maris portu Forum Julii inter et Hieres um, quatuor leucis à Forô Julii, et duodecim à Telone. Originem suam accepit Monasterio seu Prioratui Benedictino, qui ad Monasterium S. Victoris Massiliensis spectat. ultrà 210. Insulas non numerat. Maris Sinus, in quo Portus ipsius est, communiter Sinus Gambreicus vel Gambreitanus |: Golfe de Grimaud :| item Sinus Authenopolitanus ab Authenopoli urbeculâ haud procul abipso collocatâ. Quidam arbitrantur Urbem hanc esse veterem Heracleam Cacabariam.

Ecclesiæ ipsius parochiali præest Prior Monasterii, isque quinque Monachos Presbyteros sub se habet. Adest etiam Capucinorum Conventus.

In hac urbe apprimè viget commercium Maritimum; et de eâ æquè ac de Massilia circumfertur adagium, nempè quòd sit mulierum paradisus, ut quæ absentibus maritis omnis generis voluptates sectentur; Virorum purgatorium, ut qui negotiationis suæ causâ multas molestias super mare perpetiantur; et asinorum infernus, utpotè quorum annuatim multa millia sub gravibus oneribus, quæ per montes et valles trahere coguntur, deficiunt et pereunt.

§. IX.

118.

De Dioecesi Grassensi.

Dioecesis Grassensis |: le Diocese de Grasse :| sita est inter Draguinianam et Vinciensem |: de Vence :| hæc ei Orientalis est, altera Occidentalis, et ad Meridiem mari mediterraneo conterminat. In ea occurrit

1º Grassa seu Grinnicum |: Grasse :| Caput Dioecesis simul et Territorii |: Viguerie :| ejusdem secum nominis, sub quô titulô ei ad Comitia Provinciæ patet aditus. Editô locô posita est sex leucis à Niceâ versùs Orientem, quinque ab Antipoli |: Antibes :| ad Caurum, et duodecim ab Aquis Sextiis ad Euro-aquilonemesem. Jam sæculô XII. nota fuit, ejusque Adrianus Papa IV. in Bullâ ad Petrum Episcopum Antipolitanum an. 1155. meminit.

Est Sedes Episcopi Archiepiscopo Ebrodunensi subjecti. Hæc priùs Antipoli fuit; sed occasione Piratarum Barbarorum, qui Antipolim aliquoties expilarunt ac devastârunt, huc translata fuit an. 1234. vel 1239. ab Innocentiô Papâ III. aut verisimiliùs an. 1250. ab Innocentio Papâ IV. Unde Ecclesia illius parochialis B. V. Mariæ dicata Cathedralis facta fuit sub Raymundô Episcopo ordinis S. Dominici. Præter eam adsunt adhuc quædam Monachorum et Monialium Monasteria; Patres Oratorii hic etiam habent Domum.

2º Antipolis |: Antibe seu Antibes :| Urbs in littore Maris Mediterranei in confiniis Nicei Comitatûs, duabus leucis Germanicis à Grassâ versùs Orientem, et totidem à Vinciô |: Vence :| versùs Meridiem, et tribus à Niceâ |: Nice :| versùs Occidentem; cum Portu Maris, qui nonnisi mediocris magnitudinis naves recipit, et arce munitâ, quæ ex figurâ, quam refert, Castrum, seu, ut ajunt, Fortalitium quadratum nuncupatur. Veteres Massilienses Græca Colonia eam fundaverunt atque patriâ linguâ Antipolim, idest, Urbem alteri, scilicet Niceæ, quam et ipsi ædificarunt, oppositam dixerunt, ex quô Græcô vocabulô Galli Antibes effinxerunt. Memorat Strabo Antipolim sub Romanis tanta incrementa cepisse,

necnon adeò spectabilem evasisse, ut eam Massiliensium dominiô exemptam Italiæ Urbium juribus et privilegiis donârint. Labascente dein in Galliis Romanô Imperiô, et ipsa labascere coepit; ac postquam à Visigothis, Ostrogothis, Francis Merovingis et Carlovingis, Burgundiæ et Arelates Regibus possessa fuit, tandem desinente Sæculô IX. à Saracenis oppressa et excisa fuit, nec nisi sub finem Sæculi X. restaurata, nunquam tamen ad pristinum splendorem Civiúmque frequentiam reducta, quòd ~~[illegible]~~ munitionibus nudata Soepiùs adhuc Africanorum et Hispanicorum Maurorum huc appulsorum direptioni exposita fuerit, quâ calamitate pressi ~~[illegible]~~ Imolæ plerumque Grassam secesserunt, quod et occasio fuit Innocentiô Papæ IV. illius Sedem Episcopalem Grassam quoque transferendi. Colunt Imolæ Antiquos hujus Urbis Episcopos Armentarium et Valerium, de quorum ætate tamen nihil certi habetur, eò quòd nonnisi longô post ipsorum obitum tempore eorum gesta seu, ut ajunt, legenda litteris mandata fuerint. Id duntanat certum est, scilicet Agræcium Sæculô VI. ineunte Antipoli Episcopum fuisse, et sub Regnô Alarici an. 506. Concilio Agathensi interfuisse.

Huic Urbi sub Comitibus Provinciæ Episcopi per 500. annos in temporalibus æquè ac Spiritualibus dominati sunt etiam postquam Grassam translati fuerunt usque ad tempora Roberti de Genevâ, qui sub nomine Clementis VII. adversùs Urbanum VI. in Papam electus fuit: hic propriô motu et potestate Episcopo illius temporale simul et Spirituale Dominium eripuit, ac Cameræ Apostolicæ adjecit, postmodùm illius temporalem jurisdictionem Lucæ et Marco Grimaldis |: Grimaldi :| pro 9000. florenorum summâ vendidit: et, quamvis, restitutâ pace Ecclesiæ Episcopus Grassensis in Conciliô Constantiensi coràm Martino V. Papâ legitimô de injuriâ sibi suæque sedi à Pseudo-Papâ illatâ conquestus sit, atque abolitis contrà ipsum à dictô Pseudo-Papa actis et actitatis ibidem antiquæ jurisdictionis suæ in Antipolim restitutionem obtinuerit eâ conditione, ut 9000. florenorum illorum ab emtoribus solutorum summā refunderet, nunquam tamen sive ille sive sui Successores hæc priora sua jura recuperare valuerunt, perperámque querelas suas apud Collegia tàm Ecclesiastica quàm Sæcularia detulerunt. Tandem an. 1608. Henricus IV. Franciæ Rex Urbem hanc pro 250000. libris à Duce Cenomanensi aliisque de stirpe Grimaldensi progenitis sibi coëmit, quô super, cum Stephanus Meingerus Bucicaldus |: Le Meingre Boucicaut :| tunc temporis Grassensis Episcopus coram Sanctiori Regis Consiliô conquestus esset, ab eo per Decretum an. 1620. emanatum repulsam passus est. Denique an. 1642. Ludovicus XIII. Monachii |: Monaco :| Principi Urbem hanc cessit, sicque denuò ad familiam Grimaldensem pervenit.

In rebus Ecclesiasticis Urbs hæc per Vicarium potestate Episcopali præditum regitur. Solum ejus optimos fructus abundanter profert. Anno 1707. illius numi-

menta tormentorum æneorum jactibus foederati Domûs Austriacæ Angli et Hollandi penè dissipârunt, quæ postmodùm restituta fuêre additis aliquot propugnaculis. Carolus Borbonius Princeps Hispanicus modò utriusque Siciliæ Rex in Italiam proficiscens in hujus Civitatis portu navem conscendit.

3º Lerinæ Insulæ (: Les Isles de Lerins :) quatuor numerantur quarum una major, altera minor, cæteræ verò minimæ, duabus ab Antipoli leucis versùs Meridiem et Africum in Mari Mediterraneo collocatæ. Quæ Antipoli propior est Insula S. Margaritæ (: Isle de Ste Marguerite :) dicitur; ejus longitudo est unius leucæ cum dimidiâ, latitudo dimidiæ. A Veteribus Lero seu Lerone dicta est; in eâ extat egregium propugnaculum seu Castrum, in quo ii, qui in Statum deliquerunt, custodiæ mancipantur: illius præsidium, quod præcisè ad captorum custodiam destinatum videtur, constituunt tres cohortes, ut ajunt, Invalidorum, et una voluntariorum militum.

Hanc Insulam Hispani an. 1635. occupaverunt, at an. 1638. ipsis à Gallis denuò erepta est. Item an. 1746. Angli eâ potiti sunt, quos annô insequenti Galli exturbârunt.

Altera priore minor S. Honorati Insula dicitur, Veteres eam Lerinum et Lerinam vocavêre. Si Tacito fides Augustus Agrippam nepotem suum huc amandavit. Circà an. 410. S. Honoratus, qui posteà factus est Archiepiscopus Arelatensis, in hanc Insulam secessit, expulsisque, quibus oppleta erat, Serpentibus, Monasterium in eâ fundavit, ad quod quamplurimi variarum nationum viri accessêre, ut sub ejus Regulâ et disciplinâ vitam Monasticam degerent, et ex quo brevi tempore magni viri prodierunt, inter quos præcipuè numerantur S. Lupus Episcopus Trecensis, S. Maximus Episcopus Rejensis, S. Hilarius Archiepiscopus Arelatensis, S. Eucherius Lugdunensis Antistes, &c. Postmodùm in istud Monasterium Regula S. Benedicti introducta fuit, quæ hodiedum adhuc ibi viget.

Binæ hæ Insulæ leucæ quadrante inter se distant Marisque brachio separantur. Ad earum latus orientale positæ sunt duæ aliæ minimæ, quarum una gallicè Formigue altera Grenille nuncupantur, omninò desertæ sunt.

§. X. 119.

De Dioecesi Vincianâ.

Dioecesis Vinciana (: Le Diocese de Vence :) exigui admodùm ambitûs est, limitasque habet ad Orientem et Septentrionem Comitatum Niceum, à quô versùs Orientem Varô flumine separatur. ad Occidentem Dioecesim seu Territorium Grassense; et ad Meridiem Mare Mediterraneum. Ineâ occurrit

1º Vincium, Vintium, Vencia, Vintensium Urbs, Vensiensis Urbs, Ventia Neruscorum, Venciense Castrum (: Vence :) urbs antiqua, Neruscorum seu Nerucorum populorum, ac postmodùm Romanorum Colonia. Ejus meminit Ptolo-

manus, atque Viatium nuncupat. In Notitiis Provinciarum Galliæ Vencientis Urbs vocatur, adiiturque eam Ventiam esse.

Sita est tribus leucis à Mari in confiniis Comitatûs Nicæi, duabus ab Antipoli leucis ad Septentrionem, et tribus à Grassâ versùs Caurum. Habet Sedem Episcopalem Metropoli Ebrodunensi subjectam.

Equidem jam primis Ecclesia Saulis Episcopos habuit, verùm ante Eusebium, qui Saulô IV. circà an. 374. floruit, de alio certi quidquam haud compertum est. Saulô V. Arcadius illius Antistes Synodo Rejensi adfuit, prout Cœlestinus Papa in quadam Epistolâ meminit. Sequenti Saulô ~~Dentorius~~ Deuterius Concilio Aurelianensi IV. interfuit. Gregorius Turonensis memorat Kronyanium Deuterii Successorem. Ecclesia Cathedralis B. V. Maria dicata est ac etiam sub patrocinio SS. Verani et Lamberti.

Eidem in temporalibus partim Episcopus, partim Dominus de Vidanovâ [: Villeneuve :] dominantur: Ambo semper à Comitibus Provinciæ pependerunt, qui Civitatem hanc Territorio Grassensi [: Vigueirie de Grasse :] subjecerunt.

2°. Vanum S. Pauli [: St. Paul ; ou le Comté de St. Paul :] Urbs exigua sed munita, à Vinciô Miliari Gallicô, et tribus ab Antipoli in finibus Provinciæ propè Comitatum Nicænum, à quô Varus eam separat, collocata, mœnium Castello et bonô portu. Caput est ejusdem nominis Comitatûs seu Ditionis, quod ad Mare et justà Varum protenditur; undè ei ad Provincia Comitia patet aditus.

Quidam putant eam esse veterum Oppidum Dercatum. Inter illius Oppida celebratur præcipuè illud, quod S. Laurentii dicitur [: S. Laurent :] ob excellentia vina, quæ solum illius profert: Situm est Oppidum istud ad ostium Vari non procul à Nicæâ.

120. 2788

§. XI.

De Diœcesi Glanaticensi.

Diœcesis Glanaticensis seu Glanatevensis [: le Diocese de Glandeves :] ponta est circum Varum flumen, finitèrque habet ad Orientem Comitatum Nicænum; ad Septentrionem Vadem Basilonensem; ad Occidentem Diœcesim Sanitianam; et ad Meridiem Diœceses Grassensem et Vinciamam. In eâ memoratur

Glanatica [: Glandeves :] olim Civitas medii ævi; nascentia Romanorum ætate jam extitisse invenitur. Vari exundationibus, ad cujus ripam versùs Africum sita erat, devastata fuit. In variis Ecclesiæ Gallicanæ monumentis Civitas Glandate, Glandatum, Glanatera, Glannativa, Glanatera, et Civitas Glannatera nuncupatur.

Olim titulô Comitatûs gaudebat, eâtque Sedes Episcopi Archiepiscopo Ebrodunensi subjecti, et cujus primus Antistes fuisse creditur S. Fraternus. At postquam Varus suis exundationibus eam solumque ejus abluisset, tum Episcopus et Incola ad alteram hujus fluminis ripam, et Intervallos

exiguam urbem, quam Galli suâ linguâ Entrevaux nuncupant, leucæ quadrante à ruinis Glanaticæ dissitam se recêpere. De veteri Glanatica nihil fermè residuum est præter domum Episcopalem.

§. XII.

121.

De Dioecesi Sistaricanâ.

Dioecesis Sistaricana |: Le Diocese de Sisteron :| posita est in confiniis Delphinatûs circùm Durantiam fluvium, qui eam perfluit. In eâ notatur

1º Sistero, Sistaricum, Sistarica, Sequestero, Secustero, Segustero, Segusterum, Segestero, Durio, Eisteron, Segesterorum Urbs, Durion, &c. |: Sisteron :| Urbs exigua incomminè fabricata, sed munita, et Emporium, necnon populosissima, sita sub rupe cujus cacumen Castrum munitissimum occupat, et à quo ipsa protegitur, ad ripam Durantiæ, ubi Buechus |: le Buech :| in eam influit. versùs Alpes velut Franciæ Promurale habetur.

Veteribus Græcis et Latinis Geographis aliisque Auctoribus, qui ante Itinerarii Antonini Scriptorem vixerunt Civitas hæc nota fuit, à quibus plerisque Secustro dicitur, quod vocabulum posteà in Segestericam mutatum est, ex quo dein mediô ævô Sistarica prodiit, ac hactenùs obtinuit.

Caput est Territorii |: Viguerie :| ejusdem secum nominis, necnon Sedes Episcopalis sub Metropoli Aquensi. Ex primis illius Episcopis nullius memoria extat nisi Valerii cujusdam, qui an. 517. superfuit.

An. 1562. Sistarica gravem adversùs Guisios sustinuit obsidionem, quos et repulit; at post repetitâ ab ipsis obsidione tandem occupata fuit cæsis in eâ 200. inermibus Imolis necnon multis Protestantium seu Hugonotorum uxoribus et liberis.

Olim propè Sistaricam Urbs erat Theopolis dicta, quæ modò nonnisi Pagus est ad Stum Genesium |: St. Geniez :| dictus, nomen, quod à reliquiis hujus S. Martyris huc asportatis accepit. Sanctus iste Arelate Tabularii seu Notarii Officiô fungebatur, ibique Sæculô III. Martyriô affectus fuit.

2º Forum Calcarium |: Forcalquier :| nomen tribuit Comitatui, qui antiquitùs à Provinciâ avulsus Dominos habuit eidem velut separato Statui dominantes; undè Reges Franciæ, postquam Comitatus iste unà cum Provinciâ pervenit, in tabulis publicis Comites Provinciæ et Fori Calcarii dicti sunt. Per ducentos annos speciales Comites habuisse legitur.

Sita est hæc Urbs suprà montem duabus leucis à Douentiâ inter Sistaricam ad Euronotum, et Aptam ad Caurum, quinque leucis ab utrâque, et duodecim ab Aquis Sextiis ad

Septentrionem, et sex à Manoscâ. Ampla est jusque habet voti et Sessionis in Comitiis Provinciæ.

Multi Scriptores nullis fulti Veterum monumentis conjecturant urbem hanc antiquissimam esse ac Forum Neronis, seu Alaunium, quod Ptolomæus aliique veteres Geographi comminiscuntur. Certum tamen esse videtur primum Sæculô X. notam fieri coepisse, atque Forum Calcarium, et dein ex vocabuli hujus corruptione Forcalquerium nuncupatam fuisse. et quia Sedes erat hujus Provinciæ partis Principum seu Comitum, admodùm celebris fuit, adeò, ut ipsius Collegiata Ecclesia S. Marii dicta ab an. 1060. quo Gerhardus Sistaricæ Episcopus domicilium suum in eam transtulerat, in longum usque tempus Successorum ejus Sedes fuerit. Aërem habet persalubrem, agrúmque fructiferum, quem multi irrigant rivi.

3º Manosca seu Manuesca |: Manosque :| Urbs populosissima ad ripam Durantiæ in Fori Calcarii Comitatu sita. Quibusdam Scriptoribus videtur esse Plinii Alanicum, cujus in Antonini Itinerariô, et Tabulâ Peutingerianâ fit mentio: aliis videtur esse Machao seu Machaovilla, cujus meminit Gregorius Turonensis, aliis verò Vetus Bormanicum: at hæc omnia sunt incerta. Verisimillimum est, eam originem et ampliationem suam Fori Calcarii Comitibus, qui in eâ hyemare solebant, debere.

Hic Equites Melitenses pingue possident Beneficium; quidam ajunt illud priùs Templariorum fuisse, quorum Ordine extinctô, tùm Melitensibus datum esse. Adsunt etiam duæ Parochiæ, et quædam virorum ac mulierum Monasteria. Anno 1708. Urbs hæc terræ motu concussa fuit multúmque afflicta. Solum habet amoenum et perquàm fertile.

122. 280.

§. XIII.

De Diœcesi Aptensi.

Diœcesis Aptensis |: Le Diocese d'Apt :| limites habet ad Orientem Comitatum Fori Calcarii; ad Septentrionem Delphinatum; ad Occidentem Comitatum Vindaum; et ad Meridiem Diœcesim Aquensem. In eâ notatur

Apta |: Apt :| Urbs sita ad Calevonem fluvium |: Calavon :| octo leucis ab Aquis Sextiis ad Septentrionem; decem ab Arausiô ad Ecronotum. Est Sedes Episcopi Archiepiscopi Aquensis Suffraganei.

Plinius lib. 3. c. 4. eam Aptam Juliam Vulgientium nominat, vel prout quidam legunt, Vulgiensium, aut Vulgensium, Latinisque urbibus annumerat. Illius etiam Antoninus in suô Itinerariô meminit. Romanorum etiam Colonia fuit si fides Inscriptioni, quam profert P. Sirmondus, et in quâ Col. Apta Colonia Apta intelligi debet juxtà ipsum. In antiquis Provinciarum et Urbium Galliæ Notitiis Civi-

104

tas Aptensium nuncupatur atque in Provinciâ Narbonensi secundâ collocatur.

Vetus nomen Summ semper retinuit, atque hodiedum adhuc Apta nuncupatur, id nomen fortè ob commodum gratumque situm Summ à Romanis accepit, eminverò posita est ad ripam exiguî fluminis Calavonis /:Calvon:/ ubi Durantiæ conjungitur. Julia etiam dicta est à Juliô Cæsare, qui plerasque in Galliis Urbes præcipuas aut ædificavit aut restauravit. In eâ adhuc cernuntur reliquiæ Amphitheatri, variaque alia Romanorum monumenta, inter quæ recensetur epitaphium Equi cui Adrianus Imperator insidere solebat, quique Borysthenes dicebatur, anno 1604. repertum.

Ajunt hujus Urbis, quæ adhuc extant, mœnia Veterum Romanorum opus esse. Sub Imperatore Trajanô Italiô seu Latinarum Urbium jure gaudebat. Sæculô VI. à Longobardis exisa fuit, atque usque ad initium Sæculi VIII. deserta mansit, tùm enim primùm restaurata fuit, fortè à Comitibus, qui ei Dominati fuisse Sæculô IX. memorantur. Sæculô XI. libera Imperii Civitas facta fuit reservatâ tamen Episcopo illâ Dominii, quod ei in ipsam competebat, parte. at Carolus Andegavensis S. Ludovici Franciæ Regis frater, ubi Sæculô XIII. Provinciam adeptus est, Urbem hanc ab Imperiô avulsit sibique subjecit, relictô tamen Episcopô, imò et Comiti Sorici Calcarii in illam, quod quisque pro suâ parte obtinebat, Dominiô subalternô. Eminverò olim Episcopus et Comes Sorici Calcarii quisque pro mediâ parte eîdem Dominabantur: Episcopus postmodùm partem suam Dominis de Simiana /:Simiane:/ in feudum tradidit, à quibus Dein ad Robertum Franciæ Regem et Provinciæ Comitem an. 1319. devolutum fuit, postmodùm Joanna Roberti neptis et hæres an. 1355. jus feudale hoc ab Episcopo redemit, in vigore hûc tamen remanente diplomate, quod ipse à Carolô IV. Imperatore obtinuerat, quô jura Ecclesiæ sub confirmabantur, ipseque Imperii Princeps declarabatur cum jure cudendi monetam, &c. Modò Rex Franciæ tanquam Provinciæ Comes huic Civitati absolutô Dominatur imperiô, ipsâque est Caput Territorii /:Viguerie:/ jusque habet Legatos ad Provinciæ Comitia mittendi.

Episcopatus Aptensis antiquissimus est, ajuntque hîc primum Episcopum fuisse S. Auspicium Martyrem, qui circà an. Chr. 92. seu, ut alii volunt, 162. floruit. An. 314. hujus Urbis Legati Synodo Arelatensi sub Imperiô Constantini Magni celebratæ interfuisse memorantur. Sæculô VI. idius Episcopi Concilio Epaonensi pluribusque

aliis adfuerunt. Ecclesia Cathedralis initiô B.V. Mariæ dicata fuit; at postmodùm necnon circà an. 794. S. Annæ dicta fuit, quòd opinio fuerit et adhuc sit, illius corpus sub Carolô Magnô inventum fuisse, caputque ~~illius~~ in hac Ecclesiâ asservari. An. 1365. Concilium nationale in hac Urbe celebratum est, in quô 28. Constitutiones editæ fuerunt.

123. ~~[illegible]~~.

§. XIV.

De Comitatu Vendascensi.

Comitatus Vendascensis, Vendauscensis, Viscantinus, Vidascinus, et Vindasanus |: Le Comtat Venaissin, Venaicin, Venaiscin, Venaisain, Venaison, et Venisse:| nomen habet ab Urbe Vendascâ |: Venasque:| olim illius Metropoli, quæ modò hac prærogativâ privata est atque nonnisi Oppidum seu Pagus est. Limites habet ad Orientem Provinciam, ad Septentrionem Delphinatum, ad Occidentem Occitaniam, à quâ illum Rhodanus distinguit, et ad Meridiem Durantiam flumen. Solum habet jucundum et admodùm fertile. À Sæculô XI. à Comitibus Tolosanis possessus fuit usque ad initium Sæculi XIII. tùm enim Innocentius Papa III. Raymundum VI. seu Seniorem Vidascini Comitem, quod Albigensium hæresim amplexus esset eosque totis viribus foveret, excommunicatione perculsum à fidelium communione removit, Comitatúmque hunc fisco addixit: At cùm an. 1234. Raymundus VII. seu Junior ab Imperatore Friderico II. jura, quæ in illum Imperio Germanico competebant, obtinuisset, tùm Gregorius IX. Innocentii III. post Honorium III. Successor illi eundem Comitatum restituere debuit, quem post Philippus Audax ad se titulô hereditatis an. 1270. devolutum Gregorio Papæ X. in Ecclesiæ Romanæ proprietatem an. 1273. cessit, cui post 75. annos dein titulô emtionis Ditio seu Comitatus Avenionensis an. 1348. operâ Clementis Papæ VI. accessit: cùm enim Joanna I. Caroli II. ultimi Provinciæ Comitis filia et utriusque Siciliæ Regina, quòd Andream Hungarum maritum suum interfici curasset, aut saltem necem ei à Dyrrachino |: Durrazzo:| Comite illatam haud ulta fuisset, à Ludovicô Hungariæ Rege Andreæ fratre Regnô suô exturbata in Provinciam patriam suam se recepisset, Avenionensem Comitatum, qui ad ipsam pertinebat, pro summâ, quôd ajunt, 80000. florenorum eidem Clementi Papæ vendidit; túmque integer tractus Vidascinus seu Vendascensis Romanæ Sedis factus est |: si exiguum Arausionensem Principatum excipias:| necnon communiter Comitatus Avenionensis æquè ac Vendascensis nominari coepit. Cum anno 1688. Ludovicus XIV. Franciæ Rex Innocentio Papæ XI. eripuit, quòd ipsius Legato Lavardino Palatii sui immu-

nitatem concedere renuisset, at postmodùm re inter ipsos compositâ, illum denuò recepit Pontifex.

In hocce Comitatu numerantur Archiepiscopus unus et tres Episcopi illius Suffraganei. Cardinales Legati, et in eorum defectu Vice-Legati eidem Summi Pontificis nomine præsunt. In eo notantur

1º Avenio, Cavarum Avenio, vel Avenicorum Civitas |: Avignon :| Urbs venusta et ampla Caput ipsius Avenionensis Comitatûs, imò post Sixti Papæ V. decretum Vendascensis. Sita ad ripam Rhodani, super quem celebris 19. arcuum pons lapideus an. 1177. ædificari cœptus et an. 1188. finitus fuit, cujus modo nonnisi 4. arcus sunt residui, reliquis an. 1669. ab exundante Rhodanô abductis. Eam Sorga |: Sorgne :| perfluit, distatque ab Arausione |: Orange :| 5. leucis, 16. ab Aquis versus Caurum; 7. ab Arelate ad Euro-Aquilo-mesem; et 8. à Nemausô |: Nismes :| ad Eurum.

Initio Urbs ista ad Cavares Galliæ populos pertinuit, atque sub Romanorum Imperiô juribus ac immunitatibus Latinæ Civitatis fruebatur, quod refert Plinius. postmodùm facta est Colonia Romana, quo nomine Ptolomæus qui centum post Plinium annis vixit, eam indigitat. Postquam autem Gallia Narbonensis in varias Provincias distributa fuit, Urbs hæc Viennensis primæ facta est, ubi constanter permansit donec Occidentale Romanum Imperium in Galliâ penitùs excisum est, tùm enim eam Burgundiones occupârunt, ad quam etiam ipsorum Rex Gondebaldus à Clodovæô Francorum Rege vehementer insectatus confugit, ibique se adversùs illum egregiè tuitus est; postmodùm Burgundiones eam Visigothis cesserunt; deinde ad Ostrogothos pervenit, et ab his ad Francorum Reges; tandémque sub Merovingis et Conradô Pacificô Præfecti, qui eidem nomine ipsius præerant, summum in eam ejúsque Tractum sibi arrogârunt Principatum, quem etiam Successione continuâ tenuerunt usque ad Clementem VI. qui, ut suprà memoravimus, Urbem hanc unà cum ejus Tractu à Joanna Utriusque Siciliæ Reginâ coëmit, cujus proindè dominium Sedes Apostolica ad hanc usque diem retinuit.

In eâ Summi Pontifices per 72. annos resederunt scilicet ab an. 1305. quo Clemens V. quamvis necdum sive ipse sive sui Successores usque ad Clementem VI. illius Principatum essent adepti, Sedem Romanam huc transtulit, usque ad an. 1377. quo Gregorius XI. Romam regressus est. Post illius mortem Cardinales furore populi Romani tumultuantis et Papam Italicum deposcentis perterriti Bartholomæum Barensem Archiepiscopum Papam dixerunt, qui Urbanus VI. nuncupari voluit; at brevi

post Romam egressi Urbani electionem, ut quam populus furore summo et violentiâ exterruisset, nullam et invalidam declarârunt, atque ad novam progressi Cardinalem Robertum è Comitibus Gebenensibus in Papam elegerunt, qui Clemens VII. nuncupari voluit, Sedemque suam Avenione fixit, et post eum illius Successor Petrus de Luna Benedictus XIII. dictus, quem Galli hujus Schismatis pertæsi an. 1408. Avenione expulerunt. Hæc fuêre initia illius Schismatis, quod ultrà 40. annos Ecclesiam diræ vexavit, atque primum in Concilio Constantiensi, quod anno 1414. celebrari cœpit, et ad an. 1418 perduravit, extinctum fuit, electo ibidem in Summum Pontificem legitimum Cardinali Columna, qui Martinus V. dictus est.

Primis Ecclesiæ Sanctis hujus urbis Sedes Episcopalis Metropoli Viennensi, dein Arelatensi subjecta fuit usque ad an. 1475. quô à Papâ Sixto IV. in archiepiscopalem erecta est. Adest hîc etiam Universitas à Bonifacio Papâ VIII. an. 1303. fundata: in eâ numerantur Professores SS. Theologiæ tres, Juris quatuor, et tres Medicinæ. Inter hæc celebres habuit Juris Civilis Professores.

Cæterùm Avenione notari meretur numerus Septenarius: nempe Septem Papæ successione continuâ circà 72. annos hîc sederunt, Clemens V. Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. et Gregorius XI. Adsunt Septem Ecclesiæ Parochiales, Septem Collegia Canonicorum, Septem Monasteria Virorum, et Septem Monialium, Septem Nosocomia; Septem magnifica Palatia, inter quæ eminet Papale; et Septem portæ. Jesuitæ quoque habent Collegium, et Domum Novitiatûs, et Judæi Synagogam. Annô 1721. cùm pestis in Provinciâ grassaretur, etiam hæc adtacta est, laudâque vulgarem edidit Strayen.

2°. Vasio Vocontiorum, seu Forum Vocontiorum |: Vaison :| Urbs exigua et humilis minùs populosa, nec munita supra montem collocata unà cum Castellô propè Uvezam |: Ouveze :| fluvium, nec procul à ruderibus veteris Vasionis, quæ olim Vocontiorum populorum Metropolis erat, atque una ex amplissimis Galliæ Civitatibus et ex earum numerô, quæ Fœderata, idest, Romanis fœdere juncta dicebantur, prout refert Plinius. In amenâ planitie collocata ultrà Lucam, quod illius ruinæ ponunt, protendebatur. Sanctô VI. à Barbaris emissa fuit, quô autem annô aut occasione ignoratur, quod ~~non fecerint Scriptores antiqui et latius~~ id non referant Scriptores antiqui, communiter tamen immane facinus istud Longobardis adscribitur, qui circà finem Sæculi VI. ex Italiâ Alpes transgressi illas inter at

Rhodanum collocatas legiones crudeliter devastârunt; quidam hanc Urbem à Saracenis penitùs eversam fuisse ajunt. Ejus loco ea, à quam hic annotamus, constructa fuit.

Habet Episcopum Archiepiscopo Avenionensi Subjectum. Daphnus hujus Civitatis Episcopus an. 314. Legatos ad Concilium Arelatense misisse legitur, ibique Episcopus Vasensis loco Vasionensis nuncupatur. Deinde in variis actis et monumentis ipsius Successorum fit mentio. Saeculò VI. in hac urbe, priusquam à Barbaris infestaretur, duo Concilia fuêre celebrata.

3ò Carpentoracte |: Carpentras:| Urbs, quae priusquam Sixtus Papa V. Avenionem ei praetulisset, Caput erat Vendascensis Comitatûs. Medium fermè totius Comitatûs occupat, sitáque est ad ripam Ausonis |: Auson:| fluminis, 5. leucis ab Arausione ad Euronotum, et totidem ab Avenione ad Eurum. Vetus admodùm est, eámque Plinius Carpentoracten Meminorum vocat à nomine populorum, qui ejus agrum incolebant.

Est Sedes Episcopalis Avenionensi Metropoli Subjecta. Illius autem Episcopi ante Saeculum VI. ignorantur, Julianúsque primus invenitur in monumentis Ecclesiasticis. an. 517. interfuit Concilio Epaonensi sub Sigismundô Burgundiae Rege celebrato, an. 524. Arelatensi, an. 527. Carpentoractensi, et an. 529. Arausionensi seu Arausicano. Postmodùm memorantur quidam Episcopi, qui Sedem suam ab hac urbe Vendascam |: Venasque:| transtulerunt, undè modò Antistites Vendascini, modò Carpentoractenses dicti fuêre: enimverò Clematius, qui an. 541. et 555. Synodis Aurelianensibus IV. et V. interfuit, Episcopum Carpentoractensem se equidem nominat, at Licerius, qui an. 650. Concilio Cabilonensi adfuit, Episcopus Venduascensis dicitur, ut et Tetradius, qui longè ante ipsum anno videlicet 573. Concilio Parisiensi IV. interfuit. Hujus vicissitudinis verisimiliter causa fuit, quod fors Carpentoracte deserta jacuerit, atque illius Episcopi Vendascae, quae tùm temporis ampla erat et spectabilis, caputque provinciae, resederint. Praeter Ecclesiam Cathedralem et Episcopale palatium adsunt hic varia Monasteria, et Jesuitarum Collegium.

4ò Venasca, Vendasca, Venduasca, Vindasca, et Vinduasca |: Venasque seu Vendasque:| urbs propè Vindalicum |: Nasque:| flumen collocata duabus leucis à Carpentoracte ad Euronotum. Saeculo VI. illius mentio fieri coepit, et circà hujus saeculi medium quidam Episcopi Carpentoractenses Sedem suam ad eam transtulerunt, undè et in quorumdam Conciliorum subscriptionibus Episcopi Vendascenses nuncupantur, quemadmodùm suprà memoravimus. Civitas haec usque ad an. 1000. celebris fuit, tùm enim sub ipsius no-

nine Comitatus Vendascensis innotescere coepit; at hodiedum nec ampla nec spectabilis est. Carpentoracte, quam ex veteris devastata Venasca ruderibus aedificatam aliqui dicunt, eidem praeminentiam eripuit, eamque servavit usque ad tempora Sixti Papa V. qui Avenionem totius Comitatus caput dixit.

5 Cabellio |: Cavaillon :| Urbs angusta et inconcinna quidem sed vetustissima ad ripam Durantiae posita in solo fertilissimo simul et amoenissimo, 5. leucis ab Avenione ad Euronotum, 9. ab Arelate ad Euro-Aquilonem mesem, et 10. ab Aquis ad Caurum. Ejus meminit Plinius, atque etiam Cabellionem vocat; alii eam Cavallonum, Cabellicum, Cavarum, Urbem Caballicorum seu Cabellicorum Civitatem nuncupant, à populis, qui idius solum occupârunt. Ptolomaeus illam Coloniam, populumque ejus Cavaros dixit.

Urbs ista eandem, quoad principum suorum vicissitudinem, experta est sortem ac reliquae Comitatus Vendascensis Civitates et populi, donec liberalitate Philippi Audacis Francia Regis unà cum Comitatu ejusque Urbibus Summorum Pontificum facta est, prout supra annotavimus. Ajunt eam à vicino monte, super quem antiquitus, prout ex ruderibus, quae adhuc supersunt, apparet, collocata erat, in eum, ubi nunc est, locum translatam fuisse.

Est Sedes Episcopalis Metropoli Avenionensi subjecta. S. Veranus Saeculo VI. hic Episcopus fuisse memoratur.

§. XV.

124.

De Principatu Arausionensi.

Principatus Arausionensis seu Auriacus, vel Arausicanus |: La Principauté d'Orange :| exigui est ambitus, quamvis antiquitus longè ampliorfuerit, atque longius in Dioeceses Tricastinensem |: St. Paul trois Chateaux :| Avenionensem 9 |: Avignon :| Valentianam |: Valence :| Deanam |: Die :| Vapincensem |: Gap :| Sistaricanam |: Sisteron :| Nicaensem |: Nice :| Montispessulani |: Montpellier :| Nemausanam |: Nismes :| et Lutevensem |: Lodeve :| p. protensus. At postmodùm perquàm distractus fuit, nedùmque ad Orientalem Rhodani ripam, à quo ab Occitania separatur, adeò arctis per Comitatum Vendascensem circumscribitur ~~limitibus~~ ad tria sua latera limitibus, ut ultrà 4. leucas in longitudine, et tres in latitudine non expleat.

Ab Aigaro seu Jaro |: Aigue :| Meduanâ |: Maine :| et Ureza |: Oureza :| fluviis irrigatur. Vinum, crocum, Sericum, frumentum, omnèque, quod legionis hujus fertilitas, producit, sed nulla mala aurata |: Oranges :| unde adagium proverbium: A Orange il n'y a point d'Oranges.

Primi Auriaci Comites Saeculô XI. nonnisi Praefecti erant Provinciae Comitibus seu Marchionibus subjecti, qui posteà hujus Principatûs sibi asseruêre proprietatem, atque successione continuâ usque ad Wilhelmum Nassoviensem Belgii Foederati Gubernatorem et postmodùm Angliae Regem tenuerunt. Eò an. 1702. sine liberis defuncto, Ludovicus XIV. Franciae Rex illius possessionem per modum sequestri arripuit, donec, ut praetexebatur, cuinam ex ipsius demortui agnatis adscribi deberet, penitùs eliquatum esset, frustrà contra nitentibus Friderico I. Borussiae Rege et Principe Nassoviensi Frisiae Occidentalis Gubernatore proximis ac legitimis illius heredibus, tandem an. 1713. in pace Ultrajectensi Fridericus II. Borussiae Rex prioris filius Principatum hunc dicto Franciae Regi cessit, ac insuper coheredem suum Nassoviensem Principem hac de re indemnem se praestaturum promisit. Rebus sic compositis Principatum istum deinde Ludovicus XIV. Delphinatui adjecit, qui modò ex ipsius Regis donô Principi Contio paret. Hûc notatur

Arausio, Civitas Arausicorum, et Urbs Arausionensis |: Orange :| Caput Principatus, cui et nomen tribuit. Sita est in amoenâ planitie, quam plures rivi perfluunt, ad ripam Meduani |: Maine :| fluminis 5. leucis ab Avenione ad Boream, 22. à Montepessulano ad Euro-aquilone-Mesem, 20. ab Aquis Sextiis ad Caurum.

Antiquissima est, ut quae, quemadmodùm notat Ptolomaeus, una ex quatuor Cavarorum populorum Civitatibus fuerit. Plinius et Pomponius Mela Coloniam Secundanorum eam ~~[illegible]~~ vocant, quod nomen à Veteranis Romanorum Secundae Legionis militibus, quibus adincolendum tradita fuerat, accepit. Easdem ac caeterae ipsi vicinae Urbes experta est vicissitudines; labascente Romanô in Galliis Imperiô ad Burgundiones, et ab his ad Francos Carlovingos et Merovingos pervenit, demùm à Saeculô IX. Regibus Burgundiae et Arelates usque ad an. 1032. quo fata complevit Rudolphus cognomentô piger ultimus Burgundiae Rex, paruit; tùm Germanorum Imperatorum facta est; ac tandem speciales et proprios habuit Principes, qui ei ut et toti Principatui illius summô imperiô dominati sunt, donec Regum Franciae facta fuerit, quod primùm retulimus.

Quondam, quod residua adhuc veterum illius moenium fragmina produnt, longè amplior fuit, quàm nunc sit, enimverò vicinorum suorum et Saracenorum irruptionibus nimiùm quantùm afflicta fuit et depressa: Saeculis V. et VII. antiqua ejus munimenta solo aequata fuêre unà cum tribus illius partibus, quartâ dein parte humilibus duntaxat

cinctâ muris: at post videlicet an. 1130. à Tiburgâ Principe fortibus munimentis aucta fuit. In bellô civili et intestinô Catholicos inter et Hugonotos multa etiam perpessa est incommoda, præsertim autem an. 1562. quô Catholici illius Principis archivum asportârunt. Ei supra collem positum Castrum insidebat magnificum, in quo miræ profunditatis puteus erat Saxo incisus. An. 1622. Mauritius Nassovius Auriaci Princeps eam propugnaculis adeò auxit, ut munitissimis totius Europæ Civitatibus facilè annumerari posset; at Ludovicus XIV. an. 1660. dum hujus Principis filius adhuc in minoritate versabatur, ea dirui fecit, quòd, cùm probam et claram, utpote juvenis, haberet oculorum aciem, nasus ejus hujusmodi conspicilium detrectaret.

Varia monumenta, quæ pro parte ibidem extant, tot sunt illius antiquitatis testimonia, atque inter alia Circus, Arenæ, Aquæductus, Balnea publica, ingentis turris fragmen, quæ creditur Templum Dianæ fuisse, Arcus triumphalis, &c. de hoc Arcu inter eruditos est controversia, quidam ajunt illum in gratiam Domitii Ænobardi, et Quinti Fabii Maximi Æmiliani, postquam Allobroges devicissent, alii verò in gratiam Caji Marii et Lutatii Catuli fusis Teutonibus et Cimbris erectum fuisse contendunt.

Habet Sedem Episcopalem Metropoli Arelatensi subjectam. Antiquissimis Galliæ Ecclesiis annumeratur, jámque an. 314. Faustinus Presbyter illius nomine Concilio Arelatensi astitit. Primus hic fuisse Episcopus Constantius dicitur.

In eâ etiam tria commemorantur fuisse celebrata Concilia, primum an. 441. sub Leone Papâ I. cui adfuêre 17. Episcopi præseditque Hilarius Arelatensis: alterum an. 529. sub Felice Papâ IV. adversùs Semipelagianos, in eo 25. Canones conditi sunt, in quibus doctrina de Gratiâ, Liberô Arbitriô, et Prædestinatione ad mentem et ex verbis S. Augustini exposita fuit; præsedit Cæsarius Arelatensis, interfuêre 15. Episcopi. Denique tertium an. 1228. sub Honorio Papa III. occasione hæresis Albigensium; præfuit Legatus Apostolicus; aliqui quartum addunt, quod tamen juxtà alios nonnisi tertii continuatio fuit.

Adest etiam Universitas à Raymundô V. Baltiensi (: de Baux:) Auriaci Principe an. 1365. fundata, sunt, qui dicant, eam Carolo Magno originem suam debere.

Urbs ista, priusquam Regum Galliæ fieret, Calvini dogmata sectabatur, at postquam an. 1713. Ludovicus XIV. illius ex cessione Borussiæ Regis possessionem adiit, tùm Calviniani ex Universitate, et ferè omnes ipsâ Civitate ejecti sunt, aut sponte aliò demigrârunt; deinde an. 1719.

ca, quam hic hactenus retinuerant, ultima et unica totius Franciæ Calviniana Ecclesia ipsis erepta fuit, atque Patribus Doctrinæ Christianæ tradita. In hac Urbe nata perhibetur mater longè celeberrimi Romani Oratoris Ciceronis.

§. XVI. 125.

De Territoriô Tarasconensi.

Territorium Tarasconense (: La Viguerie de Tarascon :) exiguum satis est, sub Dioecesi Avenionensi, et dominio Regis Franciæ tanquam Provinciæ Comitis. limites habet ad Euro-Aquilone-mesem Comitatum Avenionensem, ad Caurum Occitaniam, ad Meridiem Agrum Arelatensem, et ad orientem seu Eurum Territorium Aquense. In eo occurrit

1º Tarasco (: Tarascon :) Territorio ipsi nomen tribuit ejusque Caput est, undè et ei ad Provinciæ Comitia patet aditus, in iisque primum ac præcipuum locum occupat. Sita est hæc Civitas ad sinistram seu Orientalem Rhodani ripam è regione Belloquadræ (: Beaucaire :) ad dexteram seu occidentalem hujus fluminis ripam in Occitaniâ collocatæ, 4. leucis versùs Africum ab Avenione, et 3. ab Arelate versùs Boream.

Antiquissima est, Strabo et Ptolomæus illius jam sub nomine Taraschonis seu Tarasconis meminerunt. Fabula ergò est Civitatem hanc nomen suum accepisse à terribili quodam Serpente seu Dracone, qui incolas interimebat, quem dein Beata Martha cicurem fecerit. Ajunt hic viam subterraneam, ac etiamnùm sub Rhodanô apertam ac perductam fuisse repertam, certè Romanorum Opus.

Urbi insidet Arx venusta in eminenti rupe posita et veterum more munita, necnon vel à ~~Renato~~ Ludovicô II. Provinciæ Comite et Neapolis Rege, vel à Renatô Rege ex Secundâ Andegavensium Principum prosapiâ prognatô ædificata: quidam tamen pertendunt eam à Provinciæ Comitibus an. 1401. excitatam fuisse.

Habet Ecclesiam Collegiatam à Ludovicô XI. an. 1482. fundatam sub patrociniô S. Marthæ, cujus reliquiæ in arcâ aureâ, quâ pretiosiorem in totâ Franciâ haud reperiri ajunt, asservari dicuntur. Vulgi opinio est, Clodovæum Francorum Regem hûc venisse Divam hanc veneraturum, quod tamen parùm aut neutiquam verisimile est. Hic etiam fabulosus Draco ille, quem ipsa cicurem fecisse dicitur ex vulgi opinione, ostenditur.

Tarascone quatuor numerantur Monachorum mendicantium Monasteria, et totidem Monialium, necnon Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ.

Solum ejus mite est et fertile, aërque temperatissi-

mus: In eo etiam colliguntur simplicia et omnes herbæ medicæ, quas in paludibus inveniri fas est.

2º. Fanum S. Remigii |: St. Remy:| Urbs exigua et 265. duntaxat incolarum, sic dicta à S. Remigiô celebri Remensis Ecclesiæ Antistite, cujus reliquiæ hîc asservari dicuntur. Sita est inter lacus et ~~[illegible]~~ Stagna, inter quæ præcipuè celebratur illud, quod Crymotheca |: la glaciere :| nuncupatur, 4. leucis ab Arelate versùs Orientem, non procul à Baltiô seu Bautiô Oppidô |: les Baux:| in Dioecesi Avenionensi. Creditur esse vetus Glanum. Sæpiùs hîc Provinciæ Comitia celebrata fuêre, ipsaque in iis votum habet et Sessionem.

Temporale Urbis hujus dominium subinde ad varios translatum fuit, enimverò veteres Provinciæ Comites multoties illud alienavêre; tandem Ludovicus XIII. Monachii |: Monaco:| Principi donô dedit.

Adest in hac Civitate Ecclesia Collegiata à Joanne XXII. an. 1330. fundata, quæ simul parochialis est, in quâ recondita dicuntur ossa S. Remigii Remensis Archiepiscopi.

Extrà Urbem sunt duo Monachorum Cœnobia, unum Franciscanorum Strictioris observantiæ, alterum Trinitariorum; et quatuor Monialium.

Primùm à Sæculô XI. Civitatis hujus extat memoria sub S. Remigii scilicet nomine; nihilominùs in- et extrà eam multa supersunt antiqua monumenta, quæ satis produnt eam antiquam olimque amplam ac celebrem fuisse. Ab eâ leucæ circiter quadrante visitur Arcus triumphalis, ut et magnificum sepulchrum fornice duabus columnarum variis statuis, figuris, ac tropæis ornatarum seriebus innixô contectum; vasa item cadaverum cineribus oppleta, aurea et argentea numismata, necnon lapides, in quibus antiquæ Inscriptiones Romanæ cernuntur incisæ. Urbs hæc est patria Michaëlis Nostradami et Joannis ejus fratris.

Solum habet vini optimi aliorúmque fructuum feracissimum.

126. ~~[illegible]~~

§. XVII.

De Vicariatu seu Valle Barcinonensi.

Vicariatus seu Vallis Barcinonensis |: la Vallée de Barcilonette:| tenuis Principatus in Alpibus Maritimis collocatus, confinis est Provinciæ et Delphinatui ad occidentem, et versùs Orientem Marchionatui Salutiarum, et Comitatibus Niceensi ac Bolæo |: Beuil:|

Nomen habet à suâ Metropoli, longô tempore Comitatui Niceensi adscriptus fuit, qui tùm Provinciæ pars erat; at Amadeus VII. Sabaudiæ Comes cognomentô Rufus an. 1388. Ludovico Andegavensi Provinciæ Comiti illum eripuit; cùm autem postmodùm Franciscus I.

Sabaudiæ Ducem potiori dominiorum suorum parte nudasset, tùm Vallis hæc denuò Provinciæ adjuncta est, atque apud eam mansit usque ad an. 1559. quô ab Henricô II. Franciæ Rege vi conventionis in Castrô Cameracensi |: Chateau en Cambresis:| Duci Sabaudiæ Emanueli Philiberto restituta fuit.

Regio hæc postmodùm multoties à Francigenis occupata fuit, sæpiusque restituta; tandem an. 1713. in pace Ultrajectensi à Victore Amadeo Duce Sabaudiæ in compensationem earum Delphinatûs ditionum, quas ipse durante Successionis Hispanicæ bellô occupaverat, Franciæ Regi cessit, quæ denuò Provinciæ adjecta est. Occurrit.

Barcinona, Barchinona, seu Barcilona |: Barcelone seu Barcelonette:| Caput Vicariatûs seu Vallis, cui et nomen tribuit; Sita est ad pedem Alpium Maritimarum prope Hubajam |: Hubaye:| fluvium seu rivum. Ædificata perhibetur an. 1231. à Raymundô Berengariô Provinciæ Comite simul et Nicæensi; eámque Barcinonam, à Barcinone Hispaniæ Urbe celeberrimâ, quæ ipsius avita domus erat, nuncupari voluit. In Spiritualibus subest Archiepiscopo Ebrodunensi, in temporalibus Regi Franciæ velut Provinciæ Comiti.

Caput XI. 127.

De Languedociâ seu Occitaniâ ρ.

Languedocia, seu Occitania, olim Septimania |: Le Languedoc:| Spectabilis provincia meridionalem Franciæ partem ad Mare Mediterraneum occupans limites habet ad Septentrionem Carducinum Pagum |: le Querci:| et Ruthenos |: le Rovergue:| Aquitaniæ provincias; Alverniam |: L'Auvergne:| Pagum Lugdunensem unà cum Gabalicô |: Gevaudan:| Velaunis |: Le Velay:| et Helviis seu Vivariensibus |: le Vivarais:|. Ad Orientem Delphinatum Provinciam et Comitatum Avenionensem, à quibus eam Rhodanus separat. Ad Meridiem Mare Mediterraneum unà cum Ruscinensi |: Roussillon:| et Fuxiensi |: le Foix:| q et ad Occidentem Vasconiam, à qua per Garunnam |: la Garonne:| distinguitur. Inter omnes Franciæ provincias hæc Æquatori proxima est, et ferme 24tum elevationis gradum tangit, pulcherrimis quoque et spectatissimis hujus Regni provinciis annuneratur. Ab Oriente ad Occidentem ultrà 70. leucæ eam metiuntur; à Meridie verò ad Septentrionem non ubique est ejusdem amplitudinis, ubi enim Ruthenis ad Septentrionem, et Mari Mediterraneo ad Meridiem confinis est, nonnisi decem aut duodecim leu-

q Comitatibus;

carum est, at in duabus suis extremis partibus ad 40. circiter leucas lata perhibetur.

Olim à Septem Civitatibus præcipuis, quæ in eâ numerabantur, scilicet Tolosa |: Toulouse :| Beterra |: Beziers :| Nemausus |: Nismes :| Agatha |: Agde :| Magalona |: Maguelone :| Lutera |: Lodeve :| et Uzecia |: Uzez :| Septimania dicta fuit, nomenque hoc jam sæculo V. in usu erat, prout videre est apud Sidonium Apollinarem lib. 3. ep. 1. postmodùm dicta est Languedocia |: Languedoc :| à vocibus lingua |: Langue :| et Oc, quod vocabulum illius populi seu Tolosanâ linguâ idem significabat ac oui gallicum, quod latinè idem est ac ita, velut Lingua de Oc |: Langue d'Oc :| quod denotabatur Regio, cujus populi lingua suâ Oc pro oui gallico enuntiabant, undè ex his duobus vocabulis Languedocia nomen confectum est; et verò adhuc sæculo XIV. Gallia universa in duas linguas distincta fuisse perhibetur, scilicet in Linguam Oui |: Langue de Oui :| cujus caput Lutetia Parisiorum erat, et Linguam Oc |: Languedoc :| cujus caput Tolosa fuit; Latinè autem missa voce Lingua, à vocabulo Oc Occitania dicta est, quod tituli et monumenta latinè exarata præferunt, ubi Patria Occitana nuncupatur.

Antiquitùs provinciam hanc incoluêre Volcæ populi: qui versùs Occidentem à Tolosâ Beterras et Agathum usque sedem habebant, Volcæ Tectosagi nuncupabantur, et qui ad Orientem erant Volcæ Arecomici dicebantur.

* Urbe conditâ

Romani sub Consulatu Quinti Fabii Maximi Sexcentis triginta sex annis ab U.C.* plurimis Galatibus in hac provinciâ clauserunt, eámque subegerunt. Subditorum dominio mansit usque ad tempora Honorii Imperatoris, qui eam, quòd à Vandalis, qui Hispaniam occupaverant, frequentibus incursionibus infestaretur, atque ab Imperii Sede nimis remotâ ac disjuncta foret, Gothis tradidit, qui etiam nomen suum eidem imposuêre, atque Gothiam dixerunt, penes quos ultrà 300. annos permansit sub triginta Regibus, qui post Walliam in Hispaniâ, quam Vandalis ereripuerant, Regiam suam fixerant. Tandem Mauritanii in Hispaniam appulsi horum triginta Regum ultimum Rodericum prælio fuderunt et occiderunt, ~~prodebbo jamvetadomus~~, totámque fermè Hispaniam subegerunt; indéque gradatim in Languedociam inruptione potiori illius parte non modò potiti sunt, sed et Lugdunum usque penetrârunt; at dum Galloses suos Suiones, seu Cæsarodunum usque prosequuntur, à Carolo Martello an. 725. repressi fuerunt ac devicti. Qui illius ævi historiam memoriæ tradiderunt, tos-

tantur in hoc conflictu 175000. Mauritanorum, seu, quo nomine apud Francigenas veniebant, Saracenorum desiderata fuisse. Carolus dein victoriam suam prosecutus Languedociam, quam ipsi tenebant, ingressus multis urbibus eos ejecit, postmodùm ejus filius Pipinus, annô 759. et seqq. cæteras obtinuit, atque tota potitus est Languedocia, quam et ad Successores suos Franciæ Reges transmisit, ~~[illegible]~~ cui varios Comites præfecerunt ad nutum amovibiles, et inter quos divisa est; qui postmodùm illius proprietatem adepti fuerunt, quoque eam illius plagam sibi retinente, cui præfectus fuerat, sub clientelâ tamen Regum Franciæ. Inter eos præcipuè celebratur Raymundus VI. Comes Tolosanus, de quo priori Sectione quædam jam tetigimus; is, quòd Albigensium* hæresim amplexus esset, an. 1214. Principatu suo nudatus est; tùm titulô cessionis à Comite Amalaricô |: Amauri :| Montfortiô, cujus pater Simon Montfortius dictum Raymundum ditionibus suis exturbarat, factâ an. 1223. ad Reges Franciæ in personâ Ludovici VIII. denuò devoluta est, sicque jus proprietatis alto, quod hactenùs habuerant, imperio conjunxêre, si Comitatum Tolosanum excipias, qui an. 1228. à Ludovicô Sanctô hujus nominis IX. Raymundo VII. prioris filio vi conventionis Parisiis initæ restitutus fuit, quem tamen, cùm Raymundus iste an. 1249. Alphonsus verò Comes Bituricensis ipsius gener ac ipsius ~~filia~~ Uxor Joanna Raymundi filia, qui ei in hoc Comitatu successerant an. 1270. fatis cessissent, Philippus Audax iterùm ~~[illegible]~~ occupavit; annô dein 1361. perfectè et expressè coronæ adjunxit Joannes Franciæ Rex, penes quam hactenus permansit.

Occitania provincia est, in quâ Clerus numerosissimus est et ditissimus; in ea numerantur tres Archiepiscopatus et viginti Episcopatus; duæ Universitates, et totidem politiorum litterarum Academiæ, ac una Scientiarum et Artium; necnon quatuordecim Collegia. Tribus etiam Statuum Ordinibus componitur, Ecclesiasticô scilicet, Nobili, et Civicô, qui statutis temporibus agunt Comitia.

Clima ejus moderatè ~~[illegible]~~ calidum est ac ejusdem fermè temperamenti ac Clima Delphinatûs. Solum habet frumentô, fructibus ac vinô exquisitissimô fertilissimum et abundantissimum; necnon præter res vitæ necessarias, quas hæc regio profert, alit etiam ingentem celebrium et medicinalium plan-

* Albigenses hæretici sic dicti ab Agro Albigensi, quem præcipuè inundârant. Veri erant Manichæi, utqui duo rerum principia statuerent seu duos Deos, quorum unus summè bonus, alter summe malus, ille Auctor mundi cujusdam invisibilis, hic verò visibilis, ille Auctor omnis boni, hic verò omnis mali, uterque æqualis potestatis, ille ad faciendum bonum, hic malum; quemlibet habere uxores suas et liberos, illius filium esse Jesum Christum, hujus verò Diabolum. Christum phantasticam duntaxat carnem assumsisse, materiam esse increatam. Fato omnia tribuebant. Vetus Testamentum utpotè verbum et legem Dei mali respuebant, novum autem velut à bonô Deô proveniens admittebant. Matrimonium seu liberorum generationem quòd à malô Deô esset, damnabant, uterim occultè abominan-

das quasque Spurcitias exercebant. Animalium carnem et quidquid ab iis ortum habet, ut lacticinia, p. quod hæc omnia à malo principio esse dicerent, execrabantur. Sacramenta rejiciebant. p. p. Orti sunt hi Hæretici sæculo XII. circà an. 1126. auctorémque habuêre quemdam Petrum de Brusiâ Provincialem, qui 20. post annis in S. Ægidii Villa |: S. Gilles :| tanquam hæreticus flammis addictus fuit. In sæculum XIII. propagata est hæc hæresis ac tandem Crucigerorum armis extincta.

tarum copiam, atque inter eas Astacellum |: Salicot :| qui ad conficiendum vitrum et Saponem adhibetur, item speciem quamdam quercûs viridis, quæ Ilex aculeata cocci glandifera nuncupatur, ~~quæ~~ granum profert, quod granum tinctorium, seu vermiculus |: Vermillon :| vel etiam coccus infectorius dicitur, atque in confectione Alkermis adhibetur, et quo etiam Infectores ~~utuntur~~ ad tingenda colore coccineô textilia utuntur. Adsunt etiam Latomiæ Marmoreæ, et Turchesiæ fodinæ, ut et ferri, plumbi, argenti et auri; at hæ duæ ultimæ, quod parùm reddant, omninò negliguntur.

Præstans ac insigne in Languedociâ viget commercium, illudque præcipuè consistit in manufactis et aliis rebus venalibus. Merces, quæ ad exteras regiones transvehuntur, sunt vinum, oleum, frumentum, castaneæ siccæ, uvæ passæ, panni lanei et serici, p.

Plures etiam eam fluvii perfluunt, quorum præcipui sunt Rhodanus, Garumna, Atax |: Aude :| Elaver |: Allier :| et Tarnis |: Tarne :| His meritò adjungi debet pretiosus ac celebris Canalis à Setinâ |: Sette :| Tolosam usque perductus, ubi Garumnæ sociatur, et cujus ope Mare Mediterraneum cum Oceanô, in quem Garumna influit, jungitur, ac ad quem ab an. 1666. sub auspiciis Ludovici XIV. tredecim millionum librarum impensis laboratum est usque ad an. 1680. quo perfectus fuit.* Sunt, qui dicant, facilè aut commodum haudesse eundem magnis sulcare navigiis, quòd sæpiùs arenâ impleatur, undè videtur, quòd Deus nolit fines à se Mari præfixos mutari. Adsunt etiam quamplurimi fontes minerales.

* vid. infrà in art. Tolosa

Hujus provinciæ Incolæ insignes sunt artifices, manimèque industrii, humanissimi et integri, quibus scilicet mens est conscia recti, sed etiam impatientes, subasperi, et interdùm ad iram præcipites; cæterùm sunt egregii animóque præstantes, Principi suo ac Religioni addictissimi. Jure Romanô reguntur sine præjudiciô tamen quarumdam consuetudinum localium, quæ eidem in variis Capitibus derogant.

Languedociam trifariam dividimus, in Superiorem nempè, Inferiorem, et Tractum Cemmenium |: Les Sevennes :| Superior versùs Vasconiam partem illius Occidentalem occupat; Inferior ad Orientem sita est versùs Mare Mediterraneum, Provinciam, et partem Delphinatûs; Tractus verò Cemmenius limites habet ad meridiem Languedociam Inferiorem, ad Occidentem Ruthenos |: Rovergue :| ad Septentrionem Alverniam et Foresium |: Forez :| versùs Orientem verò Rhodanum, qui eum à Delphinatu separat. Cujusque partis varia

sunt Territoria, quæ singulis §§. expendimus, atque ab iis incipimus quæ in Languedociâ Superiore continentur

§. I. 128.

De Territoriô seu Comitatu Tolosanô.

Comitatus seu Territorium Tolosanum |: Le Toulousain :| regionem, quæ circùm Tolosam Urbem est, occupat. Solum ejus plerumque planum est frumenti feracissimum, illúdque flumina et rivi irrigant, quibus præclara intersunt vireta; vineæ quoque hîc coluntur, quarum succus in ipsa regione consumitur; etiam milium profert. Præcipuus illius fluvius Garumna est |: la Garonne :|. Occurrit

1ò Tolosa seu Tholosa |: Toulouse seu Thoulouse et Tolose :| totius Languedociæ Caput, posita ad Orientalem Garumnæ ripam, octo leucis à Monte Albano |: Montauban :| Aquitaniæ Urbe, sub 22. gr. 14. min. long. et 43. gr. 30. min. latit. Antiquissima est et veterum Tectosagorum Sedes, quod Trogus Pompejus*, et plures alii Scriptores testantur, dicunt enim eam patriam esse Tectosagorum, qui sub Brenno eorum Duce 280. circiter ante Christum annis Græciam vastaverunt. Imò quidam volunt Urbem hanc à Tolo seu Talesso Japheti nepote vel à quôdam Tolosô, ~~quæ~~ cum Æneâ è Troja profugô ædificatam fuisse. Cæsar de Bell. Gall. lib. 1. c. 10. eam Tolosam vocat, Plinius verò lib. 2. c. 10. Tolosam Coloniam; Sidonius Apollinaris lib. 1. Ep. 17. Urbem Tolosatium, et Notitia Galliæ Civitatem Tolosatium.

Civitas hæc antiquitùs jam magni, ut nunc est, ambitûs erat, atque quinque regiones complectebatur, juxta hunc Ausonii Ep. 23. v. 83. versum

Quintuplicem socias tibi Martie Narbo Tolosam.

Cognominata quoque fuit Palladia, vel quia Pallas ab ejus Incolis colebatur, vel ob olivas Deæ huic proprias, quásque hujus civitatis solum abundè profert, vel denique quia Incolæ Artium et Scientiarum, quibus Pallas præsidet, semper amatores fuêre.

Urbs hæc à Consule Serviliô Capione an 648. ab U. C. et 106. ante Æram Christianam Tectosagis erepta fuit, atque ex eâ ingentes, ~~thesauros~~ quos sibi Incolæ ~~[illegible]~~ cóercaverant, ut et Templi Apollinis thesauros asportavit.

Sub Romanis deindè spectabilis ac celeberrima facta est, quamvis Languedociæ necdum Metropolis fuerit, primùm enim sub Visigothorum Regibus Urbs Regia facta est.

Quod sæculare ~~[illegible]~~ dominium seu jurisdictionem attinet, Civitas hæc iisdem vicissitudinibus subjecta fuit ac cæteræ Languedociæ Urbes. primùm enim Romanorum, post subactos ab ipsis Tectosagos, fuit, deindè Visigothorum,

* Trogus Pompejus vetus Scriptor Latinus Vocontiorum Galliæ populorum stirpe oriundus, cujus Pater Julio Cæsari à Commentariis fuit. An verò ipse Hispanus natione fuerit an Gallus, non conveniunt eruditi. Sub Augusto floruit; tamen videtur jam ante Christi ortum fata complevisse. Quadraginta quatuor libros Philippicorum scripsit, in quibus præcipuè Regni Græcorum historiam percurrit.

ubi scilicet Ataulphus eorum Rex ineunte Saeculô V. in Galliâ resedit; centum circiter post annis Clodovaeus Francorum Rex Alaricô devictô Tolosam occupavit, ac posteris suis reliquit, penes quos mansit usque ad Saeculum VIII. quo Eudes Dux sub Merovingis Regibus Aquitaniae imperium arripuit simulque Tolosam sibi subjecit, quam an. 721. adversûs Saracenos tutatus est: at undecim post annis denuò irruentes eam obtinuerunt, ac expilârunt. Annô dein 767 Pipini Francorum Regis facta est, cui ipse nemon sui Successores Comites praefecêre, qui eam nomine suô regerent: at sub Caroli Simplicis regni finem Reginundus seu Raymundus circà an. 920. imperium Tolosae arripuit, posterisque suis consignavit, donec, quod suprà retulimus, an. 1270. Philippus Audax Franciae Rex, eam unà cum Comitatu denuò coronae adjunxit.

Est Sedes Episcopalis, quae an. 1317. in Archiepiscopalem à Joanne Papâ XXII. erecta fuit; quamvis enim sub Visigothorum Principibus Urbs Regia facta fuerit, tamen semper Narbonensem Ecclesiam velut Metropolim suam agnovit, donec laudatus Pontifex amplâ hac Tolosanâ Dioecesi in varias distributâ, totidem Antistites eisdem praefecit, quorum Metropolitam Tolosanum constituit. Primus Tolosae Episcopus fuisse memoratur S. Saturninus, qui an. 245. Româ in Galliam missus an. 250. sub Consulatu Decii et Grati Tolosam venit ibique resedit, et aliquot post annis sub Valerianô et Gallienô Martyrium subiit.

Praeter Ecclesiam Cathedralem, quae nondum perfecta est, et cujus navis quantum ad venustatem Choro haud respondet, variae adhuc Tolosae numerantur Ecclesiae et Monasteria, ut Carmelitarum; Dominicanorum, in quorum Ecclesiâ quiescit corpus S. Thomae Aquinatis an. 1369. huc allatum. Fratrum Minorum Strictioris observantiae: corpora, quae in eorum Ecclesiâ sepeliuntur, minimè putrescunt, sed siccantur duntaxat adeò, ut facierum ipsorum lineamenta conserventur; Carthusianorum, &c. Jesuitae hîc quoque habent Collegium, et domum, ut ajunt, Professorum*.

* Jesuitae hîc non amplius adsunt.

In hac Urbe est etiam Universitas quatuor Facultatibus instructa, Theologiae scilicet, Juris utriusque, Artium liberalium, et Medicinae: tres priores Facultates an. 1228. à Raymundô VII. Comite Tolosanô vi conventionis illum inter et Ludovicum IX. cognomentô Sanctum Franciae Regem initae erectae fuerunt, quarta verò primùm an. 1600. Adest etiam Academia politiorum litterarum et Scientiarum litteris Regiis patentibus mense Septembri an. 1694. expeditis erecta; constat Cancellariô et 35. membris, successit Ludis Foralibus |: Les Jeux Floraux :| Poëtarum Academiae, cujus origo ad an. 1234. rejicitur. Varia item in ea numerantur Collegia,

in quibus litteræ docentur; in eo, quod Fuxense dicitur, atque an. 1457. à Petrô Cardinali Fuxensi fundatum fuit, litteris operam navavit celebris Dominus de Marca Archiepiscopus Parisiensis. Adest etiam Supremus Senatus seu Parlamentum circà an. 1302. vel 1303. ad instantiam Languedociæ Statuum à Rege Franciæ institutum, cujus jurisdictio ad totam protenditur provinciam.

Olim Tolosa divisa erat in Civitatem et Oppidum, at an. 1346. Oppidum Civitati inclusum fuit, et ab eo tempore nullum amplius inter utrumque discrimen fuit. Aderant etiam Amphitheatrum, Capitolium, aliaque magnifica antiquitatis monumenta, postquam autem Visigothi, gens barbara, Civitatem hanc Regiam suam effecêre, Romanorúmque nomen et gloriam, quorum memoriam hæc monumenta refricabant, odissent, illa funditùs dejecêre, adeò, ut eorum nulla amplius, præter quasdam propè Castrum S. Michaëlis Capitolii reliquias, supersint vestigia. Nihilominùs Civitatis hujus Prætorium, quod amplum est et magnificum hactenùs Capitolii nomen retinuit, ~~[illegible]~~ Consulésque et Senatores Capitolini |: Capitouls:| vocantur.

Quamvis nulla Franciæ Civitas opportuniorem ad commercium et negotiationem situm habere videatur ac Tolosa, tamen nullum fermè in eâ viget commercium, quòd Incolæ nullam ad illud propensionem habeant, atque Scientias colere malint, nudè urbs q inter maximas Franciæ locum quidem obtinet, at nec populosa nec opulenta est; præclaras quasdam habet plateas, ut quæ ab una Civitatis portâ ad aliam protendantur; ædes communiter vulgares sunt; Garumnam tegit pons lapideus egregiæ structuræ, per quem ad ipsam Urbem transitur; eum claudit Arcus triumphalis, super quem visitur effigies Ludovici Magni. q hæc

Tolosa magnos semper sive sagô sive togâ viros protulit, quos hic enumerare nimis longum foret. Ad ejus muros celebris Languedociæ Canalis Garumnæ jungitur quatuordecim annorum Opus an. 1666. inceptum, et an. 1680. finitum, eum anno sequenti navigia sulcare cœperunt. In portu Setinæ |: Port de Sette:| ad mare Mediterraneum sito sumit initium.

2º Rivi, Rivenæ, Villa de rivis, Rigomagus, Ruesium |: Rieux:| Urbs posita ad Risam |: Rise:| rivum, qui paulò inferiùs Garumnæ miscetur, decem leucis versùs Africum à Tolosâ. à confluxu multorum fluviorum seu rivorum nomen accepit. Adeò exilis erat, ut Joannes XXII. ubi eam an. 1317. à Dioecesi Tolosanâ avulsit atque Sedem Episcopalem fecit, hæc in suâ Bullâ eloquatur: Eam Oppiduli nomine decoramus.

In hac Dioecesi 5. vel 6. leucis à Tolosâ situm est Fulium |: Fieuillans:| Oppidum celebre à cœnobiô, quod ipsius nomine

Fuliense |: L'Abbaye de Feuillans :| dicitur, estque Caput Ordinis Monachorum Cistercensium Strictioris observantiæ. Cœnobium istud fundatum perhibetur Sæculô XII. An. 1577. Joannes Barreria |: de la Barriere :| ejusdem Monasterii Abbas Commendatarius Strictissimam Cistercensium Regulam amplexus novam Congregationem instituit sub auspiciis Sixti Papæ V. quæ à suo Monasteriô Congregatio Fuliensium dicta est; eique ab Henrico III. facultas data illam per totam Franciam propagandi. Novus hic Ordo à laudato Papâ confirmatus est, eique Clemens VIII. et Paulus V. Speciales concessêre Superiores. Scopus Institutoris fuit primum SS. Benedicti et Bernardi Spiritum reducere, necnon exhibere redivivum.

129. §. II.

De Comitatu Fuxensi.

Comitatus Fuxensis seu Fuxiensis |: Le Comtê de Foix :| versus Septentrionem Comitatui Tolosano confinis est, et versus Meridiem Ruscinonensi |: Roussillon :| ubi et Pyrenæis montibus à Cataloniâ separatur. Sæculô XI. Tractus iste nondum Comitatûs titulô gaudebat, postquam autem Rogerius Carcassonensis Comes eum filio suo Bernardo tradidit, tùm hic Comes Fuxensis dici voluit.

Comites isti nullum Superiorem Dominum agnoscebant, donec Raymundus Rogerius Petri Aragonum Regis vasallus esse voluit; post Albigensium Hæreticorum partes amplexus, à Cruciferis Comitatu suo nudatus fuit; qui postmodùm Successoribus suis restitutus est. Anno Dein 1258. Jacobus Aragoniæ Rex initâ cum Ludovico IX. Franciæ Rege conventione Supremum jus, quod in hunc Comitatum habebat, eidem cessit, quamvis jam priùs Comites isti eundem Ludovicum Sanctum velut Supremum Dominum suum agnovissent, ipseque eosdem tanquam clientes fiduciarios seu Vasallos suos suscepisset datis hanc in rem an. 1242. vel 1243. patentibus litteris. Tandem Henricus IV. ad quem hereditatis titulô Comitatus iste pervenerat, Rex Franciæ factus illum Coronæ attribuit. Occurrit in eo

1º. Fuxum seu Fuxium |: Foix :| Caput Comitatûs, à quâ Urbe nomen habet. Sita est ad ripam Ariegæ |: Ariege seu Auriege :| fluminis sub Pyrenæis montibus 6. leucis ab Hispaniæ finibus, 3. ab Apamiis |: Pamiers :| et 12. à Tolosâ. Quando Civitas hæc ædificata fuerit ignoratur, ante Sæculum XI. nullum certum monumentum ejus meminit, id duntaxat compertum, quòd Comites Carcassonenses, ad quos ipsa pertinebat, eodem Sæculô ibi Ecclesiam construxerint S. Martyri Volusio dicatam, eique Urbem hanc multáque alia bona tradiderint; Successu temporis ascitis ad eam Canonicis Regularibus facta est Abbatia. Comites

Fuxienses Carcassonensium Successores Castrum duntaxat hic possidebant, Civitas verò ad Monachos pertinebat, qui postmodùm annô videlicet 1168. Comites ipsos in jurisdictionis consortium assumsêre eâ lege, ut jura Monasterii tuerentur, quod consortium hodiedum adhuc viget. Monasterium istud exortis in Galliâ Religionis tumultibus, ab Hugonotis eversum fuit, Monachique expulsi; at iis sedatis restauratum denô fuit Monachique reducti, atque in antiqua jura sua restituti. Hujus Canobii Abbas in hujus provinciæ seu Comitatûs Comitiis primum post Apamiensem Episcopum, qui Statuum Præses est, locum occupat.

Quidam Abbatiæ istius originem altiùs asserunt, eámque à Carolô Magnô fundatam fuisse volunt in memoriam celebris victoriæ, quam de Saracenis reportavit.

2°. Pamia, Apamia, seu Apania |: Pamiers seu Pamiez :| Urbs sita ad ripam Ariegæ |: Ariége :| tribus leucis versùs septentrionem à Fuxô, et quindecim versùs meridiem à Tolosâ. Olim gallicè scribebatur Apamiez, undè et adhuc hodiè latinè Apamia seu Apania dicitur: antiquitùs Fredelaunum |: Fredelas :| vocata fuit, atque una cum vicinâ regione ad Comitem Carcassonensem pertinuit, qui Sæculô XI. eam Ecclesiæ S. Antonini donavit, in quâ postmodùm institutæ fuêre Canonici regulares, qui, ut se adversùs Fuxienses Comites eos sibi subjicere tentantes tuerentur, se Ludovici VIII. Galliæ Regis tutelæ an. 1226. commiserunt, at circà finem Sæculi XIII. Philippus Audax ut et illius Successor Philippus Pulcher jus tutelæ iisdem Comitibus Fuxensibus cessêre.

Annô 1296. Bonifacius Papa VIII. hanc S. Antonini Abbatiam à Diœcesi Tolosanâ avulsam sedem Episcopalem fecit, illiusque ultimum Abbatem Bernardum Saisset-tum |: Saisseti :| Apamiensem Episcopum creavit. Canonici verò Regulares Ecclesiæ hujus possessionem semper, et adhuc usque diem retinuerunt, atque Capitulum Cathedrale constituunt, quod nunquam sæculare factum est.

Rogerius Bernardus Comes Fuxiensis ut novo Episcopo qui querebatur eum sub Advocatiæ sibi à Galliæ Regibus in Ecclesiam suam concessæ titulô jura ipsius violare et usurpare, satisfaceret, eidem tàm quoad Castrum Apamiense, quàm jurisdictionem et dominium Urbis ipsius homagium præstitit. at verò nec sic Episcopo et Capitulo suo Cathedrali satisfactum est, cùmque pertenderent hanc Advocatiæ in suam Ecclesiam à Gallicis Regibus in gratiam Comitum Fuxensium factam cessionem pro irretractabili habendæ alienationem, quò se eo idoneum manibus ponitus poriperent, an. 1308. Philippum Pulchrum Regemque Galliæ ipsius Successores omnium horum jurium tàm quoad jurisdictionem, quàm dominium directum et utile, quæ ipsis in Urbe Apamiensi et ipsius districtu competebant,

Socios dixêre.

Præter Cathedralem Ecclesiam numerantur Apamiæ varia utriusque Sexûs Monasteria, ut Dominicanorum, Carmelitarum, Franciscanorum multiplicium, Augustinianorum; Ursulinarum, Ordinis S. Claræ, et Carmelitarum Monialium, p. Jesuitæ quoque hîc habent Collegium* adstante item Ecclesia Collegiata. Vetus Cathedralis S. Antonini Ecclesia et pleræque aliæ in Sæculi XVI. fluctibus civilibus à Calvinistis devastatæ fuerunt. Urbs ipsa sæpiùs exusta fuit, calamitatêsque, quas exantlata est, eam in adeò miseram redegêre conditionem, ut modò vix quintam Incolarum, quos olim numerabat, ¶ in se contineat, 4000. dum taxat hodiè in eâ recensentur, quamvis ampli admodùm sit ambitûs. Sæculô præteritô Cathedralis Apamiensis Ecclesia multùm afflicta fuit à regiis Ministris præcente Patre de la Chaise Jesuitâ Ludovicæ XIV. à confessionibus ob regaliam seu jus fructus Episcopales sede vacante percipiendi quod Rex in eam, contrà consuetudinem et æquitatem etiam extendere volebat.

* Aiunt decessore et Bona Dominâ exuderunt sebucunt.

¶ partem

Apamia Solum habet fertilissimum. Haud procul ab ipsâ est fons mineralis ~~aqua~~ ferrô et vitriolô impregnatus, podagrâ laborantes eo commodè utuntur, viscerumque obstructionibus medetur.

3ô Mirapicum, Mirapica, Mirapisca, Mirapicium, Mirapica, Mirapicenum, et Mirapicis Castrum |: Miropoix, seu Mirapix :| Urbs posita ad ripam Lertii |: Lers :| fluvii, sex leucis versùs Eurum-Aquilonem à Fuxô, et 18. ad Euronotum à Tolosâ.

Exeunte Sæculô XIII. optimis instructa munitionibus Albigensibus Hæreticis armorum Sedes erat. Eam obsedêre Cruciferi, atque Comiti Fuxensi, cujus erat, ereptam Guidoni de Levi primario Castrorum Suorum Præfecto, seu, ut vulgò ajunt, Marescallo tradidêrunt possidendam, penes quem et ejus Successores permansit, ac subindè Marchionatus titulô donata est. Anno 1390. Rogerius Bernardus de Levi dimidiam jurisdictionis Mirapicensis partem et quorundam aliorum Locorum Regi Franciæ cessit receptis vicissim quibusdam aliis dominiis.

Mirapicum prius parochia duntaxat erat Diœcesis Tolosanæ, cùm Joannes Papa XXII. eam Sedem Episcopalem fecit atque Tolosanæ, quam Metropolim dixit, subjectam voluit. Jacobus Fournerius |: Fournier seu du Four :| an. 1334. ex Episcopô Mirapicensi ad Summum Pontificatum evectus est, atque Benedictus XII. nuncupatus, quatuor alii hujus Civitatis Episcopi Cardinalitiam dignitatem adepti sunt.

Solum ejus omnis generis victualia, et animalia profert, foris tamen exigua admodùm eorum negotiatio exercetur, major est pectinum et Buxi, qui in Hispaniam et Italiam

deferuntur. In hujus Civitatis districtu adsunt etiam Succini nigri latomiæ.

§. III. 130.

De Comitatu seu Pagô Carcassonensi.

Comitatus seu Pagus Carcassonensis, seu Carcassensis, vel etiam Carcassessium |: Le Carcassonois, seu Carcassois, et le Comté de Carcasson:| ad Euro-Aquilonem confinis est Comitatui Fuxensi. In eo exiles planities montibus et collibus intersecantur et distinguuntur, atque Olivæ videri incipiunt. occurrit

Carcasso |: Carcassone:| Urbs Caput Comitatûs ejusdem secum nominis, et à quo circumdatur, posita est ad Ataxem |Aude:| fluvium, qui illam perfluit, 12. leucis à Narbonâ versùs occidentem, et 19. à Tolosâ versùs Euronotum, necnon 15. à Fuxô versùs Euro-Aquilonem. Vetustissima est: Plinius lib. 3. c. 6. Ptolomæus lib. 2. c. 10. et Procopius* illius meminêre, prior illam Carcasum nominat, alter Carcasonem, et Procopius Carcassionem.

Urbs ista, quæ olim quatuor ampla Suburbia, quorum duo muris cincta erant, continebat, sub Volcis Tectosagis Respublica fuit, atque in Romanorum manus, ubi hi Galliam Narbonensem subegerunt, venit; post Gothi eam occupavêre ac Castrum, quod in eâ adhuc visitur, extruxerunt, prout opinio est. Et quia thesauros suos ingentemque prædam Româ, quam Alaricus eorum Rex oppugnaverat, secum allatam in eâ asservabant, Gaza Gothorum dicta est. Visigothi amissâ dein omni vicinâ regione Carcassonam servavêre perperam eos indè exturbare Regibus Francorum conantibus, primumque à Saracenis eis erepta fuit, postquam totam Gothiam seu Languedociam occupassent. At post aliquot annos Carolus Martellus omnes hujus provinciæ urbes præter Narbonam, obtinuit, earumque munimenta solo æquavit; postmodum Pipinus ejus filius etiam Narbonam ~~expugnavit~~ sicque tota hæc provincia Franciæ Regum facta est, qui singulis Urbibus et Tractibus seu Pagis singulos Præfectos dederunt sub titulô Ducum, seu Comitum, vel etiam Vicecomitum et Marchionum. Hi sub Regibus velut Languedociæ Ducibus ac Principibus 150. circiter annis steterunt, videlicet usque ad tempora Caroli Simplicis et Filii ejus Ludovici cognomentô Ultramarini; tùm enim Comites isti ac Vice-Comites, p. Regum suorum imbecillitate velut illecti illorum abjectô Dominiô in sibi commissas Urbes et Pagos summum arripuerunt imperium.

Primus Comes, qui Carcassone absolutô imperiô dominatus est memoratur Arnaldus, qui circà an. 970. superfuit, illudque imperium ad Successores suos transmisit usque ad ~~Rogerium~~ Raymundum Rogerium, qui, cùm sæculô XIII. Albigensium partes amplexus fuisset, à Crucigeris Duce Simone Montfortiô prælians occisus fuit, Urbs capta necnon Mont-

* Procopius Historiographus Cæsareâ oriundus floruit sub Justinianô Imperatore, fuitque celebri Bellidui Belissario à Commentariis, posteà Consul et Prætor Urbis Constantinopolitanæ. Christianus fuerit an Ethnicus non satis perspectum est. Omnia ejus Opera octo libris comprehenduntur, inter quos duo de Persarum, duo de Vandalorum, et quatuor de Gothorum bellis tractant. His nonum addidit sub titulo Anecdotorum, ubi iniquè gesta Justiniani Imperatoris et Theodoræ ejus Uxoris recenset.

fortio tradita, qui eam filio suo Amalarico reliquit. Tandem à Ludovico IX. cognomento Sancto corona Franciæ adjuncta est.

Carcasso bifariam dividitur, in Superiorem scilicet et Inferiorem, Superior Civitas seu Urbs vetus nuncupatur, eamque Atax fluvius ab Inferiore separat, ei Arx munitissima dominatur, in quâ asservantur acta vetera in arborum corticibus et linteo specialibus litteris exarata, quæ à Visigothis post expilatam Urbem Romam indè huc allata dicuntur. Inferior nova est et fermè quadratum efficit, ædes plateis peræquis et planis concinnè sunt intersectæ, ipsæ verò venustæ admodùm.

Hic insigne frequensque exercetur commercium, et pro suâ amplitudine populosa admodùm est Urbs ista, et si rectè loquimur, tota nonnisi unicum videtur esse pannorum Opificium, Incolæ enim fermè omnes iis conficiendis navant operam, undè ipsis haud exiguum obvenit compendium.

Carcasso est Sedes Episcopalis Metropoli Narbonensi subjecta. Erecta dicitur circà an. Chr. 300. SS. Gimer, Hilarius, et Valerius primi in eâ fuerunt Episcopi, et Sergius an. 588. Concilio Toletano interfuit.

131. ~~1189~~

§. IV.

De Comitatu seu Agro Lauriacensi.

Comitatus seu Ager Lauriacensis |: Le Lauraguais :| situs est Ariegam inter et Agennam |: l'Agenne :| fluvios ad orientem Comitatûs Tolosani. Nomen sortitus est à Castrô quodam cui Lauracum seu Lauriacum nomen erat, olim spectabili et Comitatûs capite, modò autem nihil. Ad Comites Carcassonenses pertinuit, deindè ad Comites Barcinonenses.; anno 1179. Alphonsus Rex Arragoniæ et Comes Barcinonensis cum Rogerio Vicecomiti Biterrensi tradidit in feudum; demum ad Ludovicum IX Franciæ Regem pervenit, qui et an. 1258. per solemnem tractatum cessionem jurium quæ Regi Arragoniæ in hunc Comitatum competebant, obtinuit. eum deindè alienavit Ludovicus XI. recuperavit verò Ludovicus XIII.

Bifariam dividitur, in Superiorem scilicet et Inferiorem, Superior Diœcesim S. Papuli |: St. Papoul :| continet, et Inferior Vauranam |: Lavaur :| Superior planitiebus et montibus intermixtus est, Siliginem et Milium abundanter profert; rustici Siliginem vendunt, et Miliô pascuntur. Inferior planior est frumenti et vini ferax. Notatur hic

1º Castellum Arianorum; Castellanium Auracium, item Castellum Arri, seu Castellum novi Arri |: Castelnaudary :| Urbs exigua Comitatûs Caput, quinque leucis ad Laurum à Carcassone, et tredecim versus Euronotum à Tolosâ dissita, et suprà collem posita in cujus pede crater est Regii Canalis ad ejus meridionale latus fluentis.

Urbem hanc celebrem effecit victoria, quam an. 1632. exercitus regius sub Polemarchô Schombergiô de rebellibus sub Gastone Duce Aurelianensi propè ipsam reportavit, ubi Dux Montmorancius acceptô vulnere captus Tolosam deportatus est, atque eodem annô ibidem in forô comitialis Prætorii velut læsæ Majestatis reus capite truncatus.

Adest hîc Ecclesia Collegiata, quæ magnificum habet Chorum; adsunt etiam quædam speciosæ domus. In hac Civitate ortum habuit S. Petrus de Castelnas, quem Albigenses hæretici Martyriô affecêre, ejus memoriam Ecclesia Romana celebrat 5. Martii. Solum ejus frumenti feracissimum est, quocum haud vulgare commercium fit.

2°. Fanum S. Papuli, seu Papulum, Papolus, Papulus, et Papolum |: St. Papoul:| Urbs sita ad Lembam |: La Lembe:| rivum, 14. leucis versùs Euronotum à Tolosâ, tribus à Castello Arianorum seu Arri, versùs Orientem; et sex à Carcassone versùs Caurum. Olim Cœnobium erat unà cum Oppidulô et Arce. In antiquis monumentis sæpenumerò Monasterium S. Pauli nominatur, undè suspicio esse posset id vetus illius fuisse nomen, [illegible] veterum horum documentorum unum habet Monasterium S. Pauli seu S. Papuli. Nomen habet à S. Papulô Martyre S. Sernini Sociô. Anno 1317. Joannes Papa XXII. hanc S. Papuli Abbatiam Sedem Episcopalem fecit, ac Metropoli Tolosanæ subjecit, primúmque illius Episcopum Bernardum de Turre |: de la Tour:| qui tunc ibidem Abbas erat, constituit. Septem illius Successores etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerunt. Capitulum cathedrale duodecim Monachi Benedictini constituunt.

3°. Vaurum, Vaurium, seu Castrum Vauri |: Lavaur, scribi juxtà latinum nomen deberet La Vaur:| Urbs sita in confinibus Albigensis Tractûs ad Acutum seu Agostium vel Agustium |: L'Agout:| flumen, octo leucis versùs Africum ab Albiâ seu Albigâ |: Alby:| et totidem à Tolosâ versùs Euro-Aquilonem. Olim nonnisi Oppidum erat unà cùm amplâ Arce, atque primùm ante aliquot sæcula muris circumductis Urbs evasit. Præcipua Albigensium hæreticorum Sedes fuit; undè Patres Concilii, quod an. 1212. seu 1213. Epistolâ ad Innocentium Papam III. Urbem hanc Sedem Sathanæ atque erroris hæretici Primatiam nuncupant.

Vaurum hodie Sedes est Episcopi sub Archiepiscopô Tolosanô an. 1316. à Joanne Papâ XXII. creati. Ecclesia Cathedralis S. Alario dicata est.

§. V.

De Tractu Albigensi.

Tractus Albigensis |: L'Albigeois:| limites habet

132.

versùs Septentrionem et Orientem Ruthenos |: le Rovergue :| versùs Meridiem Agrum Lauriacensem et Pontiopolim |: St. Pons :| et versùs Occidentem Pagum Carducinum |: le Quercy :| et Agrum Tolosanum. Undecim leucis longus est, et octo latus. Olim Sedes fuit populorum, qui in Notitiis Imperii et antiquis Inscriptionibus apud Golzium Cataphractarii Albigenses nuncupantur; alibi etiam Albienses dicuntur: quodnam autem vetustius illorum fuerit nomen ignoratur, quòd nec Plinius nec Ptolomæus nec Strabo Albigensium seu Albiensium meminerint; primúmque initio Sæculi V. nomen hoc proditum fuerit, ubi nempè Visigothi Tractum hunc occupaverunt, quem usque ad Alarici ipsorum Regis interitum possederunt; tùm enim in Clodovæi Francorum Regis potestatem devenit, qui et eum posteris suis reliquit, cui Comites præfecerunt, donec Eudes Aquitaniæ Dux illum occupavit, at subinde Pipinus Franciæ Rex Gaifredo Eudis nepoti eundem eripuit, à quo ad Carolum Magnum pervenit, ejusque posteros post ipsum.

Huic tùm Comitatui quandoque Comites Tolosani, quandoque alii Regum nomine præfuerunt. Sub Rege Lothariô Ludovici IV. cognomentô Ultramarini filiô Raymundus Tolosæ Comes Albigensi Tractui dominatus fuisse perhibetur; post medium Sæculi XI. verò ad Vice-Comites Carcassonenses Arragoniæ Regis Clientes fiduciarios seu Vasallos pervenit, qui eum tenuerunt usque ad tempora belli quod adversùs Albigenses hæreticos, proindè et contrà hos Vice-Comites, ut qui Albigensibus adhærerent, per Crucigeros Duce Simone Montfortiô gestum est; tum enim ditionibus suis exturbati fuerunt, easque idem Dux Montfortius occupavit, et filio suo Amalarico reliquit; hic an. 1226. easdem unà cum Tractu Albigensi Ludovico VIII. cessit. anno dein 1258. Rex Arragoniæ summum, quod ipsi tanquam Barcinonensi Comiti in eundem Tractum Albigensem competebat, ¶ per solemnem conventionem Ludovico Sancto tradidit, sicque coronæ Francicæ plenè adjectus est. Illius tamen dominium utile nunc obtinet Archiepiscopus Albigensis, quod priùs ad Archiepiscopum Bituricensem pertinebat.

¶ imperium

Regio hæc cocci, frumenti, vini, aliarumque rerum ferax admodùm est; pascua etiam habet, animaliáque profert, quæ nobis lanam suam impertiunt; in eáque viget commercium prunorum siccorum, panni bombycini crispati |: Crepon :| lanâ rudiori contexti, item crispati |: Burat, Bayettes :| et vini Gaillacensis |: Gaillac :| quod totius regionis unicum est, quod transferri se patitur; Burdegalam vehitur, ubi Angli illud emunt. Hæc minimè obstant, quin Tractus iste omnium cæterorum Occitaniæ Tractuum pauperrimus sit. Notatur hic

1º Albiga et Albia |: Albi seu Alby:| Urbs Caput totius Tractûs posita suprà collem, cujus pedem alluit Tarnis |: Le Tarne:| fluvius duodecim leucis versùs Africum à Segoduno |: Rhodez:| quindecim à Tolosâ versùs Euro-aquilonem. mediâ sui parte Speciosum ambulacrum duabus arborum seriebus ad utrumque latus ornatum ipsi valli locô est, alterâ verò Tarni fluvio cingitur.

Illius nomen primum Saeculi V. monumenta prodidêre. In antiquis Galliae provinciarum et urbium Notitiis Albigensium et Albiensium Civitas nuncupatur, quod indicio est eam indiscriminatim Albigam et Albiam, ac etiam interdùm Albigem dictam fuisse. Castrum vetus |: Chateau Vieux:| Urbs exigua ipsi versùs Galliacum et Montem Albanum locô Suburbii est.

Est Sedes Archiepiscopalis ab an. 1676. cùm priùs nonnisi Sedes Episcopalis esset Metropoli Bituricensi subjecta. Capitulum Cathedrale Regulam S. Augustini quondam sectabatur, at Bonifacius Papa VIII. 29. Septemb. an. 1297. illud ad Statum Saecularem traduxit. Ecclesia Cathedralis S. Caeciliae dicata est, cujus chori magnificentia multùm celebratur. In eâ in thecâ argenteâ exquisitè elaboratâ reconditae asservantur reliquiae S. Clarii primi hujus Urbis Episcopi necnon Albigensium Apostoli. Occurrunt etiam in hac Civitate inter alia Dominicanorum Monasterium, ut et Monialium Salesianarum seu Visitationis B. V. Mariae, &c.

Albigae an. 1176. celebratum fuit Concilium, in quo Albigenses Haeretici damnati fuêre, interfuit Giraldus seu Gerardus hujus Urbis Episcopus. Item an. 1254. aliud hic etiam habitum fuit.

2º Castra |: Castres:| Urbs posita ad Agostium |: Agout:| fluvium, à quo in duas partes dividitur, inter Albigam, à qua sex leucis versùs Austrum distat, et Carcassonem, à qua decem leucis dissita est versùs Boream. Aliàs etiam à Scriptoribus Gallicis Castrae, Castrum Albigensium, et Villa Castrensis dicta est. Ortum suum acceptum refert Abbatiae seu Monasterio Benedictino, quod quidam à Carolô Magnô fundatum asserunt: alii verò contendunt jam an. 647. Monachos Benedictinos hoc locô castra fuisse metatos, undè et locus ipse Castra dictus fuerit. Quidquid hac de re sit, certum tamen est Monasterium hoc Castrense antiquum esse urbémque sub finem Saeculi XII. jam spectabilem fuisse. Abbates Castrenses fundatores et unici hujus Urbis Domini fuêre: at exorto adversùs Albigenses Haereticos bellô Cives ultrò se Simoni Montfortio Cruciferorum Belliduci subjecerunt, penesque eum et ipsius Successores Civitas haec permansit usque ad Jacobum Comitem, qui an. 1477. sententiâ Supremi Senatûs seu Parlamenti morte damnatus fuit, ejusque bona omnia fiscô addicta. Annô sequenti Ludovicus XI. Civi-

tatem et Comitatum Castrensem Bofido de Judice /: Bofido
del Giudice :/ viro Neapolitano et Bellidunei suo in Comitatu
Ruminonensi donavit; eo vitâ functo decreto Parlamenti
sub Francisco I. an. 1519. emanato hæc ditio mâ cum Urbe
4 Corone demùm adjuncta est, exclusâ etiam Ludovicâ ipsius filiâ
unicâ et hærede /: neenon Senescalla Carcassonensi subjecta.

Hujus Urbis dum ea cæptis tumultibus Catholicos inter et
Hugonotos, [redacted] mortuo Henrico II. Calvinismum amplexi
sunt, an. 1567. omnes Catholicas Ecclesias funditùs everterunt,
urbémque munitionibus firmatâ Reipublicæ aujusdam
speciem inexerunt. At an. 1629. debellatis à Ludovico
XIII. Calvinistis, eidem se dedere, urbémque munimentis nu-
dare adacti fuerunt.

Annò 1317. Monasterium Castrense Sedes Episcopalis factum
est à Joanne Papa XXII. sub Metropoli Bituricensi, à quâ
an. 1676. avulsa fuit, et Albigensi subjecta. Monachi
Benedictini Capitulum Cathedrale constituerunt, quos Paulus
Papa III. an. 1535. sub Francisco I. ad Sæculares traduxit, hi-
que ex Monachis facti sunt Canonici.

Commercium in hac Urbe et Diœcesi consistit in pecoribus,
et variis exilibus textilibus, &c.

Hinc â natus est Andreas Dacier, qui 6. april. 1651. paren-
tibus Calvinianis ortus an. 1688. Catholicismum professus est
veterum Scriptorum, quos notis illustravit, versionibus celebris;
interioris Lyparæ comitatus Bibliothecæ præfectus, obiit 18. Sept.
an. 1722. Ejus quoque uxor variis editis Operibus sibi apud
eruditos nomen peperit.

133. 1.

De Territoriis in Languedociâ Inferiori contentis.

Territoria ~~ex Diœcesis~~ Languedociæ seu Aquitaniæ In-
ferioris quinque præcipuè numerantur. Ea sequentibus
§§. explicamus.

§. 1.

De Territorio Narbonensi.

Per Territorium Narbonense seu Tractum Narbonensem
minimè hîc intelligi volumus illam Galliæ partem, quam
Romani Provinciam Narbonensem dixerunt, quæque
omnes illas Galliæ regiones complectebatur, quæ à Pyre-
næis montibus seu ab Hispaniæ finibus ad Alpes seu Itali-
am usque protendebantur, nempe inter Mare Mediterra-
neum, montem Cemmenium, Rhodanum, et Lacum
Lemannum continebantur; sed exiguum duntaxat Trac-
tum ad Mare Mediterraneum collocatum.

Tractus iste frumenti fertilissimus est, quod aliarum
Galliæ provinciarum frumento præstantius dicitur, et
ad Serentem exquiritur. Vinum in exiguâ profert
quantitate, in majori verò et copiosâ olenum hîc premitur.

adunt etiam Salina, quarum Sal in Superiori Languedociâ distrahitur. Fluvii etiam permultos astacos reddunt. Notatur hîc

1°. Narbo seu Narbona |: Narbonne :| Urbs posita ad Canalem è fluvio Atace |: Aude :| eductum duabus à Mari leucis propè Lacum, quem Plinius et Mela Rubresum seu Rubrensem nuncupant, Galli verò suâ linguâ l'Estang de la Rubine; quique antiquitùs portum efformabat, ad quem navigia appellebantur, et quo mediante Narbonensibus ad omnes provincias juxta Mare Mediterraneum collocatas Ægyptum usque ingens erat commercium, quod, præter alios quamplures testatur Sulpitius Severus, qui sub Imperatoribus Valentiniano II. Theodosio, et Honorio floruit: at Portum hunc jam à pluribus sæculis Mare à littore suo recedens obstruxit, neque ob aquæ penuriam amplius huc appelli valent naves.

Narbo nomen suum impertivit Provinciæ seu Galliæ Narbonensi, cujus Metropolis erat, et quæ postmodùm in Narbonensem primam, Narbonensem Secundam, Viennensem, Alpes Grajas, et Alpes Maritimas distributa fuit. Nomen etiam dedit parti Maris Mediterranei, quæ provinciæ Narbonensis littora adiit, et quam Strabo lib. 4. Mare Narbonense, alii verò Mare Narbonicum dicunt.

Narbo vetustissima fuit in Galliâ Transalpinâ Romanorum Colonia an. U.C. 636. sub Consulatu Portii et Marcii à Rhetore Licinio Crasso fundata, qui hunc allegata Colonia Dux fuit. Ab ipso Narbo Martius, et Decumanorum Colonia dicta est, quòd in eâ Veteranos Decimæ Legionis, ~~militantes~~ quæ Martia vocabatur, milites constituerit. Romani eam adhuc variis nominibus insignivêrunt, ut sunt Civitas Atacinorum ab Atace fluvio ad cujus ripam ædificata erat, item Julia Paterna Narbo, &c.

Urbs hæc aliquandiu non modò Spectatissima, sed et Romani Imperii adversùs vicinas nationes, quæ nondùm subjugatæ fuerant, propugnaculum fuit; id memorat Cicero Orat. pro Fronteio, in quâ Narbonensem hanc Coloniam Speculam populi Romani ac propugnaculum istis ipsis Nationibus oppositum et objectum vocat. Pomponius Mela, qui sub Claudio Imperatore vixit, lib. ii. c. 5. de Narbone loquitur tanquàm de Coloniâ omnium celeberrimâ, Sed ante stat, inquit, omnes Atacinorum Decumanorumque Colonia, undè olim his terris auxilium fuit, nunc et homeni et Deus est Martius Narbo. Ea qua habetur, quòd Narbo

non tantùm Decumanorum Colonia fuerit, sed et Atacinorum, ab Atace |: Aude :| fluviô, ad cujus ripam, ut jam diximus, ipsa collocata erat, quare et Narbonenses Atacini fuêre nuncupati; at posteriùs hujus fluvii cursus aliò derivatus est.

Sidonius in poëmate, cui Narbo titulus, variis encomiis urbem hanc prosequitur, atque inter alia ait eam celebrem esse nuvis, civibus, ambitu, tabernis, portis, porticibus, foro, theatro, lelubris, capitoliis, monetis, thermis, arcubus, horreis, macellis, pratis, fontibus, insulis, salinis, stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.

Medii ævi Scriptores eam interdum Narbonam vocant, sed malè, nullus enim, præter Ammianum Marcellinum, vetus auctor illam hoc nomine insignit.

Sub primis Romanorum Imperatoribus Urbs ista Vienna ad Rhodanum primatum cedere coacta fuit, at ubi sub Constantino Magno Imperii dignitates et provincia variè distributa ac diversa fuerunt, tùm Narbo sine ullâ contradictione aucta fuit tanquam metropolis totius regionis illius, qua Rhodanum inter et Garumnam continetur necnon Provincia Narbonensis prima dicta est.

Narbo in magnâ apud Romanos opinione fuit, adeò, ut non solùm Crassus, sed etiam Julius Cæsar, Tiberius, et alii in eam trinâ vice novos incolas induxerint, multisque privilegiis ac immunitatibus donârint. Fuit Proconsulum Sedes ordinaria, qui illam Capitolio et Amphitheatro decorârunt, publicos ludos litterarios instituerunt, balnea, aquæductus construxerunt, verbo omnis Romanæ magnificentiæ monumentis eam impleverunt.

Sub finem Imperii Valentiniani III. et medio Sæculi V. Civitas hæc in potestatem Visigothorum redacta fuit, eámque tenuerunt usque ad obitum ultimi Regis sui Roderici, qui in Hispaniâ à Saracenis interemtus fuit; tùm quippè Barbari hi an. 721. superatis cum ingenti exercitu Hyspbros regionis montibus universam Languedoriam Gothis ultrò se dedentibus, occupaverunt, atque Narbone Coloniam Mahumetanam instituerunt, ubique hæc eorum area armorum cis montes fuit. Dum se in eâ adversus Francos tuti sunt, tandem sub Pipino Francorum Rege an. 759. post sex annorum circumsessionem fecêre deditionem. at postmodùm Carolo Magno regnante sub Rege Cordubensi denuò ex Hispaniâ irrumpentes Francis sub Wilhelmo Aquitaniæ et Septimaniæ Duce prælio devictis urbem hanc itera-

tò obtinuerunt, à qua tamen Rebus post annis ejecti fuerunt.

Mediam hujus Civitatis Dominii et redituum partem Pijnus Archiepiscopis i. Dies Idus Dom. dedit, prout liquet ex diplomate à Carolo Calvo anno Regni sui quartò, Indictione Sextâ i. est, an. 843. edito; nihilominus tamen major erat Jurisdictio Comum, qui Regum nomine hîc imperabant, quam Archiepiscoporum, hac ita tenûere donec Stirpe Caroli Magni labascente Duces hi urbis istius, quemadmodùm et alii aliarum Civitatum Præfecti, Supremum arripuêre Dominium, illudque ad suos posteros transmiserunt usque ad tempora Ludovici Sancti, tùm enim ipsius Vasalli facti sunt, demùm Henricus IV. illam hæreditatis titulò Coronæ adjunxit.

Olim Narbone plura extabant vetera ædificia, nempè Capitolium, Circus, Amphitheatrum, &c. verùm hæc omnia diruta fuêre et exusta, atque ex iis nova munimenta ad hanc Urbem cuitatis, quæ dum Hispani Perpiniacò potiebantur, Franciæ propugnaculi locò erat. Eam Canalis in majorem et minorem Civitatem dividit; quatuor portas habet, quarum duæ veteres sunt, et duæ novæ. Antiquo ritu munita est, profundis fossis, fortibus muris, et propugnaculis instructa adeò, ut munitissimis Franciæ Urbibus annumeretur. Caterùm mediocriter magna est ac oblongæ figuræ, plateæ ejus latæ sunt foràque ampla. Domus verò plerumque humiles et ligneæ. Loco depresso et montibus cincto sita est ita, ut, cùm quinque aut sex continuis diebus pluit, aquæ adeò confluant, ut sine submersionis periculo pedem ex eâ efferre nemo valeat: Hinc forte bini Poëtæ galli Bachaumont et Chapede occasionem arripuêre illam hisce versibus perstringendi:

Digne objet de notre courroux
Vieille Ville, toute de fange,
Qui n'es que ruisseaux et qu'égouts,
Pourois tu prétendre de nous
Le moindre vers a ta louange?

Idest: Dignum iracundiæ nostræ objectum, Urbs vetus tota lutosa, quæ nonnisi limi lama et Stercoris fovea es, an vel minimum in tui laudem versum à nobis prætendere posses?

Narbo Proconsulem Sergium Paulum à S. Paulo Apostolo ad fidem Christianam conversum primum Sumum fuisse Antistitem dicit. B. V. Maria, S. Pastor, et S. Justus, qui Complutì in Hispaniâ Martyrii coronam adeptus est, Cathedralis Ecclesiæ Sunt patroni; idius fun-

damenta jacta fuêre sub Clemente Papa IV. qui hîc Archiepiscopus fuerat, et Ludovico Sancto, at Thoro sinto substitit ædificium usque ad an. 1708. tùm enim 17. Junii ad hujus ædificii reliqua manus admota sunt. In eâ sub Marmore jacent ossa Philippi Audacis, qui 3. octobr. an. 1285. Perpiniani ardentiore febri extinctus est.

Archiepiscopatus Narbonensis olim in tota Languedociâ unicus erat. an. 1316. Joannes XXII. Tolosanam, et an. 1676. Innocentius XI. Albigensem Eulerias Metropolitanas fecêre, relicto Narbonensi Archiepiscopo Primatis simul et Comitiorum seu Statuum Occitaniæ Præsidis titulô. Præter Eulesiam Cathedralem multa adhuc alia, et et utriusque sexûs Monasteria Narbone numerantur. Varia etiam in hac urbe celebrata fuêre Concilia, primum an. 257. cætera verò annis 589. 788. 902. 906. 907. 911. 990. 1054. duo. 1050. 1054. 1090. 1134. 1210. 1227. 1235. 1374. 1430. 1551. 1609. et 1667.

Narbone dantur Mercatores opulentissimi et in frumentaria negotiatione expertissimi. Multi quoque panni lanei hîc conficiuntur.

2°. Pontiopolis, seu Pontiopolis Tomeria, et Fanum S. Pontii Tomerianum |: St. Pons de Tomiers :| Urbs exigua in valle montibus marmore divitibus circumdatâ novem leucis à Narbone sita. Nomen S. Pontii à Comite Tolosano, qui Pontius dicebatur, accepit, Tomeria verò à vocabulo græco ΤΟΜΟΣ; quod latinè ferramentum seu instrumentum ferreum, quo aliquid secatur, significat, quòd in ejus tractu Marmora exscindantur. Adest in ea celebre Lanæ Opificium.

Urbs hæc quondam nomisi Monasterium Ordinis S. Benedicti | sub nomine Monasterii Tomeriensis notum, erat an. 936. sub regno Ludovici Ultramarini à Pontio I. Comite Tolosano, qui et Raymundus dictus est, neenon Garsinda Uxore sua fundatum, ut, quod fundationis instrumentum loquitur, possent evadere gehennæ incendii flammas et pœnas, et infernorum claustra. Monachorum sanctitas idud adeò celebre effecit, ut an. 1093. Sanctius Aragoniæ Rex calore S. Spiritûs fervens, prout habent acta, Ramirum filium suum natu tertium et minimum eidem devoverit ac obtulerit eâ devotione et fide, quâ obtulit Abraham filium suum Isaac Deo. Hic est Ramirus ille, qui cum per quatuor annorum spatium ibidem Monachus fuisset, an. 1134. dispensante Anacleto Pontifice Summo, ad sæculum redit, ut fratribus suis Petro et Alphon-

so nullâ post se prole relictâ defunctis in Regno Arragoniæ succederet desponsatâ sibi Agnete Wilhelmi Aquitaniæ Ducis Sorore. ajunt ipsum denuò ad Monasterium suum tandem rediisse ibique sancto fine quievisse.

Anno 1318. Monasterium istud seu Abbatia ad Episcopatus dignitatem evecta fuit à Joanne XXII. Papâ, necnon Metropoli Narbonensi, in et sub cujus Dioecesi fuerat, subjecta. Monachi Capitulum Cathedrale constituerunt usque ad an. 1611. quo à Paulo Papa V. ad Sæculares transducti fuerunt. Ecclesia Cathedralis patronum habet S. Pontium. Episcopus Urbi huic dominatur æquè in temporalibus ac spiritualibus.

§. II. 134.

De Tractu Biterrensi.

Tractus seu Vice-Comitatus Biterrensis (: Le Vicomté de Beziers :) Tractui Narbonensi ad Euro-aquilonem positus solum habet fertilissimum, quod partim montibus partim planitiebus concluditur, optima vina, plurimum olei, longéque majorem, quàm Incolæ ad victum indigeant, frumenti copiam profert. Adsunt etiam marmoris, carbonum bituminosorum, et gummi, ex quo bitumen conficitur ad naves illiniendas, latomiæ: item fons, è quo prodit oleum aquæ supernatans, quod curandis vulneribus utiliter adhibetur, atque ad multa alia prodest, præcipuè autem equis salutare esse dignoscitur; non procul ab hoc fonte alius scaturit mineralis arthritidi medendæ aptissimus. Exiguus quoque in eo est sex oppidulorum Tractus, quem nonnisi fabri clavarii incolunt. Egregia etiam hîc conficiuntur subserica textilia, quæ in Germaniam usque deportantur. Notatur in eo

Biterræ, seu Bliterræ, item Beterræ et Boeterræ (: Beziers :) Caput Tractûs, cui et nomen impertitur, Urbs ampla et venusta; nec juntâ suam amplitudinem satis populosa, ut quæ nonnisi 3639. familias numeret. Latas longásque habet plateas, fora quoque et ædificia ejus videri merentur. Olim Arce protegebatur, quæ an. 1633. solo æquata est. Posita est suprà eodem, cujus pedem Orbis (: Orbe :) fluvius alluit, tribus leucis à Mari versùs Boream, quinque à Narbonâ versùs Euro-aquilonem, et quatuor ab Agatha versùs Favonium, ponte lapideo super orbem seu Obriam (: Orbe :) strato ad eam transitur.

Vetustissima est Colonia, quæ post Narbonensem constituta fuit necnon à Romanis Veteranis Septimæ Legionis militibus assignata, undè et interdùm

Colonia Septimaniorum vocatur. Quis eam ædificaverit incertum est; ex antiquis Inscriptionibus liquet jam Romanorum ætate illam fuisse spectabilem, atque sub Julio Cæsare Coloniam evasisse, Tiberiumque eandem denuò erexisse atque bina in Augusti et Juliæ honorem Templa ibidem ædificasse: tum majora sensim incrementa cepit, necnon Sæculo IV. apprimè floruit. Enciso dein in Galliis Romanorum Imperio iisdem, ac reliquæ Languedociæ Urbes, vicissitudinibus subjecta fuit; atque primitùs Visigothis paruit, post Saracenis ex Hispania huc adductis: an. 737. Franci Duce Carolo Martello eam occupârunt et solo æquârunt; postmodùm Visigothi sub Saracenis identidem in illâ denuò resederunt, at an. 752. Pipinus Caroli Martelli filius ~~[illegible]~~ eos indè dejecit: labascente dein Sæculo X. Stirpe Carlovingâ ad Vice-Comites pervenit, qui post Comitum Barcinonensium, ad quos Arragoniæ Regnum devolutum est, Vasalli facti fuêre; denùm post bellum Albigense Ludovicus IX. Franciæ Rex cognomento Sanctus, eadem ratione, quâ cæteras Languedociæ, quas alibi memoravimus, Urbes, illam coronæ adjunxit, penes quam et hactenus permansit.

Habet Episcopum Archiepiscopi Narbonensis Suffraganeum. S. Aphrodisius creditur primus illius fuisse Episcopus. Agristius ipsius Successorum unus an. 314. Concilio I. Arelatensi interfuisse memoratur. an. 1145. Wilhelmus hujus Urbis Episcopus immitem consuetudinem, qua Incolis Christianis jus erat Judæos, quos à Sabbato ante Dominicam Palmarum usque ad feriam Secundam post Dominicam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi fortè obviam habuissent, validis alapis et verberibus salutandi, abrogavit Judæis ingentem pecuniarum vim Ecclesiæ Cathedrali ad id pendentibus.

Præter Ecclesiam Cathedralem, Bitterris adhuc aliæ sunt Ecclesiæ et Monasteria. Jesuitæ hîc etiam habent Collegium ab ipsismet Civibus an. 1599. fundatum*. Adest quoque Ecclesia Collegiata S. Aphrodisii olim Monasterium Benedictinum Juncellum /: Juncels:/ dictum, sed jam à pluribus Sæculis ad Statum Sæcularem transductum.

* Modò ab ipsis tota Gallia exclusis desertum est.

An. 356. Ariani, quorum Caput erat Saturninus Arelatensis Antistes, Synodum hîc egerunt, de qua præter ea, quæ Hilarius horum hæreticorum impugnator acerrimus refert, nihil compertum nobis est. An. 1233. hîc etiam Concilium habitum est à Walthero Tornacensi Episcopo necnon Summæ Sedis Legato adversùs Albigenses; et an. 1246. eadem de causa aliud, cujus Acta 37. capitibus continentur.

Urbs hæc solum habet adeò jucundum et amoenum, ut nullibi per universam Franciam eidem simile ~~[illegible]~~ reperire sit; hinc situs ejus occasio fuit sequentis versûs:
Si Deus in terris vellet habitare, Biterris adde, habitare vellet.
cui quidam, apud quem fortè Incolæ malè audierunt, subjunxit: Ut iterùm crucifigeretur.
In intestino Religionis bello multa adversa Civitas hæc sustinuit. Est patria Pauli Riquet celebris Canalis Languedociæ Redemtoris.

§. III. 135.

De Tractu seu Dioecesi Agathensi.

Tractus seu Dioecesis et Vice-Comitatus Agathensis |: Le Diocese seu Vicomté d'Agadez :| est exigui ambitûs: ad Mare Mideterraneum positum famosus Languedociæ Canalis perfluit; omniumque Franciæ Tractuum vix non opulentissimus est; lanam optimam, vinum, frumentum, oleum, sericum, &c. profert.
Vice-Comites ei imperârunt, ab his circa an. 1187. titulo donationis Episcoporum Agathensium factus est sub clientela Comitum Tolosanorum, quibus in hunc et alios occitaniæ tractus altum competebat dominium: denùm ubi hic et alii Tractus Coronæ Francicæ per Ludovicum Sanctum adjuncti fuêre, tùm et Episcopi sub titulo Comitum Agathensium illius subditi fuerunt. In eo notantur
1º Agatha seu Agathopolis |: Agde :| Urbs quidem exigua sed admodùm populosa, ad ripam Eravi |: Erant :| fluvii sita mediâ leucâ ab eo loco, ubi fluvius hic sinui Lugdunensi immergitur, posita septem leucis à Narbone, et quatuor à Biterris versùs Orientem, duodecim à Monte Pessulano versùs Africum.
Veterum Massiliensium Colonia fuit. Demosthenes*, teste Stephano Byzantino**, eam Αγαθὴ Τυχὴ, quod latinè idem est ac bona fortuna, vocat; ex horum binorum Græcorum vocabulorum primo latinis Agatha dicta est, undè Francigenæ Agde effinxerunt. Ædes ejus omnes ex nigris lapidibus constructæ sunt, undè, si quibusdam recentioris ævi Scriptoribus fides, etiam Civitas nigra fuit nuncupata. Juxta Evarum protenditur, qui exiguum portum efformat, ad quem tamen nonnisi scaphæ appelli valent; ad illius ostium exile propugnaculum extat quod ejus aditum tuetur. Plerique illius cives vel Mercatores sunt vel Remiges seu Nautici. Antiquis Scriptoribus, si Demosthenem à Stephano

* Demosthenes Historicus Bithyniâ oriundus, ætate Alexandri Magni floruisse dicitur. opus de Bithynia edidit, cujus Stephanus Byzantinus 9. 10. et 12. libros citat, item de ortu Urbium Tractatum.

** Stephanus Geographus aliàs Byzantinus Celebris Grammaticus

floruit, prout conjectura est, ætate Anastasii Imperatoris sub finem Sæculi V. Scripsit græcè Dictionarium Geographicum, quo nomina urbium, regionum, et populorum ordine alphabetico continentur: Stephanus Grammaticus Constantinopolitanus, qui sub Justiniano Imperatore vixit, illud malè in Epitomen redegit, qua ipsum Originale deperditum fuit, ipsa verò nec integra ad nos pervenit, ejus tamen frequens est apud Scriptores usus.

Byzantino adductum cupias, ignota fiunt.

Est Sedes Episcopalis Metropoli Narbonensi Subjecta. De illius Episcopis primùm initio Sæculi VI. mentio fieri cœpit scilicet an. 506. quo Sophronius primus, cujus authentica vetera monumenta meminêre, hujus Civitatis Antistes Orthodoxorum Concilio sub Alarico Rege Ariano hîc celebrato interfuit.

Anno 1710. Foederati Setina facta excursione indè hùc adventantes Urbem hanc occupavere, at acceptis, quas civibus et vicinis populis imperaverant, pecuniis, sustentoque Granigenarum inde eos exturbantium impetu desideratisque suorum trecentis hominibus præda onusti naves suas repetiêrunt.

2da. Setina, Setius mons, item Ruderium |: Sete, Set, Cette, Cap de Sette :| Promontorium Sigium dictum una arce et portu, qui Silonis portus, et S. Ludovici nunc patet, Montem Pessulanum inter et Agatham. Ad hunc portum nonnisi trieres et Cymba possunt appelli.

Hîc famosus Setina seu Languedocia Canalis, qui Tolosa in Garumnam influit, sumit initium.

Anno 1710. 23. Augusti ad hunc portum, quod primùm vetulimus, Classis Anglo-Batava inopinato appulit, et, post mordicam eámque debilem Granigenarum defensionem, Arcem, indèque ulterius progressi Foederati Agatham expugnavêrunt, &c.

136. 2274.

§. IV.

De Territorio seu Diœcesi Lutevensi.

Territorium seu Diœcesis Lutevensis |: Le Diocese de Lodeve :| posita est sub monte Cemmenio |: Montagnes de Sevennes seu Cevennes :| et in confiniis Agri Ruthenii. Solum habet aridum et sterile, quod via ad hujus Incolarum sustentationem sufficiens frumentum profert; nihilominùs pannorum ac pileorum frequentia Opificia Tractum hunc efficiunt opulentissimum. ~~Praeter Nature, Castrum, Castrum, Lacus, Lauda, Laudensis Civitas et Forum Neronis |: Lodeve :| Hodie~~

Ei olim Summo imperio præfuerunt Vice-Comites; ab his idem Dominium ad Episcopos pervenit, qui proindè toti suæ Diœcesi in temporalibus æque ac in Spiritualibus Legali jure dominati sunt ex concessione Ludovici VIII. Franciæ Regis an. 1160. factâ, quam subinde confirmavit Philippus Pulcher addità facultate cudendi monetam, turres et propugnacula erigendi, jusque in criminalibus et civilibus causis dicendi; qui-

bus juribus etiamnum adhuc hodie gaudent Lutevenses Episcopi, si facultas cudendæ monetæ excipiatur. Hic notatur Luteva, Leuteva, Leoteva, Laus, Lauda, Laudensis Civitas, et Forum Neronis |: Lodeve :| Urbs posita in pede Montis Cemmenii ad ripam Lergæ |: la Lergue :| fluvii 17. leucis à Narbone, 9. ab Agatha et Biterris ad Boream, 15. à Nemauso versùs favonium. Vetustissima est, ejusque Incolæ Lutevani et Foroneronienses à Plinio lib. 3. c. 4. nuncupantur.

Idius Episcopus est Suffraganeus Archiepiscopi Narbonensis, eique et toti suæ Dioecesi in utroque foro dominatur, quod primùm annotavimus. Si verum esset S. Florum unum ex 72. Christi Discipulis primum hujus Urbis Antistitem fuisse, tunc nullus antiquior Episcopatus totâ Franciâ occurreret; certæ proditum est memoriæ Maternum idius Episcopum an. 506. Concilio Agathensi subscripsisse.

Anno 1573. Hugonotti hanc Urbem occupavêre, atque corpus S. Fulcrani idius quondam Episcopi et 13. februarii an. 1006. defuncti, quod hactenus incorruptum permanserat, per plateas et compita tractum igne cremarunt: illius una manus et quædam adhuc reliquiæ, quibus flamma pepercit, in Cathedrali Ecclesia asservantur. Adest hic inter alia Monasterium Benedictinum, quod S. Salvatoris Lutevensis dicitur, ab eodem S. Fulcranô an. 980. fundatum.

§. V. 137.

De Tractu seu Dioecesi Monspeliensi.

Tractus hic seu Dioecesis haud procul à Mari Mediterraneo sita est et cinà lacum Taurum |: Thau :| Solum habet mediocre, vinetis tamen et oleis contectum. Frumentum etiam profert, cirià quod id peculiare est, quòd non in areis, prout fit in Germaniâ, sed foris ante domos sub aperto coelo trituretur. Hic etiam Scorpiones reperiuntur. Occurrit 1ò Monspessulus seu pessulanus, item Monspelerius, et Monspelium |: Montpellier seu Monpellier :| Urbs post Tolosam totius Occitaniæ præcipua, posita super collem cujus pedem alluit Ledum |: Lez :| fluvius. 2. leucis à Mari, 11. à Nemauso ad Africum, 19. à Narbone ad Euro-aquilonem, 14. ab Arelate et 22. ab Arausione ad Africum. Joci gratiâ Paradisus Mahometis vocatur, quia hic præ aliis Franciæ, imò totius Europæ Urbibus Sexus muliebris

formosus, ingeniosus, sagax, et loquax est. Antiqua non est, nec ultrà Sæculum VIII. ætatem suam porrigit, atque suam originem universali Magalonæ |: Maguelonæ :| excidio, quod ei an. 737. Carolus Martellus Francorum Dux et Princeps intulit, debet. Tum cives unà et ipsorum Episcopus Substantionem |: Substantion :| q at cum insalubris aër ipsis incomodo esse inciperet, plerique in montem vicinum secesserunt, atque Urbem ædificare aggressi sunt, ad id, ut fertur, permoti duarum Virginum Sanctitate, qui ibidem vitam ducebant eremiticam. ~~Sunt, qui paulò aliter rem narrant~~ Undè Urbs ipsa Mons puellarum dicta fuit; ex ~~Sunt~~ quo nomine Monspessulus seu pessulanus effictus est. Sunt, qui paulò aliter rem narrant, nempè Montempessulanum initio pagum duntaxat fuisse à pia quadam Matronâ S. Florandi Lutevensis Episcopi sorore Rituino Magelonensi Episcopo donatum. Sedes Episcopalis Metropoli Narbonensi subjecta Substantione trecentorum circiter annorum spatiò remansit et donec an. 1060. Episcopus Arnaldus Magelonam Urbem denuò ædificari curavit, tùm enim eandem in illa iterum collocavit; at an. 1536. ad instantiam Francisci I. Franciæ Regis, et quia propter Mauritanorum et Saracenorum piratarum grassationes et incursus Urbs hæc haud ampliùs inhabitari posset, Paulus Papa III. eandem Monspelium transtulit, sinúlque Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, quod hactenus Regulare fuerat et Ordinis S. Augustini ad Statum Sæcularem tradunit.*

q se receperunt;

Monspessulanus inter pulcherrimas Regni Franciæ Civitates reputatur, quamvis satis inconcinnè trajecta sit, situmque habeat inæquabilem; Septem sunt ejus portæ, necnon quamplures Ecclesiæ et Monasteria, ædes exteriùs splendidæ haud sunt, interiùs verò magnificæ.

Adest etiam celebris Universitas an. 1196. ab Urbano Papa V. fundata, in qua Jesuitæ Theologiam docuerunt, floretque præcipuè Facultas Medica: hic Medicinam docuisse memorantur Avicenna et Averroës Medici Arabes, item Saraceni à Gothis Hispaniâ pulsi. Inter hujus Facultatis Professores emicuit Franciscus Rabelais,** cujus memoriâ ibidem in tanto adhuc honore habetur, ut quilibet ad Doctoratum promovendus illius pileum et vestem licet satis laceram septies induere debeat: peculiare etiam est, quòd novis Medicinæ Doctoribus acclamari soleat, Vade et occide Caïn.

Viget hic quoque Academia Scientiarum Decreto

* Nec Magalona nec Substantio Urbes ampliùs extant, prior posita erat ad meridiem Montispessulani in insula seu peninsula Lacûs, qui ipsius nomine Magalo dicitur, et cui Lacus Taurus |: Thau :| occidentalis est. Substantio autem situm habebat 1000. circiter passibus ab eo loco, ubi nunc est via Regia, et totidem à Montempessulano; centum abhinc annis illius rudera quæ-

Regis an. 1706. erecta necnon Parisiensi Sociata.

Saeculo XVI. Hugonoti sub Regno Henrici III. Urbem hanc occupaverunt, in eáque quamdam Reipublicæ speciem instituerunt, quæ usque ad an. 1622. perduravit; tùm enim Ludovico XIII. post longam cruentámque obsidionem se subjecit, is in ea munimentum extruxit, quod civibus frenum esset, atque Civitatem tueretur.

Varia hîc celebrata memorantur Concilia I. an. 1162. ab Alexandro Papa III. ubi Antipapa Victor III. anathemate perculsus est. II. an. 1195. à Michaële Legato Papæ, in quo actum est de quibusdam Disciplinæ Capitibus, &c. III. an. 1214, vel, ut alii volunt, an. 1215. cui interfuêre quinque Archiepiscopi, viginti octo Episcopi unà cum pluribus Abbatibus et Baronibus; in eo Simon Montfortius immissus est in bona et ditiones Comitis Tolosani, qui Albigensium partes sustinuerat, quos Montfortius totis viribus insectabatur. IV. an. 1224. vel 1225. ubi iterùm actum est de Albigensibus, et de Comite Tolosano Raymundo, qui novâ juramenti formulâ ad spondendam Summæ Sedi obedientiam adactus fuit. His Conciliis aliqui adnumerant illud, quod an. 894. Juncariæ |: Juncaire :| exiguâ Diœcesis Monspeliensis urbe ab Armusto Archiepiscopo Narbonensi celebratum fuit.

Monspelii in Monasterio S. Pauli baculus S. Rochi variis nodis, quorum unus caput angeli refert, distinctus et utrinque præpilatus asservatur; ejus longitudo est quinque pedum circiter, color verò subniger, et pondus trium librarum. Sanctus hic vir Monspelii natus et mortuus est. Occurrit etiam exiguus lacus propè Conventum Fratrum Minorum S. Francisci, in quo, ut ajunt, ope S. Antonii de Padua ranis perpetuum impositum est silentium.

In hac Civitate multarum rerum negotiatio frequentissima est, ut floris Æris |: verd de gris, Grünspan :| qui nullibi nisi hîc et in quibusdam vicinis pagis conficitur; telæ Gossypiæ, Lanæ, Stragulorum laneorum, ceræ candefactæ, corii, vini, Spiritûs vini, et variorum aliorum liquorum.

Quamprimùm quis Monspelii diversorium ingreditur se illi sistunt virgines albis indutæ vestibus, atque ab illo pro pauperibus in Nosocomio degentibus stipem efflagitant.

2º Frontinianum |: Frontignan :| Urbs exigua ad lacum Magalonem Agatham inter et Montem pessulanum 6. leucis ab illa ad Euro-Aquilone-Mesem, et 7. ab isto ad Africum posita. Nonnullis videtur esse Forum Domitii Veterum in Galliâ Narbonensi. Idam

dam adhuc supererant.

** Franciscus Rabelais, in quadam villâ propè Cainonem |: Chinon :| in Turoniâ |: Touraine :| natus, primùm FF. Minorum S. Francisci, deinde per dispensationem Clementis Papæ VII. S. Benedicti Ordini adscriptus fuit. tandem depositò cucullô Monspelii Medicinæ studuit, in qua arte mirum in modum profecit, insuper egregius Grammaticus, Poëta, et Philosophus fuit. Europæ linguas omnes, præter Germanicam, ut et Orientales perfectè calluit. De rebus sacris non satis benè locutus est, undè ab aliquibus inter Atheistas recensetur. varia edidit Opera Medica, Comica, &c. obiit circà an. 1553. 70mo ætatis suæ anno.

percelebrem efficiunt vina apiana et uvæ passæ, quæ in varias Europæ regiones transmittuntur.

138. ~~[illegible]~~

§. VI.

De Tractu seu Dioecesi Nemausensi.

Tractus seu Dioecesis Nemausensis |: Le Nemosez :| confinis est Provinciæ ad Orientem, et Mari Mediterraneo ad Meridiem; ejus primam partem occupant amoenæ planities et horti, qui semina proferunt, quæ per totam Europam distrahuntur; alteram colles et valles vinetis, oleis, thymo, serpillo, saturejo, rosmarino, superbientes; tertiam denique exigui montes qui Guarigi |: Guariges :| nuncupantur; nemorosi sunt, atque communiter in iis Thymum, Serpillum, Saturejum, et Rosmarinum crescit; in illis etiam species quædam vermicis reperitur, qui ex quorundam frutetorum foliis colligitur, quem vermiculus quidam in ea demittit; ex eo conficitur color rubiæ sativæ, et Syrupus Kermes, qui in procul dissitas regiones mittitur. Hujus Tractûs vina, feræ sylvaticæ, et pecora totius Languedociæ optima sunt. Denique in eo omnia simul inveniuntur, quæ vitam gratam et suavem efficere possunt adeò, ut mirum haud sit, quòd Ægyptiæ, Græcæ, et Romanæ Coloniæ felicis hujus plagæ incolatum propriæ patriæ prætulerint.

q venêre; Phocæi Massilienses primùm in hunc Tractum q̃cùm enim 60. vel 80. à suo in Provinciam adventu annis cæteri Phocenses à Cyro Persarum Rege patriâ suâ exturbati se ipsis sociatum venissent, alterámque coloniam in Tractu Massiliensi instituissent, tùm paulò post, quòd hîc nimis coarctati viderentur, se versùs Avenionem, Arausionem, Niceam, Antipolim, Augustam Taurinorum, Taraconem, et Nemausum diffuderunt. Exactis dein 440. circiter annis hic Nemausensis Tractus Romanorum factus est, deinde ad Gothos pervenit, ab his ad Saracenos, denique ad Francos nempè post insignem victoriam illam, quam Carolus Martellus propè Pictavium de iis reportavit, ubi trecenta Saracenorum millia desiderata fuisse memorantur, nemon postquam Pipinus ejus filius Infideles hos, qui denuò huc redierant, expulit. Tùm Vice-Comites eidem præfecti fuêre, qui sæculo X. illius absolutum dominium sibi asseruerunt sub regum Franciæ tamen clientela, donec an. 1270. coronæ denuò immediatè adjectus fuit. occurrit

jò Nemausus seu Nemausium, Metropolis Aracomicorum, Colonia Nemausus, Civitas Nemausensis, et

Colonia Augusta (: Nismes :) Urbs sita quinque leucis ab Arelate versùs Caurum, octo ab Avenione ad Africum, undecim à Monte pessulano et triginta à Narbone versùs Euroaquilone-Mesem. Antiquissima est, ut quæ 3400. circiter annorum ætatem nonnullis videatur habere; traditio quippe est, eam nomen suum à Nemauso Herculis vel Thebani, vel Ægyptii, vel Lybii filio fundatore suo habere, qui, si fides Eusebio* et Prospero** circà ætatem Priami Trojæ Regis, et paulò ante hujus Urbis excidium, vixit, ex quâ opinione sequitur Nemausum Urbem 500. aut 600. circiter ante Romam duntaxat annis fuisse ædificatam. Id ex eo verisimile videtur, quòd Diodoro Siculo** et Ammiano Marcellino testibus, Hercules in Gallia Celtica varios filios ex multis uxoribus genuerit, inter quos quidam Nemausus nomine fuit, quique ibidem quamplurimas Urbes ædificaverint suóque nomine insigniverint. Interim ab hac Urbis hujus per Nemausum fundatione, nihil de successoribus suis, aut ipsius Urbis statu vel sorte compertum habetur usque ad eam ætatem, qua Phocæi Massilienses post 1000. aut 1100. à sua fundatione annos hîc resederunt, penes quos per 440. circiter annorum spatium permansit, donec scilicet unà cum Volscorum ~~reliquiis~~, quorum Metropolis erat, reliquiis in Romanorum potestatem venit à Fabio Maximo subacta. Fortè postmodùm se recenti huic Romanorum dominio subduxit, memoriæ enim proditum est, eam ex 837. Urbium illarum numero fuisse, quas Pompejus in suis ab Alpibus usque ad ultimos Hispaniæ fines expeditionibus expugnavit.

Multa marmora, quæ in prolapsis et ruinosis ædificiis cum latinis Inscriptionibus, quingentis aut sexcentis numero, inventa fuêre, fidem faciunt Romanos ad hanc Urbem misisse Colonias, eidem Consules ac Duumviros præfuisse, in ea, quemadmodùm Romæ Ædiles, Senatum, Collegium Decurionum, et Quæstorem fuisse, item Sacerdotum Collegium et Templum Augusto dedicatum.

Regiminis forma, quæ unà cum Romanis Coloniis Nemausi introducta fuerat, tenuit usque ad an. U.C. 1160. qui in annum Æræ Christianæ 410. incidit; tùm quippe Honorius et Arcadius Imperatores Romani Civitatem hanc Gothis cedere coacti fuerunt, postquam 500. circiter annis sub Romanorum potestate fuisset. Sæculo VIII. Saraceni nequicquam repugnantem et obsistentem occupaverunt, atque per 20. circiter annos tenuerunt, ac donec Carolus Martellus Francorum Princeps iis prope Pictavium, quod suprà memoravimus, devictis

* Eusebius, cognomento Pamphili ob arctam necessitudinem, quæ ipsi cum S. Pamphilo Martyre fuit. Cæsareæ in Palestina circà an. chr. 270. natus perhibetur. Hujus Civitatis factus Episcopus an. 325. interfuit Concilio Nicæno Oecumenico, in qua Ariana hæresis damnata est. Arianum fuisse testantur plerique veterum; aut saltem Arianorum partes fovisse. obiit an. 340. En multis, quæ scripsit, Operibus hæc ad nos pervenêre: Præparationis Evangelicæ libri 15. De demonstratione Evangelica libri 20, quorum nonnisi decem supersunt. Historiæ Ecclesiasticæ libri 10. De Vita Constantini libri 4. Oratio de laudibus Constantini. Chronicon. De Ecclesiasticâ Theologiâ libri 3.

** Prosper (: Tiro :) Aquitanicus Leoni Papæ I. à commentariis, librorum S. Augustini adversùs Semipelagianos pro-

pugnator acerrimus fuit. Cassianum Collationem auctorem refutavit. an. 458. morte subitaneâ extinctus dicitur, postquam Chronicon suum ab Adam ad sua usque tempora perductum finivisset.

*** Diodorus Siculus Agyrii in Sicilia modò San Filippo d'Agirone natus, sub Julio Cæsare et Augusto floruit an. M. 3976. p. Scripsit 46. libros quorum nonnisi 15. supersunt, Bibliothecam historicam ab antiquissimis temporibus ad suam usq; ætatem perductam. p.

castra ad eam movit, factoque assultu obtinuit, incendit, et penitùs excidit præter amphitheatrum et quædam alia Romanorum monumenta, quæ ejus furorem evasêre. Paulò post Visigothi ex parte Alpium advenientes urbem hanc aliquantulum restaurârunt; et Saraceni demùm eam sibi asseruerunt et servarunt, donec à Pipino extorbati fuerunt. Postmodùm Vicecomites sub Languedoriæ Ducibus eidem profuerunt; verùm sæculo X. eam sibi propriam fecêre, atque inter Dynastas Comites dicti sunt. Sub finem sæculi XII. Albigensium hæresis Nemausum usque pervasit, atque ibidem primùm circà an. 1270. extincta est morte Joannæ ultimæ illius Dominæ et Alphonsi Victaviensis Comitis ejus mariti, tùm enim Urbs ipsa coronæ Franciæ demùm adjuncta fuit hæresisque extirpata: ab eo tempore Nemausi Catholica religio imperturbata viguit usque ad an. 1560. quo Magistratus et plerique Cives Calvinismum amplexi sunt; an. 1568. amplum ædificavêre templum in quo inter Calviniano sacra facerent; illud an. 1668. igne consumptum anno sequenti restitutum fuit, stetitque usque ad an. 1688. quo Ludovici XIV. jussu demolitum est.

Habet Sedem Episcopalem sub Metropoli Narbonensi. Traditis est S. Germanum Apostolorum Discipulum primum fuisse, qui hîc Evangelium prædicârit. Quidquid eâ de re sit, S. Castor fuit primus Nemausi Episcopus, cui postmodùm Ecclesia Cathedralis dicata fuit.

Quamvis sub postremis Romanorum Imperatoribus ac sub primis Gothorum Regibus Nemausi Christiana religio admodum propagata fuerit, attamen primùm circà an. 535. Ethnica superstitio ibidem omninò deficere cœpit, tùm quippe loca eidem destinata, in ea fuêre conversa quæ verò Religioni magis congruerent, nihilominùs quia Gothi Arianam hæresim invehere omninò conabantur Catholici persecutionis objectum semper fuêre, quæ non nisi Recaredo Rege ad veram fidem converso finem accepit.

Nemausi quatuor Concilia fuêre celebrata: I. an. 389. De illo refert Sulpitius Severus, quòd, cùm S. Martinus Turonensis rescire cupivisset, quid in ea actum fuisset, id ab Angelo, qui ei apparuit, didicerit. II. an. 880. adversùs Salvam Hispanum Presbyterum, qui se Narbonensem Archiepiscopum dicebat. III. an. 897. Denique IV. an. 1096. ab Urbano Papa II. ex celebri Claromonta-

na Synodo reduce, in quo Bertrandum hujus Urbis Antistitem ad Archiepiscopatum Narbonensem provexit.

Præter Ecclesiam Cathedralem adhuc multa alia hîc numerantur, ut et utriusque Sexûs Monasteria. Jesuitæ etiam habent Collegium. Adest etiam Academia an. 1682. erecta.

Nemausus olim amplissima erat Civitas, superántque vindicia, quæ fidem faciunt muros ejus ambitu suo 4650. orgyas seu perticas æquasse, atque Romanis nonnisi 1000 orgyis fuisse minores; modò autem multum ipsi de sua magnitudine deperiit, attamen 12500. familias adhuc numerat. In illam per novem portas patet aditus; plateæ ejus venustæ, domúsque optimæ structura sunt. Varia etiam in eâ supersunt antiquitatis monumenta, ut Amphitheatrum, vetera Deorum Deárumque Templa, ut Diana, Vesta, item aliud, quod domus quadrata vocatur, quia quadratum refert, ridetur etiam Templum fuisse, quidam ajunt fuisse Capitolium; verisimile etiam est Ecclesiam Cathedralem fuisse Delubrum Augusto Sacrum.

Nemausus est patria Joannis Nicotii |: Nicot :| Autoris Dictionarii ipsius nomine insignitii Gallico-Latini ipsius nomine insigniti: An. 1559. Legati munere functus est in Portugalliâ, atque indè plantam Sevum retulit, quæ ipsius nomine Nicotiana dicta est, et quam hodiè Tabacum nuncupamus.

2° Bedoquadra |: Beaucaire :| Urbs adripam Rhodani collocata quatuor leucis à Nemauso versus Eurum, et totidem ab Arelate versùs Boream, et quinque ab Avenione versùs Africum. Ab Arce quadrata, ad cujus pedem extructa fuit nomen accepisse videtur; Arx hæc an. 1632. Solo æquata fuit. Olim Provinciæ adjecta erat, verùm an. 1125. Raymundus Berengarius Provinciæ Comes cum Alphonso Jordano Comiti Tolosano cessit. In bello contrà Albigenses hæreticos et Raymundum VI. Comitem Tolosanum à Catholicis capta fuit, et brevi post Raymundo VII. ejus filio restituta. An. 1251. Avenionenses idem ad præstandum sibi homagium adegerunt. Sæculo XVI. fervente intestino Catholicos inter et Hugonotos bello multas calamitates pepessa est. Sæculo XVII. Ludovicus XIII. eam Hugonotis eripuit. Quidam volunt eam antiquitùs Ugernum vocatam fuisse. Famosas efficiunt nundinæ, quæ ad festum S. Mariæ Magdalenæ in eâ celebrantur; undique ad eas accurrunt Mercatores Itali, Germani, Hispani, Turcæ Armeni, et Orien-

tales, pp. nullâque merx est, ut ut rara et infrequens, quæ ibi venum non exponatur.

§ VII.

139. 1177

De Tractu seu Diœcesi Uzetiensi.

Tractus Uzetiensis |: l'Uzege :| Nemausensi ad Boream confinis est, constátque partim montibus, et partim planitiebus; in montibus ampla res pemaria exercetur, planitias verò frumentum in abundantia, optimúmque vinum proferunt et oleum. nullâque in eo sunt opificia sericii atque exilium lanearum textilium, undè gnola haud exiguum faciunt compendium. Oenorit ſº. Uzetia, Uletia, Uuzia, Unica |: Uzes, Uzez :| urbs exigua 794. civiter continens familias, s. Leucis à Nemauso versùs Septentrionem; 8. ab Avenione ad Occidentem, et totidem ab Arausione ad Africum.

Caput est Tractus, à quo ipse nomen trahit; titulo Ducatûs et Pariatûs gaudet; estque Sedes Episcopalis sub Metropoli Narbonensi. antiquitùs Castrum Uzeticense et Utiense dicebatur.

Idius nec veteres geographi, nec Itinararia, nec ulla alia monumenta Sæculo V. superiora meminerunt: circà hujus Sæculi medium Constantius quidam in eâ Episcopus fuit, quem Hilarius Papa epistolâ ad Episcopos Galliæ Uzetiensem Episcopum vocat. an. 506. Probatius Uzetiensis Episcopus Synodo Agathensi adfuit.

Uzetia eandem sortem habuit ac ipsa Aquitania: à Romanis ad Visigothos, et brevi post ab his ad Francos pervenit, postquam Ludovicus an. 507. Alarium Gothorum Regem devicit ac interfecit. Sæculo XI. Præsules suos adepta est Dominos sub Vice-Comitum titulo. an. 1565. in favorem Antonii Carolii |: Crussol :| et Tornoduri |: Tonnere :| Comitis Ducatûs, et an. 1577. Pariatûs insuper in gratiam Jacobi ejus filii titulo decorata est à Carolo IX. Rege Galliæ.

Modò tres illi dominantur, nempè Rex, Episcopus, qui Ducis titulum gestat, et Dux laïcus veterum Vice-Comitum Successor, quorum utrilibet est Arx sua.

Quondam præclara erant privilegia, quibus tamen Sæculo XVI. abusi sunt; enimverò Calvinismum amplexi Episcopum ejúsque Ecclesiasticos inclementer admodum habuerunt, oppidúmque S. Firmini haud procul ab Urbe sitâ pontem et à Catholicis habitatum exiderunt; úmque plerique Uzetiensis Tractûs quondam novam hanc Religionem et Hugonotorum

partes ampleni essent, libertatem suam adversùs Reges* Franciæ tuiti sunt usque ad an. 1629. quo se Ludovico XIII. subdere coacti fuerunt; tùm urbis munimenta diruta et solo æquata, cives verò privilegiis suis mulctati.

Cathedralis Ecclesiæ patronus est S. Dietericus; illius Capitulum constituebant Canonici Regulares, at an. 1719. Clemens Papa XI. eos ad Statum Sæcularem transtulit. Propè Civitatem Capucini Conventum habent.

2º Fanum seu Pons Spiritûs Sancti |: Pont St. Esprit :| urbs munita in dextera Rhodani ripa, super quem Pons est, quo præstantior totâ Europâ haud occurrit, et cujus constructio propter fluminis latitudinem, profunditatem, et rapiditatem miraculum fuisse videtur, ad 120. orgyas protenditur, atque 22. arcubus fulcitur. Ex oblatis et eleemosynis fidelium Oratorio seu Capellæ S. Spiritûs ob crebra in ea patrata miracula celebri factis an. 1265. construi cœptus an. 1309. circiter finitus est: celebrem præbet super Rhodanum transitum, ultimusque est inter pontes flumen hoc contegentes, infrà ipsum enim nonnisi Pontones occurrunt. ab eo tempore, quo constructus fuit, urbs ista multum crevit et amplior facta est, deincépsque ab eo et S. Spiritûs Oratorio, quod ipsius extrema occupat Pons Spiritûs Sancti dicta est, cum priùs Portus vocaretur.

II.

De

Tractu Cemmenio seu Cebennico.

Tractus Cemmenius seu Cebennicus |: Les Cevennes seu Sevennes :| nomen habet à Monte seu potiùs a montibus Cemmeniis aut Cebennicis |: Les Montagnes de Sevennes seu Cevennes :| intrà et ad quos situs est.

Montes hi initium sumunt eo loco, ubi Ligeris scaturit, et desinunt in confiniis Ruthenorum |: Rouergue :| ac Languedociæ Superioris. protenduntúrque ab occidente ad Orientem Rhodanum usque ad 40. et à Meridie ad Septentrionem ad 20. Milliaria Germanica. Non tamen semper continui Montes sunt, verùm subindè fertilibus, cultis, et amplis locis ac vallibus intersecantur ac distinguuntur.

Julius Cæsar in suis de bello gallico Commentariis, et veteres Latini Scriptores fermè omnes, ut Lucanus, Mela, Plinius, Ausonius, p. Montes hos Cebennas et Cebennam in singulari vocant.

Ad hæc Montana Hugonoti Languedociani, ubi eis libero Religionis suæ exercitio interdictum fuit,

~~298~~ 140.

transfugêre. à Catholicis patriâ seu veteri Gallorum aut Franigenarum linguâ Camisards nuncupati fuêre, vel à voce Camisade, quæ nocturnam seu antelucanam militum impressionem seu irruptionem significat*, [illegible] quia rebelles isti nonnisi noctu è latebris suis erumpebant; vel à voce Camise Camisia, quod illarum penuriam haberent, atque frequentiùs eas furarentur; vel quòd vestibus lineis camisias referentibus uterentur; vel denique à voce patriâ Camis, quæ vias regias et tritas significat, quòd prædones istos illas infestarent; Camisard igitur secundùm hanc nominis etymologiam idem est, ac publicarum viarum Grassator.

* vox Camisade ideo nocturna impressio dicitur, quòd ii, qui de nocte hostes suos interipere volebant, super vestibus indusia seu camisias, linguâ Occitanicâ Camises induerent, ut se se mutuò internoscere possent.

Tractus Cemmenius limites habet ad Meridiem Occitaniam Inferiorem, ad Occidentem Ruthenos, ad Septentrionem Alvernum et Forcium, ad Orientem verò Rhodanum, qui illum à Delphinatu separat. Illius populi admodùm inquieti sunt et turbulenti. Sub priscis Regis Franciæ Hugonoti perfugium apud ipsos semper quærivere, eorumque eorum plerique etiammum adhuc occultè et in corde Calvinismum sectantur. Multoties rebellionem excitarunt, ac quidem an. 1688. et sequentibus, deceptis falsis Calvinistæ Ministri Jurieu prophetiis seu potiùs imposturis. Deinde an. 1703. ubi Eulaliâ ab ipsis dicta, Catholici Ecclesiastici et Laïci, viri et Mulieres una cum infantibus suis indiscriminatim interemti: nec tam facilè ad officium et obedientiam revocari potuissent, nisi paulò ante cautâ quadam providentiâ quamplurima Regia via in ipsorum montibus confecta fuissent; et sanè Mareschalli de Villars fortitudine et prudentiâ ad eorum tumultus sedandos opus fuit. Verùm apud ipsos ignis sub cineribus semper adhuc ardescit quæ data occasione foras erupturus; hujus rei argumentum præbuêre an. 1745. quo graves motus denuò ciere cœpêrunt; et creati Franciæ Apostoli, nempe equites Catapultarii, quos vulgò Dracones [: Dragons :] vocant, eâ, quâ antehac, ratione quamdam quietis speciem

apud ipsos redunerunt; dissimulant enim, quoniam ipsis vires desunt, quarum ope sensa sua expromant.

Tractus Cemmenius tribus exiguis provinciis distinguitur scilicet Gabalensi |: Gevaudan:| Vivariensi |: Vivarais:| et Velauniâ |: Velay:| In iis excellentes castaneæ colliguntur, supersuntque magnificæ antiquitatis reliquiæ.

§. I.

De Agro seu Provinciâ Gabalensi. 141.

Ager seu Provincia Gabalensis |: Le Gevaudan:| plerumque montana occupat versus scaturigines Elaveri |: Allier:| Lotæ |: Lot:| et Tarnis |: Tarn fluviorum. Limites habet ad Septentrionem Alverniam; ad Occidentem Ruthenos; ad meridiem Occitaniam Inferiorem, et ad orientem Pagum Vivariensem et Velauniam.

Nomen ei dederunt Gabali seu Gavali et Gabales populi, a quibus ipsa Pagus Gabalicus dicta est, quem recentiores Scriptores Gabaldanum seu Gavaldanum Pagum, item Gabalensem provinciam nominârunt.

Cæsar in suis Commentariis horum populorum, quos an. V.C. 698. Romanis subegit, mentionem facit. Sæculo V. q hanc provinciam occupaverunt, quos Clodovæus Francorum Rex expulit. Sæculo X. Duces et Comitis sibi illius proprietatem asseruerunt. Eam aliquando ad Episcopos Mimatenses pertinuisse, et subindè ipsis ereptam fuisse haud obscurè colligitur ex eo, quòd Jacobus I. Rex Arragoniæ et Comes Barcinonensis an. 1225. Stephano ibidem Episcopo illius directum Dominium restituisse dicatur. Modò ipse et Rex Franciæ eidem communiter dominantur. q Visigothi

Ptolomæus, Tabula Peutingeriana, et Notitia Imperii Romani Sæculo V. sub Honorio Imperatore edita meminerunt urbis Anderiti seu Anderidi velut Gabalensis provinciæ Metropolis, quod nomen tamen sub ejusdem sæculi finem antiquatum est, ut cujus ab eo tempore nullibi extet memoria.

Provincia hæc, ut initio dictum, montosa est, cujus quædam arva omninò sterilia sunt, alia verò nonnisi siliginem et castaneas proferunt. Pagani ferè omnes artem quamdam profitentur seu opificium exercent, necnon exilia textilia conficiunt, quæ in Helvetiam, Germaniam, Italiam, Melitam, imò in Orientales plagas transportantur. Adsunt etiam ~~Stagni~~ Stanni et achatis fodinæ, p.

Anno 1721. in hac provincia pestis etiam atrociter grassata est. Occurit

Mimata seu Mimate |: Mende, Mande seu Mandes :| Urbs supra montem collocata, cujus pedem Lota |: Lot :| fluvius adiit 15. Leucis à Podio |: Puy :| ad Africum; 28. ab Albiga |: Alby :| ad Euro-Aquilone-mesen. Caput provinciæ Sedisque Episcopi olim ~~Bitudigabensis~~ Metropolitani Bituricensis, nunc autem Albigensis Suffraganei.

Quidam putant eam esse Anderitum Veterum, ~~qui~~ ~~vocatur olim~~ Gabalitanæ civitatis ~~fuisse~~ ~~partem~~ ac postea mutato nomine Gabalitanam Civitatem nuncupatam ~~fuisse~~, aut saltem ex ejus ruinis ~~fuisse~~ ædificatam fuisse. Memoriæ proditum est, quendam Diaconum Genialem nomine an. 314. Concilio Arelatensi interfuisse, atque ibidem Diaconum Civitatis Gabalitanæ vocatum ~~fuisse~~, nempe hujus provinciæ Episcopos Antistites Gabalitanos dictos fuisse. Hoc Gabalitanæ seu Gabalorum Civitatis nomen obtinuit usque ad an. 1030. tunc enim primùm Episcopi mutato nomine Mimatenses Antistites nuncupati fuerunt: fortè Eadem ex Veteri Gabalorum Civitate, quam modò exiguum Oppidum 4. Leucis à Mimatâ dissitum esse ajunt, ad hanc urbem transtulerunt, vel hæc ipsa Gabalorum Civitas est.

Gregorius Turonensis ait Mimatem montem esse in cujus antrum S. Privatus Gabalensis Episcopus, cum Barbari Galliam popularentur, se recepérat, et postquam ibidem Martyrium subiisset, tum ergà illum veneratis ac devotio ingentem populi multitudinem ad eum locum attraxit, qui Civitas evasit, in qua Sedes Episcopalis instituta fuit.

Urbs hæc ampla haud est, et ipsius triangularis figura cordis effigiem perfectè exhibet; populosa quidem est, sed simul lutosa, immunda, et obscura; soli fontes eius venustatem efficiunt: Ecclesia quoque duobus magnificis campanilibus decoratur. Olim hîc aderat prodigiosæ magnitudinis campana, cujus pistillum retrò quamdam Ecclesiæ portam horridum adhuc asservatur; ex eâ fervescente Religionis bello tormenta bellica fusa sunt.

Per duos pontes Lotæ impositos ad eam patet aditus; Capucini unus extremum occupant. Patres Doctrinæ Christianæ Mimatæ Collegium

habent: adsunt etiam Carmelitarum, Franciscanorum, et Ursulinarum Conventus. Prope Civitatem visuntur Cella et Capella Sancto inclyta, huc magnus est populi concursus devotionis gratiâ, quòd, ut ajunt, S. Privatus aliquanto tempore hîc vitam duxerit atque tandem an. Chr. 250. martyrio affectus fuerit.

§. II. 142.

De Agro seu Provinciâ Vivariensi.

Ager seu Provincia Vivariensis |: Le Vivarais :| limites habet ad orientem Rhodanum, quo à Delphinatu separatur; ad Septentrionem Forezium et Tractum Lugdunensem; ad Occidentem Velauniam et Galensem agrum; et ad Meridiem Dioecesim Uceticensem, ubi Ardea |: Ardesche :| fluvius eam ab Occitania Inferiori distinguit. Longitudo ejus est circiter 26. leucarum, maxima latitudo 16. vel 17. Erius |: Erieu :| flumen eam in Superiorem et Inferiorem dividit.

Olim Helviorum seu Helvius Pagus dicta est ab Helviis illius populis, quorum meminêre Caesar, Strabo, Ptolomaeus, Mela, Plinius, et alii. Eorum Metropolis erat Alba seu Alba Augusta; haec modò vicus est, qui Urbi à Barbaris devastatae succesit: quando autem, et à quibus Barbaris id factum fuerit, non satis liquet; certè, quod monumenta produnt, Saeculo V. adhuc integra persistabat, ex iis quippè habemus Venantium Albae Episcopum Concilio Epaonensi an. 517. celebrato, et an. 549. Cautinum ejus successorem Concilio Aurelianensi V. adfuisse: at postnodum nomen hoc penitus antiquatum fuit, nec ubi amplius legitur nisi in Notitiis Urbium et Provinciarum Galliae Opere Silicet, ab imperitis Scriptoribus ex antiquis auctoribus benè an malè collecto et digesto.

Provincia haec plerumque montibus occupatur, nihilominus satis fertile solum habet, praesertim juxtà Rhodanum frumenti, vini, fructuum, leguminum, et cannabi ferax; adsunt etiam pinguia pascua; nec non in ea multum serici conficitur.

Saeculo V. Romanorum Imperio in Gallia exciso et dissipato Provinciam hanc Burgundio-

nes obtinuerunt; mortuo eorum Rege Sigismundo Clodovæi Francorum Regis nepotes Regnum Burdungicum occupaverunt, eoque inter se ipsos distributo Vivariensis Tractus Regni Metensis, postèa Stolatensis adeoque Germanorum Imperatorum factus est; demum ad Francia Reges demùm pervenit. Ei Comites dominati sunt sub Regibus tamen Burgundiæ, Arelatensibus, atque postmodum sub Imperatoribus Germanis; eidem subfuerunt Episcopi; quando autem præcisè et quomodò id evenerit, non satis definiri potest, id tantum potuit monumenta, jam sub Carolo Calvo Episcopos una Comitibus Vivariensibus in hoc Tractu jurisdictionem temporalem cumulativè exercuisse, ~~ut~~ ~~ex~~ ~~Carli~~ ~~Calvi~~ ~~Diplomate~~, prout patet ex ejusdem Caroli Calvi litteris patentibus, in quibus omnia Ecclesiæ Vivariensis jura et bona, in quorum possessione Sæculo IX. erat, notantur: demum circà medium Sæculi XII. Conradus III. Imperator è Ducibus Sueviæ Wilhelmo Episcopo Vivariensi Consanguineo suo et Ecclesiæ ipsius Tractum hunc tradidit, quem postmodum ipse et Successores sui liberè et citrà ullam subjectionem sive ergà Reges Franciæ sive alios quosunque vicinos Dominos possedêre una omni jurisdictione temporali aquè ac spirituali. Demùm Languedocia corona demùm attributa fuit; nominatim autem an. 1307. quo Episcopus Philippo Pulchro se subjecit, erutis hinc inde litteris publicis, quas an. 1365. confirmârunt Carolus V. cognomento Sapiens et Bertrandus de Castro novo [: Chateau-neuf :] Episcopus Vivariensis. Occurrit hîc

jo Vivarium, Vivaria, Vivariensis Urbs, item Vivarium [: Viviers :] Civitas supra eodem posita ad orientalem Rhodani ripam 6. leucis à Pontè S. Spiritus et 12. à Valentiâ ad Euronotum, nemon 10. ab Arausione ad Caurum. Caput provinciæ seu Comitatûs, cui et nomen tribuit. Exiguo Urbis Albo, quæ veterum Helviorum Metropolis fuit originem et amplitudinem suam debet, cùm priùs nomini Castrum Vivarii seu Locus Vivarius diceretur. Inter rupes posita, exigua, et immunda est, plateæ ejus lutosæ sunt, et per quatuor portas ad eam patet aditus. Est Sedes Episcopalis Viennensi Metropoli subjecta. Ecclesia Cathedralis Sancto Vincentio dicata Sanum ornat supra Civitatem ipsam multùm eminens; infrà illam est Conventus Ff. Dominicanorum. Episcopus, qui

Comes Vivariensis Salutatur, ordinariè in Jano S. Andeoli |: St. Andeol :| quod est Oppidum duabus leucis à Vivario dissitum, residet. haud procul ab hac Urbe domus est, quam Pilati Judææ Præfecti villam fuisse dicunt.

2°. Alesia seu Alesum |: Alais :| Urbs posita ad ripam Vardi |: Gardon :| fluminis in pede Montis Cemmenii inter prata ad leucam protensa, 12. leucis ab Andusia |: Anduze :| versùs Pontem S. Spiritus, et 5. ab Uzetia ad Occidentem, 14. ab Arausione etiam versus Occidentem, ac totidem à Monte Pessulano versùs Septentrionem. Ampla Civitas, necnon populosa et Emporium. Illius sunt septem portæ. Quidam eam in Languedociâ Inferiori collocant; sunt qui velint eam esse Alesiam illam, cujus meminit Julius Cæsar lib. 7. commentariorum suorum; alii autem contendunt primùm Sæculo XII. excitatam fuisse.

Cives Calvinismum amplexi diu Urbem suam adversùs Reges tutati sunt: tandem an. 1629. à Ludovico XIII. obsessa et occupata fuit. Deinde anno 1689. Ludovicus XIV. in ea munimentum erigi curavit, quod Incolis frenum esset. Anno denique 1692. cùm Cemmenii montes magnam ad fidem Catholicam neo-conversorum multitudinem jam continerent, Sedes Episcopalis facta est sub Metropoli Narbonensi.

Commercium Alesiam opulentam efficit. In ea varii levioris texturæ lanei panni conficiuntur; unde fit ut mendici hû non reperiantur.

§. III.

De Velauniâ.

Velaunia |: Le Velay, le Païs de Velay seu Velais :| exigua provincia, quam Ligeris perfluit, limites habet ad Septentrionem Foresium; ad Occidentem Alverniam Superiorem, ad Meridiem Tractum Gabalensem, et ad Orientem Vivariensem. Nomen habet à Velavis populis, quos in Clientela Alvernorum fuisse memorat Cæsar in suis Commentariis. Inter montes potiori anni parte nivibus contectos collocata est, nihilominus solum ejus majorem frumenti copiam profert quàm Incolis ad vitæ sustentationem opus sit; pecoribus quoque abundat. Status habet quibus Anicii |Puy:| Episcopus præest.

Hujus Tractûs Metropolis olim Ruessium seu Rovesium dicebatur, de qua Urbe Ptolomæus lib. 2. c. 7.

~~301~~ 143.

atque etiam Tabula Peutingeriana: brevi post relicto hoc nomine Civitas Vellanorum seu Vellavorum dicta est, prout colligitur ex Gregorio Turonensi lib. 10. c. 25. ubi narrat quemdam impostorem cum simulata Prophetide cui nomen Maria, in Civitatem Velavorum, et deinde ad locum, qui Anicium dicitur, venisse. ~~[illegible]~~ Variae etiam hujus provinciae tabulae ~~[illegible]~~ Civitatem vetulam ~~[illegible]~~; at P. Mabillonius primae parti Saeculi IV. Benedictini Dissertationem adjecit, in qua solidè demonstrat hanc Civitatem Vetulam esse Oppidum ~~[illegible]~~ S. Pauliani ~~[illegible]~~ in Alvernia ab eo sic dictum, quòd ibidem sepultus fuerit et velut Regionis illius Apostolus colatur. Sunt, qui arbitrantur Civitatem Vellavorum esse Rigomagum superioris Languedociae urbem, de qua alibi egimus. occurrit

Anicium seu Podium |Puy:| Caput Velauniae Sedésque Episcopi, Urbs supra montem Anicium collocata prope Bornam |: la Borne :| et Ligerim |: la Loire :| fluvios, 15. leucis à Mimata versùs Euro-aquilone-Mesem, 18. à Vivario versùs Caurum. à Monte, super quem posita est, Anicium dicta est seu Podium à vocabulo Puig seu Puech, quod linguâ Aquitanica ~~[illegible]~~ montem significat. Ex ruinis Ruessii seu Rovesii olim Vellavorum Metropolis excitatam fuisse quidam tradunt. Hodie admodum spectabilis est omniúmque Languedociae Civitatum, si Tolosam excipias, populosissima.

Cathedralem Ecclesiam celebrem efficit magna erga B. Virginem Mariam, cui dicata est, devotio; ingenti quoque reliquiarum et ornamentorum copia instructa est. Varia etiam adsunt utriusque sexûs Monasteria, Jesuitae quoque magnificum habuerunt Collegium. Primus hujus Urbis ~~Episcopus~~ seu potius Vellavorum Civitatis Episcopus, si Traditioni cuidam fides adhibenda, fuit S. Georgius à S. Petro huc missus. Quando Episcopi relicto veteri Vellavorum Antistitum nomine Anicienses dici coeperint, incertum videtur; sane ante saeculum X. nullius Aniciensis Episcopi fit alicubi

mentio, tunc enim primùm Aniciensis Episcopi nomen Vellavorum Antistitum nomini præfixit.

Hujus Urbis Episcopi Archiepiscopum Bituricensem semper tanquam Metropolitanum suum agnoverunt usque ad medium Sæculi XI. tunc enim Leo IX. eos ab hujus Archiepiscopi jurisdictione exemit, et Summo Sedi immediatè subjecit.

Ajunt aliqui Radulphum Franciæ Regem an. 923. hujus Urbis Dominium temporale illius Episcopo tradidisse; alii tamen contendunt hanc donationem primùm an. 1134. à Ludovico Crasso factam fuisse. An. 1304. Joannes de Cumenis Episcopus Cadiensis Philippum Pulchrum in hujus Civitatis Dominii Societatem ascivit; conventio hac de re inter ipsos inita hujus communionis argumenta continet. Clemens Papa IV. Aniicii seu Cadii Episcopus fuit.

Caput ~~Sextum~~ XII. anno 144.

De Aquitania seu Guienna.

Aquitania |: L'Aquitaine :| maxima totius Regni Franciæ provincia. Ab aquis mineralibus, quibus abundat, sic à Romanis dictam arbitratur Plinius lib. 4. c. 19. ait enim ib. c. 17. vetus Gallicum illius nomen fuisse Armoricam, quod idem est ac Regio maritima à Celtico lingua, quæ adhuc maximâ sui parte apud Inferioris Britanniæ populos in usu est, vocabulis Ar latinè Super, et Mor Mare. ut enim Cæsar lib. 7. de Bello Gallico c. 14. notat, Galli omnes Urbes ad Oceanum sitas Armoricas dixêre.

Si quibusdam Scriptoribus fides, Aquitania proprios habuit Reges, quorum primus Galatheus fuisse dicitur, usque ad annum 50mum ante Christi adventum, tùm enim Julius Cæsar Gallis Veritis hanc provinciam sub Romanorum potestatem adduxit, sub qua etiam fuit usque ad 9num annum Imperii Honorii, quo Visigothis magno impetu in Gallias irrumpentibus relicta est, penes quos per 90. annos sub sex suo gentis Regibus et usque ad an. æræ Christianæ 509. permansit, quo à Clodoveo Francorum Rege exturbati fuerunt, qui et hanc provinciam occupavit nemoni ad posteros suos transmisit. Hi quieta eam possederunt usque ad

annum 653. tùm enim Eudes, ex Regum Franciæ, qui permittebant, ut Majores domus Regiæ, quo munere ipse tunc fungebatur, omnem Regni auctoritatem usurparent, imbecillitate occasionem aucupans universam Aquitaniam sub Ducis titulo occupavit, in qua et ejus posteri se sustinuerunt usque ad Gaifredum; hic enim sub regno Pipini post septem aut octo annorum bellum circà annum 768. vitam et Status suos amisit. An. 778. Carolus M. dicti Pipini filius ex Hispania redux Aquitaniam Regni titulo donavit, Ludovicúmque filium suum natuminimum, qui posteà sub nomine Pii Imperator factus est, primum illius Regem dixit ac constituit. Postmodùm Carolus Calvus, mortuo filio suo Carolo, quem Regem Aquitaniæ instituerat, sublata Regia dignitate cuilibet illius Tractui varios Duces et Comites præfecit ad nutum amovibiles: verùm cùm sub Rege Carolo cognomento Simplici omnia susque deque verterentur, tum Duces et Comites hi ex Præfectis Domini proprietarii facti sunt; Specialiter autem idem Carolus Arnulpho Aquitaniam in feudum tradidit, ita ut cæteri Comites, qui varios illius Tractus sibi asseruerant, eius subditi essent; hic proinde post suppressum Regis titulum primus Aquitaniæ Dux fuit. Idam Successores ejus possederunt usque ad an. 1137. quo Eleonora unicâ Ducatûs istius heres inito cum Ludovico, qui post patris sui obitum sub nomine Ludovici VII. seu Junioris Regnum Franciæ adeptus est, matrimonio eundem Coronæ adjunxit; at cùm elapsis 14. annis adulterii insimulatam Ludovicus repudiasset, ipsa Henrico Duci Normanniæ, qui postmodum sub nomine Henrici II. Rex Angliæ salutatus est, nupsit, sicque Aquitania Regum Angliæ facta est, quam subinde amiserunt, ac iterùm recuperarunt, donec Carolus VII. Franciæ Rex an. 1452. seu 1453. devictis Anglis eandem Coronæ suæ denuò adjecit. An. 1469. Ludovicus XI. Ducatum hunc fratri suo Carolo tradidit, at, illo absque herede defuncto, is ad Coronam reversus est.

Olim Aquitaniæ nomine tertia totius Galliæ pars veniebat; at sub Julio Cæsare Garumna et Pyrenæis finita fuit; nec enim Mela lib. 3. c. 2. et lib. 4. c. 17. aut alii, qui diu post Cæsarem scripserunt, eidem alios limites tribuunt. Augustus verò fines ejus ad Ligerim usque propagavit additis eidem quatuordecim populis è Gallia Celtica tractis, adeò ut tùm Ligeris Aquitaniæ terminus fuerit, cum priùs Garumna fuisset. Quidam contendunt eundem Imperatorem magnam hanc Aquitaniam bifa-

riam divisisse, atque ex sex seu potiùs, juxtà Strabonem, decem Julii Cæsaris Aquitaniæ populis unam, ex reliquis verò alteram hujus provinciæ partem constituisse, hancque primam, illam verò secundam Aquitaniam dixisse; deinde Hadrianum Imperatorem hanc secundam Aquitaniam adhuc in duas alias distinxisse partes, atque ex sex seu decem ~~populis~~ veteri Aquitaniæ adjectis ab Augusto populis provinciam instituisse, quæ Aquitania secunda dicta fuit, et ex ipsa Julii Cæsaris Aquitania garumnam inter et Pyrenæos comprehensâ tertiam fecisse Aquitaniam, quæ etiam Novempopulania vocata est, quod novem populos contineret. Verùm Ammianus Marcellinus lib. 15. Orosius* lib. 1. c. 2. Otto Frisingensis** lib. 6. Chron. c. 30. et alii contendunt has divisiones ante Sæculum IV. factas non fuisse.

Aquitania hodierna Ligeri, Pyrenæis Montibus, et Mari circumscribitur, atque ad 90. leucas in longitudine, et ad 80. in latitudine protenditur. Limites ejus sunt ad Septentrionem Provincia Aurelianensis; ad Occidentem Oceanus seu Mare Aquitanicum; ad Meridiem Montes Pyrenæi, qui illam ab Hispania separant; et ad Orientem Languedocia et Provincia Lugdunensis.

Ubi Franci Sæculo V. Aquitaniam occupaverunt, nomen suum ipsa apud illos retinuit, quod tamen temporum intercapedine corruptum est, ac primùm ex Aquitania |: Aquitaine :| factum est Quitania |: Quitaine :| deindè ex Quitania Quiania |: Quiaine :| ac demum ex Quiania Guienna |: Guienne :| quo nomine tota provincia modò venit communiter, adeò, ut Aquitaniæ nomen penè antiquatum videatur; illud tamen nuper denuò suscitasse dici posset Rex Franciæ, dum Filii sui Delphini secundo genitum Ducem Aquitaniæ salutari voluit; at brevi post secuta mors illius titulum hunc suppressit.

Porrò Aquitania, seu ut commune illius nomen est, Guienna generali divisione ~~generali divisione~~ distribuitur in Guiennam propriè dictam et Vasconiam, quibus varii et speciales Tractus seu provinciæ minores continentur. Aërem habet suavem et temperatum, solúmque amoenum et foecundum frumento, vino, fructibus, cannabo, &c. Illius præcipuum commercium consistit in vino, aquis vinariis, aceto, prunis, resinâ, &c. Ad-

q adjunctis

* Orosius |: Paulus :| Presbyter Tarracone in Hispania natus an. 414. ab Eutropio et Paulo Hispanis Episcopis in Africam ad S. Augustinum missus fuit, ut ab ipso adversùs quosdam Hæreticos, qui Ecclesias suas turbabant, consilium caperet. per integrum annum apud ipsum demoratus est, atque ipsius impulsu scripsit septem libris Historiam à mundi creatione usque ad an. 416. æræ Christianæ perductum, quæ adhuc superest.

** Otto cognomine Frisingensis, quòd Frisingæ Episcopus fuerit, Leopoldi Austriæ Ducis filius, primùm in Neoburgensi Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Coenobio à patre suo fundato educatus, et Præpositus factus est. cùm ibidem aliquanto tempore

Studiis operam navasset, Parisios se contulit ibi eadem absoluturus; inde Morimundum Campaniæ ordinis Cisterciensis cœnobium adiit, ibique Monachum induitus abbas electus est: at cùm postea suffragante Conrado III. Imperatore consanguineos suo ad Grisingensem Episcopatum capessendum vocatus fuisset, in patriam reversus cum eodem Imperatore an. 1148. in Terram Sanctam profectus est, inde redux prioris solitudinis suæ amore illectus, Morimundum repetiit ibique 21. Sept. an. 1158. vitam posuit. Scripsit 8. libris Chronicon ab origine mundi usque ad an. Chr. 1146.

Sunt etiam marmoris latomiæ, pluresque minerales aquæ. Præcipui, qui Aquitaniam perfluunt fluvii sunt Garumna |: la garonne :| Aturus |: L'adour :| Tarnis |: La Tarne :| Averonius |: L'averon :| Lota |: Lot :| et Carantonus |: La Charante :|

Incolas habet ingeniis valentes et astutos, sed pigritiæ, præfervidæ animi commotionis, et, ubi se aliis præstare sentiunt, immodicæ jactantiæ argumentur; hoc vitio præsertim laborare dicuntur Vascones, ut qui se suaque vanè sæpe et ambitiosè semper prædicent et ostentent.

In ea duo archiepiscopatus et plures Episcopatus numerantur; item duæ Universitates. Olim provinciam hanc varii populi incoluêre, quorum pleraque nomina hodiedum adhuc superstant et usurpantur, ut Ausci, Cadurci, Lemovices, Petrocorii, Ruteni, Santones, Tarbelli, Vasates, p.

145.

De Guienna propriè dicta.

Guienna propriè dicta |: La guienne propre :| à qua tota provincia nomen modò sortitur, limites habet ad Orientem Languedociam, ad Septentrionem provincias Aurelianensem et Lugdunensem; ad Occidentem Oceanum seu Mare Aquitanicum, et ad Meridiem Vasconiam. Septem illius numerantur Tractus seu minores provinciæ, quas singulis §§. expendimus.

145. 1170.

§. I.
De Guienna in Specie, seu Tractu Burdigalensi.

Guienna in specie seu Tractus Burdigalensis |: la guienne particuliere, ou le Bourdelois :| circùm Burdegalam positus confinis est ad Septentrionem Santonia |: Saintonge :| ad Orientem Tractui Agenensi |: L'Agenois :| et Petrocoriensi |: Perigord :| ad Meridiem agro Vasatensi |: Bazadois :| et Vasconiæ, et ad Occidentem Oceano. Solum habet amœnum ac fertile præsertim vini. notatur hîc
id. Burdegala seu Burdigala |: Bourdeaux :| Caput totius Guiennæ, atque una ex præcipuis ac maximis totius Franciæ Civitatibus, celeberrimum-

que emporium sita ad ripam Garumnæ, necnon figuræ triangularis; ejus duodecim numerantur portæ; vici ejus et stratæ admodum angustæ sunt; portum habet optimum. Ultra 5000. domus in ea sunt et 42000. vel 43000. familiæ; muri veteres eam cingunt hinc inde rotundis et quadratis turribus instructi, quos tria propugnacula tuentur.

Antiquitatis reliquiæ, quas exhibet, fidem faciunt eam antiquam esse, atque inter alia Porta inferior speciale est antiquitatis monumentum, cujus solida structura Augusti, sub quo omnia æternitati constructa fuêre, ætatem indicat. Palatium Tutela dictum fuit Delubrum Diis Tutelaribus consecratum. Palatium Gallieni, ab hujus Imperatoris, sub quo ædificatum fuit, nomine sic vocatum, magnificum fuit Amphitheatrum seu Palæstra, quam vetera monumenta Burdegalensia Arenam nuncupant, p. Salinus, qui patria lingua Duge nominatur, tantam aquæ copiam subministrat, ut ex eâ rivus fiat, qui Coriariis suburbia, quæ perfluit, incolentibus, magno est commodo. Illum hisce versibus celebrat Ausonius:

Salve fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis opace,
Salve Urbis genius medio potabilis haustu,
Divona, Celtarum lingua, fons addite Divis.

Burdegalæ hoc cum cæteris antiquis Galliæ Urbibus commune fuit, quòd nempè variis rebellionibus et turbamentis fuerit obnoxia. Sæculo V. circà an. 415. Gothi eam occuparunt et combusserunt; tùm ad Francos pervenit. Eudis seu Ottonis Aquitaniæ Ducis ætate, anno scilicet 732. Saraceni illam expilarunt; sæculo sequenti à Normannis devastata fuit, et postquam aliquanto tempore deserta et vacua permansisset, circà an. 900. sub Carolo simplici Franciæ Rege restaurata fuit; deinde speciales suos habuit Dominos, qui sub Comitum titulo eidem dominati sunt; ab his ad Angliæ Reges devoluta est, denique à Carolo VII. iterum Coronæ adjuncta fuit. Sæculo XVI. durante bello intestino quidpiam adversi etiamnum passa est; sæculo præterito interdum tumultus in illa excitati fuerunt, præsertim an. 1675. occasione vectigalis, quod sali fuit impositum.

Archiepiscopatus Burdegalensis antiquissimus est. Quidam arbitrantur S. Gilbertum primum hîc Episcopum fuisse atque Ecclesiæ Sæculo I. superfuisse; nec tamen opus arbitramur, ut quis huic adhæreat opinioni: id duntaxat certum est, quòd circà an. chr. 300. jam in hac Civitate Episcopi sederint, Aurientalis quippe illius Episcopus unà cum Faviano Diacono suo Concilio I. Arelatensi an. 314. adversùs Donatistas celebrato interfuisse memoratur.

Pro certo definiri haud potest, quo tempore Episcopatus iste ad Archiepiscopatûs dignitatem evectus fuerit. Archiepiscopus Burdegalensis Aquitaniæ Primatis titulum sibi vindicat; at hanc dignitatem Metropolita Bituricensis adducit in controversiam.

Ecclesia Cathedralis speciosa est et ampla, et S. Andreæ nomen refert. In Suburbio S. Sernini adest Ecclesia Collegiata hujus Sancti nomine insignita, atque post Cathedralem totius provinciæ præcipua: Sæculo XII. Capitulum ejus constituebant Canonici Regulares S. Augustini; at postmodùm Sæculares facti sunt. Celebris quoque est Ecclesia Collegiata S. Æmiliani. Tria etiam hîc numerantur Seminaria, quorum primum an. 1442. à quodam hujus Urbis Episcopo fundatum fuit; magno Seminario præsunt Patres S. Lazari; in tertio aluntur Hiberni Studiosi. Monasterium S. Crucis olim extrà urbis muros positum erat, creditur à Clodovæo II. fundatum circa an. 650. fuisse, cùmque à Saracenis devastatum fuisset, illud Carolus M. restauravit, at postmodùm denuò excisum fuit, necnon sub Wilhelmo II. Comite Burdegalensi nonnisi exile Oratorium erat, illud ipse de novo ædificari curavit, atque reditibus auxit, adductis in illud tredecim Monachis Benedictinis et Abbate. Jesuitæ speciosum hîc habent Collegium magnificámque Ecclesiam*. Chartusiani quoque habent Monasterium, quod Suburbio, in quo situm est, nomen tribuit: Suburbium istud, aliàs etiam Suburbium portûs dictum, sive propter suam amplitudinem sive propter ædificiorum suorum magnificentiam procul dubio inter pulcherrima omnium totius Europæ Civitatum Suburbia recenseri meretur.

* Modo Jesuitæ absunt.

Adest etiam Universitas an. 1441. fundata. Eugenius Papa IV. eam variis privilegiis decoravit, quæ posteà Ludovicus XI. auxit. In ea sunt publici Professores Theologiæ et Juris utriusque, ut et Medicinæ, ac Artium liberalium. Theologia quoque in quibusdam Monasteriis docetur, illiusque Professores Universitatis coetibus interesse solent. Jesuitæ etiam in suo Collegio pro sui Instituti ~~rectissima~~

ratione Scholas tenent. An. 1712. Rex patentibus litteris Burdegalæ Academiam Artium et Scientiarum erexit.

Quædam hic Concilia celebrata memorantur, ut an. 385. sub Siricio Papa et Delphino Burdegalensi Episcopo, in quo Priscillianus* damnatus est; item an. 1093. et 1095. præter alia, quasdam provinciales Synodos Episcopi habuerunt.

Cùm Burdegala posita sit in regione, quæ vino abundat, Exteri ex commodo situ illius compendium faciunt, ingentémque vini et aquæ vinariæ copiam hinc abducunt, adeò, ut ubi bellum commercium haud suspendit, 300000. vini dolia quot annis navibus imponant suis, atque ad suas regiones transportent.

Burdegala est patria celebris Poetæ Ausonii.

2°. Blavia, Blavium, Blavutum, item Promontorium Santorum |: Blaye seu Blaje :| Urbs exigua et bene munita, et cum Portu ad ripam Garundæ** |: Gironde :| duabus leucis infrà Lingulam Ambarum |: Bec d'Ambés :| et Septem à Burdegalâ versus Septentrionem, è regione Castri Medulici |: Le Fort de Medoc :|. Jam Romanorum ætate nota fuit, eámque Ausonius Militarem Blaviam nuncupat; extat etiam in Itinerario Antonini, ut et in Tabula Peutingeriana, ubi Blavutum vocatur: Notitia Imperii, quæ sub Valentiniano III. confecta est, Blaviam seu Blabiam dicit; Gregorius Turonensis lib. de Glor. Confessorum etiam Blaviam nominat, aitque S. Romanum Sancti Martini amicum seu discipulum ibidem jacere sepultum.

Urbs hæc semper maximi momenti habita fuit, quòd ad ripam Septentrionalem Garumnæ seu Garundæ collocata sit, húneque fluvium, quamvis ibidem quatuor leucarum ejus latitudo sit, penitus præcludere navibus possit. Supra Saxum positæ imminet Arx quatuor propugnaculis instructa. Dividitur in Superiorem et Inferiorem, hanc, quæ propriè nonnisi ejus Suburbium est, ab illa separat rivus, in quo æstus Maris sentitur. Hic Mercatores Domos et Apothecas suas habent. An. 570. in hac Urbe vitam posuit Charibertus, et in Ecclesia S. Romani sepultus fuit. An. 1568. Hugonoti eâ occupatâ omnes Ecclesias diruerunt ne quidem Regis istius tumulo parcentes, at brevi post à Ligistis eâ exturbati fuerunt. Naves, quæ Burdegalam proficiscuntur, ex decreto Ludovici XI. an. 1475. emanato, tenentur hic tormenta bellica et arma, si quæ habent, deponere.

* Priscillianus nobilis Hispanus, vir procedens, doctus et facundus, Sæculi IV. Hæreticus, à quo Priscillianistæ. Gnosticorum errores propagavit, dòmitque inter alia hominis animam Dei ipsius particellam esse, atque è cœlo delapsam in manus Dei mali incidisse, qui eam corpori inclusserit. Esum carnis et Matrimonium damnavit, hominis voluntatem Stellarum potestati subjecit. Cum Sabellio Personas Divinas confudit; Sectatores suos diebus Dominicis et Nativitatis Domini jejunare jussit, quòd arbitraretur Christum veram carnem non assumsisse. Mentiri licitum putabat. Tandem postquam multos seduxisset, an. 386. jussu Maximi Tyranni Treviris capite truncatus est.

** Ubi Garumna et Dordonia confluunt, ambæ nomina sua amittunt, atque uno vocabulo Garunda |: Gironde :| nuncupantur. Id autem fit prope Burgutam |: Bourg-sur-mer :| ad Lingulam Ambarum |: Bec d'Ambés :| Bec enim celticum nomen significat rostrum seu lingulam, quam efficit terra, ubi duo fluvii confluunt: Ambés verò vox Gallica à latina Ambæ derivatur, quasi diceretur ambarum Garumnæ scilicet et

Dordoniæ confluxus. 3º Burguta (: Bourg-sur-Mer :) Urbs ad Dordoniam sita et propè Lingulam Ambarum (: Bec d'Ambés :) ubi Garumna et Dordonia conjunguntur, Leucâ supra Blaviam, et quinque infrà Burdegalam. Olim munita erat, estque antiquissima: eam celebrat Ausonius in poemate ad Leontium Burdegalensem ~~Episcopum~~ Archiepiscopum. Habet commodum portum, in quem naves et Scaphæ maritimi æstûs ope provehuntur, atque indè Civium vina devehunt. Quondam ibidem erat Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini sub nomine S. Vincentii; modò sola illius Ecclesia est residua, in qua Canonici Officium divinum peragunt.

147. ~~[illegible]~~

§. II.

De Santonia.

Santonia, Santones, seu Ager Santonicus (: Saintonge seu Xaintonge :) Limites habet ad Orientem Engolismensem et Petrocoriensem Agros; ad Septentrionem Pictaviam et Tractum Alnetensem; ad Occidentem Oceanum; et ad Meridiem Tractum Burdegalensem et Garundam. 25. circiter Leucarum est ejus longitudo, et 12. latitudo. Carantonus (: La Charente :) eam in Septentrionalem et meridionalem dividit. Nomen habet à Santonibus apud veteres Scriptores apprimè celebratis populis, qui Celtis adnumerati sunt, donec Augustus eos Aquitaniæ adjunxit. Cæsar in suis Commentariis Santoniæ fertilitatem commendat.

Ubi Aquitania in primam et secundam dispartita fuit Santoniæ populi secundæ adjecti fuerunt. Metropolis eorum Mediolanum nuncupabatur, necnon suprà montem posita erat, in eâque, præter alia veterum magnificentiæ monumenta, Amphitheatrum visebatur: at postquam Urbs hæc, quam usque ad Sæculum V. Scriptores Mediolanum nuncupant, à Vandalis aliisque Barbaris, qui Hispaniam contendentes Galliæ pervagati sunt, penitùs excisa fuisset, postmodùm restaurata et paulò commodiori loco constituta fuit, necnon, neglecto plerumque veteri ipso populi sui nomine communiter Santones dicta est.

Post cladem et interitum Alarici Gothorum Regis Franci Regionem hanc occupaverunt, suorúmque Regum facta est; post Speciales habuit Dominos, sed à Ludovico Sancto iterùm Coronæ attributa fuit; deindè ad Reges Angliæ pervenit, quos Philippus Pulcher expulit; at posteà Angli devicto et capto Joanne Franciæ Rege, denuò illius possessionem adepti sunt: tandem à Carolo V. recuperata penes eum Successoresque suos hactenus permansit.

Praeter Carantonum |: La Charente :| Vultonia |: La Boutonne :| Santonian perfluit.

Santonia fertile solum habet, quod frumentum in abundantiâ, vinum optimum, et omnis generis fruges profert, adeò, ut in proverbii consuetudinem venerit, quòd, si Francia orum foret, Santonia idius vitellus esset. Abrotthinum quod hîc crescit, Romanis jam notum fuit, atque sub virgæ Santonicæ vocabulo ab ipsis commendatum. Hujus Regionis Sal præcipuam idius commercii partem constituit, nec totâ Europâ præstantius est invenire: adsunt etiam varii fontes salubres: Santonicæ equi etiam magni æstimantur, ex quibus Insola quotannis insigne faciunt compendium: Uniones seu Margaritæ vulgò Perla, quæ in Carentono piscatu capiebantur olim quoque quidpiam pecuniarum referebant, at modò piscatu hoc supersedisse videtur. Quidam Geographi Santoniam Provinciæ Aurelianensi adscribunt, sed, ut nobis videtur, perperam. ocurrit

Jò Santones, Santona, Civitas Santona, Urbs Santonica, item Mediolanum Santonum, et Charentonus |: Saintes, olim Xaintes seu Sainetes :| Urbs antiquissima, Caput provinciæ, et Sedes Episcopi Metropolitæ Burdegalensi subjecti, sita ad ripam Carantoni seu Carentonis |: La Charente :| in eminenti loco 15. leucis à Rupella versùs Eurunotum, totidem ab Engolisma versùs Savonium, et 23. à Burdegala versùs Boream. Civitas hæc ætate Ammiani Marcellini spectabilis admodùm erat; Carentonum hîc pons tegit arcu triumphali instructus, cujus coronam Inscriptio latina occupat, quæ adeò abstersa est, ut legi haud possit; opinio est eum sub Tiberio Imperatore constructum fuisse: adsunt etiam Aquæductus, Amphitheatri reliquiæ, aliæque Romanæ antiquitates.

Urbs hæc hodie exigua est, viis idius angustis et improbè constitutis. Ecclesia Cathedralis sub nomine S. Petri à Carolo M. ædificata fuit, Hugonoti eam penitùs demolîti sunt solo campanili relicto. Præter eam variæ adhuc hîc numerantur Ecclesiæ et Monasteria.

De antiquo Ecclesiæ Santonensis statu asseri potest, quòd sub Carolo Martello à Saracenis Urbs ipsa devastata fuerit, ac postmodùm idius, si qua fuerunt, documenta vel ab Anglis abducta, vel ab Hugonotis combusta fuerint. Populi traditio est S. Eutropium à S. Clemente Papa hùc missum primum fuisse hujus Civitatis Episcopum. Extra illam in extrema ejusdam ipsius Suburbii parte S. Palatius Ecclesiam S. Eutropii eo loco ædificari curavit, q nihil certi

quo hujus Sancti corpus reperit: ea duobus choris constat et una navi, è qua ad utrumque patet aditus; Chorus seu Ecclesia inferior est Parochialis, superior verò Collegiata. In inferiori extant adhuc reliquiæ Sepulchri S. Eutropii, sunt fragmenta ingentium et clathra ferrea septorum lapidum, quorum rasura vino albo in exigua quantitate immixta et per novem continuos dies deglutita omnibus febribus mederi dicitur.

Santonæ varia memorantur celebrata Concilia scilicet an. 563. 1075. 1080. 1088. et denique 1096. in quo jejunium in Vigiliis Apostolorum præceptum fuit.

2º. Rupifortium seu Rupes fortis |: Rochefort:| Urbs posita ad ripam Carantoni leuca et semi ab ipsius ostio; tribus leucis à Broagio |: Brouage:| et sex à Rupella ad Euronotum, cum portu opportunissimo. Olim nonnisi exiguum et vile erat oppidum, quod Ludovicus XIV. Urbem satis spectabilem fecit ac maritimis Civitatibus adscripsit. Adest magnificum Nosocomium, plures apothecæ omnibus ad rem maritimam spectantibus optimè instructæ, necnon armamentarium. Fluvii aditum tuentur varia munimenta, quæ navigiis portui appropinquare tentantibus illum reddunt inaccessum. Quidam Geographi Urbem hanc Alniæ |: Pays d'Aunis:| quæ antehac pars erat Santoniæ, attribuunt.

3º. S. Joannes Angeriacus |: S. Jean d'Angely, propriè Angeri:| Urbs sita ad ripam Vultoniæ |: Boutonne:| sex leucis à Santonibus versùs Euro-aquilonem, tredecim à Rupella versùs Euronotum. Olim magnificum Castrum erat in medio Sylvæ ædificatum, et in quo Duces Aquitaniæ sedem suam fixerant. Ejus loco Pipinus Rex cognomento Brevis, accepto S. Joannis Edesseni capite circà an. 742. elegans Monasterium Benedictinum construi curavit, illudque hujus Sancti nomine S. Joannem Angeriacum dixit. Ibidem deinde Oppidum exortum est, cui idem nomen inditum fuit, quod successu temporis ea sumsit incrementa, ut Urbs evaserit. Certè sub Regno Philippi Pulchri jam spectabilis Urbs esse debuit, enimverò Rex iste an. 1204. illius Consuli et Scabinis eorúmque successoribus nobilitatis privilegium concessit, quòd Cives ex ea Anglos pepulerint.

An. 1562. Comes Rupifucaldius |: Rochefoucaut:| Calvinistarum Dux ad eam castra movit, at obsidionem solvere coactus fuit, aliquanto post tempore tamen Hugonoti eam subegerunt novisque munimentis auxerunt. At an. 1569. Dux Andegavensis, qui posteà sub nomine Henrici III. Rex factus est, illam post duorum mensium obsidionem obtinuit desideratis suorum 10000. postmodùm Calvinistis denuò cessit,

Civesque fere omnes Calvinismum amplexi sunt. an. 1620. adversus Ludovicum XIII. rebellavit; qui an. 1621. eam obsedit, ac post sex mensium obsidionem subegit, munimentis nudavit, civesque privilegiis suis muletavit. Extra Monasterium Benedictinum S. Joannis Angeriaci Congregationis S. Mauri, cujus Abbas Civitati in temporalibus dominatur, adsunt hic Franciscani Discalceati, Capucini et Ursulinæ. Extrà Urbem ad ripam Vultonia sunt duæ molæ, in quibus pulvis pyrius totius Galliæ optimus conficitur.

Pond. 148.

§. III.

De Agro seu Provincia Petrocoriensi.

Ager seu Provincia Petrocoriensis seu Petricoriensis |: Le Perigord :| limites habet ad Septentrionem Agrum Engolismensem et partem Marchiæ, ad Orientem Agros Lemovicensem et Cadurcinum Superiorem, ad Meridiem Agennensem et Vasatensem Tractus, necnon Cadurcinum Inferiorem, et ad Occidentem Agrum Burdegalensem, et partem Santonicæ. Ejus longitudo est circiter 33. et latitudo 24. leucarum. Nomen habet à veteribus Petro- seu Petricoriis Celtarum populis, quorum Cæsar in suis Commentariis meminit, et quos Augustus Aquitaniæ adjecit, quique ubi provincia hæc in primam et secundam divisa fuit, ad secundam tracti fuêre, atque Burdegala eorum Metropolis facta est.

Initio Sæculi V. hæc provincia in Gothorum venit potestatem, quibus postèà Franci illam eripuerunt. Merovingi Reges Neustriæ eam possederunt usque ad tempora Ludis, qui Supremum in Aquitania Dominium sibi asseruit, è quo ipsius Nepos Waifarius à Pipino Caroli M. patre exturbatus fuit. Carlovingi Reges eidem per Comites Præfectos dominati sunt usque ad Sæculum X. quo Comites isti illius proprietatem obtinuerunt sub Supremo Aquitaniæ Ducum dominio. Postmodum sub titulo emtionis Regum Angliæ facta est, denique ad Reges Galliæ rediit, à quibus et Coronæ adjuncta est.

Provincia hæc populosissima est, ac omnibus impositionibus exempta. Dividitur in Superiorem seu Albam, et Inferiorem seu Nigram ita dictam, quòd Sylvis priori magis abundet. Præcipui, quæ illam perfluunt fluvii sunt Dordonia |: La Dordogne :| Vezera |: La Vezere :| Insula |: L'Isle :| et Vezera Superior |: la Haute Vezere :| tres ultimi

cataractis seu claustris aquariis fiunt navigabiles. Solum illius Zeam profert et Hordeum: copiosos habet montes nucibus et castaneis divites: adsunt etiam ferri fodinæ, et aquæ minerales: aër quoque hîc spirat purus et saluber. Incolæ armis et militiâ delectantur, facile ad iram moventur: adest etiam multa Nobilitas quam vetustas præ opulentia commendat. occurrit

1º Petricorium seu Petricordium, item Petrocorium et Petrocorii, necnon Civitas Petrocoriorum |: Perigueux:| Urbs ad ripam Insulæ |: L'Isle:| fluvii 20. leucis à Lemovicis |: Limoges:| versùs Africum, 15. ab Engolisma ad Euronotum, et 26. à Burdegala versùs Euro-Aquilonem sita, Caput provinciæ olim Vesuna dicta, prout ex Ptolomæo liquet, quod nomen jam sæculo IV. omninò deposuit, atque à populo suo Petri seu Petrocorium dici voluit. Turris Vesuna, reliquiæ Amphitheatri, et alia quædam veterum monumenta tot sunt illius remotæ antiquitatis argumenta. Turris Vesuna, quæ adhuc integra perstat, rotundæ figuræ est et ultra 100. pedes alta, nec portam nec fenestras habet, aditusque ejus est subterraneus; creditur fuisse Templum Veneris. Urbs vetus magni erat ambitûs, multotiesque à Barbaris devastata fuit; quæ nunc extat rotunda est densis fortibusque muris cincta. Optimo loco posita ab omni vectigali immunis est.

Habet Episcopum Archiepiscopo Burdegalensi subjectum. Jam ante 700. annos Antistites Petrocorienses contendebant Petrocorienses Comites hujus Episcopalis Civitatis haud esse Dominos, cujus nempe supremum dominium ad Duces Aquitaniæ pertineret, jus verò cudendæ monetæ ad Episcopum; dominium autem utile et jurisdictio ad Ecclesiam S. Frontonis pertineret: hæc Ecclesia olim erat Monasterium Canonicorum Regularium, at ubi illius bona omnia ad Episcopales reditus tracta fuêre, tum et hæc jura, quæ ad illam pertinebant, facta sunt Episcopi, qui Regis Condominus est, quemadmodùm ipsius antecessores cum Duce Aquitaniæ fuerunt.

Episcopatus iste perantiquus est, ajuntque S. Frontonem hîc primum fuisse Episcopum. Monasterium, quod ipsius nomine insignitum erat, jam à longo tempore Episcopatui annexum est atque Ecclesia Collegiata factum; at Capitulum ipsius primùm ante 70. circiter annos Capitulo Cathedralis Ecclesiæ adjunctum fuit; cùmque Ecclesia Cathedralis, quæ in

Civitate est, à Calvinistis devastata fuisset, nec plenè restaurari potuisset, post binorum horum Capitulorum conjunctionem Officium divinum ad Ecclesiam Sti Frontonis translatum fuit, ipsáque Cathedralis facta, adeò, ut vetus modò nonnisi Parochialis sit Ecclesia. Dominicani, Franciscani, Augustiniani, et Moniales S. Claræ hîc Conventus habent, et Jesuitæ Collegium; adest etiam Nosocomium ad ripam Insulæ |: L'Isle:| fluminis, unde super speciosum pontem ad Suburbium fit transitus.

Petrocorium est patria Aimari Ranconneti eruditissimi Seculi XVI. viri; primùm in Curiâ Burdegalensi Senator fuit, deinde Præses Cameræ Inquisitionum Parisiis, post incestûs cum propria filia patrati insimulatus Bastillæ inclusus est, ubi moerore et tædio confectus anno ætatis suæ 60mo vitam posuit. nulla unquam ac sua infelicior familia visa fuit; ipsius filia super fimetum ~~posuit~~ mortua est; filius in pegmate manu carnificis interiit; uxor fulmine tacta periit.

2º Sarlatum |: Sarlat:| Secunda provinciæ Urbs incommodè sita, loco nempe depresso montibúsque circumdato, ad rivum ejusdem secum nominis, Leuca una et semi à Dordonia flumine, undecim à Petrocorio versùs Euronotum, quatuordecim à Caduris |: Cahors:| versùs Caurum, et triginta quinque à Burdegala versùs cæciam. Ortum suum debet Monasterio Benedictino, quod sub Pipino et Carolo M. fundatum dicitur in valle, cujus dominium et proprietatem ante 700. vel 800. annos Bernardus Comes Petrocoriensis Abbati et Monasterio huic donavit.

Habet Sedem Episcopalem sub Metropoli Burdegalensi à Joanne Papa XXII. erectam. Monachi Benedictini hujus Cathedralis Ecclesiæ q semper constituerunt, utpote quorum Abbas Episcopus erat, donec sub Francisco II. Rege Pius Papa V. solemni decreto sæculares fecit; Monachi tamen primùm post ~~hij~~ annum ab hoc decreto sæculum deposito cucullo induerunt.

q Capitulum

Civibus hîc admodùm curta supellex est, quod solum habeant ingratum, nec ullum nisi olei caryni ipsis sit commercium. Tructæ, quæ in Sarlato rivo capiuntur optimæ sunt et selectæ.

3º. Begeracum |: Begerac:| urbs exigua in Inferiore seu Nigra provinciæ parte collocata ad ripam Dordoniæ octo leucis ad Africum à Petrocoria, 20. ad Eurum à Burdegala. Hic trajectus Dordoniæ olim famosus erat; Angli Sæculo XIV. hanc urbem munimentis instruxerunt, è qua an. 1371. Ludovicus Andegaviæ Dux illos ejecit. Sæculo XVI. Cives Calvinismum amplexi an. 1561. rebellârunt, ac in omnibus bellis, quæ ob Religionis discrimen gesta fuêre, multoties capta et recuperata fuit; undè famam quamdam adepta est, cum ~~primo~~ antiquitùs nonnisi vile oppidum fuerit Brajeracum |: Brajerac:| dictum. Hugonoti ubi ultimò eam receperunt, multis propugnaculis auxerunt, id tamen haud obfuit, quin Ludovicus XIII. an. 1621. illam subegerit, atque munimentis suis mudârit.

Urbs hæc antehac celebre Emporium erat, necnon adeò populosa, ut in ea et districtu suo ipso rescissionis Edicti Nannentensis tempore ultrà 40000. Calvinistarum numerata fuisse dicantur. Solum ejus optimum vinum, fructus, et frumentum affluenter profert. Adsunt etiam in ipsius districtu quamplures Ærariæ et Chartariæ Officinæ.

149. ~~[illegible]~~

§. IV.

De Provincia Lemovicensi.

Provincia Lemovicensis seu Limovicensis, vel Lemovicium |: Le Limosin seu Limousin:| limites habet ad Septentrionem Marchiam, ad Orientem Alverniam, ad Meridiem Cadurcinum Pagum, et ad Occidentem Petrocoriensem et Engolismensem Pagos. Nomen habet à populis Lemovicensibus, qui ætate Julii Cæsaris inter Celtas celeberrimi et fortissimi partes Vercingetorigis Celtarum Principis pertinaciter tutati sunt. Augustus in nova sua Galliæ partitione Aquitaniæ eos adjecit, et ubi hanc provinciam ulteriùs divisit, primæ Aquitaniæ adnumerati fuerunt, cujus Biturigæ Metropolis erat, undè etiam Episcopatus Lemovicensis semper sub hac Metropoli fuit, et adhuc etiamnum perstat.

Provincia hæc eandem ac reliquæ Aquitaniæ Regiones sortem habuit, nempè à Romanis ad Visigothos, quos dein expulit Clodovæus Francorum Rex; à Francis ad Anglos, et ab his denuò ad Reges Franciæ pervenit. Dividitur in Superiorem et Inferiorem: Superior frigida est quia montosa; Inferior verò magis temperata, imò quibusdam

in locis, præsertim circà Brivam |: Brives :| urbem, admodum callida est.

Regionem hanc Castanearum Sylvæ contegunt, quarum fructus sunt præcipuum Incolarum alimentum: nec alibi Sylvæ reperiuntur, quarum ligna ad elegantem materiaturam aptiora sint. Solum quod castaneæ aut aliæ arbores haud occupant, siliginem, communiùs autem speltam profert; in eo etiam seminatur far Turcicum, necnon quædam ingentium raparum species. Far Turcicum, rapæ, castaneæ sunt ordinarium rusticorum imò et plebejorum nutrimentum: falsum tamen est, quod aliqui referunt, hîc ex castaneis panem confici, cùm castaneæ nec molam patiantur, nec ad modum farinæ coqui se permittant. Provincia superior quidpiam vini profert, quod nonnisi plebejis usui esse potest; at Inferior vinum suppeditat, quod Burgundico vix palmam cedit. Adsunt etiam variæ plumbi, æris, stanni, et calybis fodinæ. Pecorum negotiatio hîc etiam ampla est, provinciaque hæc vicinis provinciis, et Parisiensibus Mercatoribus boves et alia armenta subministrat; equos habet totius Franciæ pulcherrimos et optimos. Adsunt quoque Armorum Officinæ, et panni Opificium quo Incolæ et milites vestiuntur. Denique amplum Chartæ commercium. Plebs frequenter murariam exercet, adeò, ut plerique per totam Franciam Murarii ex hac provincia ortum ducant, hinc commune Lemovicensium effatum: Ton fils a-t-il de l'esprit? boute lou masson; n'en a-t-il point? ficha lou Prêtre, idest: filius tuus præstatne ingenio? fac eum Murarium; an secus? fac Presbyterum.

Provincia hæc Romano seu scripto jure regitur, atque supremo Burdegalensi Senatui subest; tributis et vectigalibus est immunis, quòd velut extera provincia habeatur. Incolæ quodammodò feroces sunt, séque levi de causa mutuò conficiunt ac mutilant. In superiori illius parte notatur

1.º Lemovicæ, Lemovica Urbs, Civitas Lemovica, Lemovicina, et Lemovicum Urbs |: Limoges :| posita est partim supra collem partim in valle ad ripam Vigennæ |: Vienne :| 20. leucis ad Euro-aquilone-mesem à Petrocorio, 28. ad Euronotum à Pictavio. Illius et Suburbiorum suorum ambitus est circiter unius et semi leucæ: inconcinnæ ædificata est, nullum in ea

forum publicum, quod satis amplum sit, aedes ejus sunt lignariae, intra se invicem artatae, obscurae, frequentibusque incendiis obnoxiae: optimis moenibus, fossis profundis et septem portis instructa est. Dividitur in Urbem et Civitatem.

Quidam volunt eam nomen suum sortitam esse à suo fundatore veteri Principe Galloe, cui nomen Lemovix erat; at verisimilius est, quòd, quemadmodum alia Galliarum Civitates, populorum suorum, quos Strabo Γεωγραφ. lib. 4. p. 249. Κερροβίκες, Plinius Hist. nat. lib. 4. c. 19. Λαρουϊκοί seu Λιμουϊκοι vocant, nomen sibi sumserit, quodnam verò antèa ipsius nomen fuerit, non conveniunt eruditi: aliqui volunt eam fuisse Ptolomaei Ratiastum, alii Limonum; at convenientius videtur hîc Ptolomaei et Antonini Itiner. p. 462. Augustoritum, seu ut alii legunt, Augustorium, Augustoricum, Augustoretum quaere. Romanorum aetate Lemovicis erat Amphitheatrum, et alia adhuc ibi supersunt vetera aedificia, necnon multa antiquitatis reliqua.

Urbs haec habet Sedem Episcopalem sub Metropoli Bituricensi. Lemovicenses contendunt S. Martialem unum ex Christi Discipulis ipsorum fuisse Apostolum primúmque Episcopum; at nullum hac de re proferunt Veterum testimonium. Gregorius Turonensis memorat S. Martialem una cum aliis sex Episcopis sub Consulatu Decii et Gratî an. 250. Româ in Galliam missum fuisse: at hoc etiam ab aliis in dubium vocatur, nec certus quidam Lemovicensis Antistes agnoscitur ante Ruricium, cujus meminit Sidonius Apollinaris, et ad quem an. 470. epistolam scripsit.

Praeter Ecclesiam Cathedralem Urbs haec multas alias numerat Ecclesias; inter quas eminet ea, quae S. Martialis dicitur; eam frequentia populi, quem erga Sanctum hunc devotio adduxit, celebrem effecit. Adsunt etiam plura utrinsque sexûs Monasteria et Conventus, ut et Seminarium. Jesuita hîc quoque habent Collegium, quod modo deseruerunt.

Quamvis Civitas haec nec Maris portum nec navigabile flumen habeat, nihilominùs frequens exercet commercium, cestique merium, quae Lutetiâ Tolosam et hinc illuc transmittuntur. Sequestratorium, ut et librarium, quae Burde-

gala Lugdunum et viciſſim transportantur. Mercatores Lemovicenses coriis, quod in hac urbe praeparatur, papyri, et pannorum insignem exercent negotiationem; solea ferreae, quae hîc fabricantur, valut optimae habentur, atque Parisios et in alias celebriores Franciae Urbes transferuntur.

Saeculo XI. hîc habita fuêre duo Concilia I. an. 1029. in quo quaestio agitata fuit, num S. Martialis Episcopus Lemovicensis Apostoli, quod Lemovicenses postulabant, an vero Confessoris duntaxat, prout alii contendebant, titulo decorandus esset; cùm autem primum hoc Concilium id definire haud valuisset, an. 1032. et ut, quidam volunt, an. 1034. aliud Bituricis, et postmodùm Lemovicis actum est, in quo conclusum fuit S. Martialem titulo Apostoli condecorandum fore; huic Synodo praefuit Aimonius Borbonius Archiepiscopus Bituricensis. an. 1182. aliud adhuc concilium ab Henrico Papae Nuntio hîc celebratum memoratur.

2°. Nobiliacum |: St. Leonard le Noblet seu Noblac :| Urbs antiqua satis ad ripam Vigenna |: Vienne :| posita quinque leucis ad Orientem à Lemovicis in confiniis Marchiae. Ei in temporalibus Rex et Episcopus Lemovicensis communiter dominantur. Habet celebrem officinam Chartariam, et officinam pannorum, quibus vestes pro plebe et militibus conficiuntur. Originem suam acceptam refert veteri cuidam Monasterio seu Abbatiae Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, quae in annalibus Ecclesiasticis ab an. 541. sub nomine Nobiliaci nota est; ea postmodum saeculari facta fuit. Urbis patronus est S. Leonardus, qui S. Martiali coaetaneus fuisse dicitur, et quem Cives summa veneratione prosequuntur, unde Urbem suam lingua patria Jesus nomine insignierunt.

3°. Tutela |: Tulle :| Caput Inferioris provinciae sita ad confluentem Corresiae |: Corrèze :| et Salonae |: Salone :| partim in declivitate montis partim in ipsius pede 15. leucis versùs Euronotum à Lemovicis loco, quem montes et colles horridum et asperum efficiunt. Ortum suum debet Monasterio Ordinis S. Benedicti à Monachis veteribus, qui poenitentiae gratia in hac solitudine residerunt, exstitutum sub nomine S. Martini, quod et Urbis condendae occasio fuit. Normanni eam an. 846. penitus devastarunt, atque primùm anno 930. restaurata fuit. Ambitus ejus est unius

leucæ et Semi, atque in ea 1200. foci numerantur et 5000. personæ. Titulo Vice-Comitatûs fruitur. Habet Episcopum Archiepiscopi Bituricensis Suffraganeum, qui ei tàm in temporalibus quàm Spiritualibus præest.

Episcopalis Sedes hæc primùm an. 1317. erecta fuit à Joanne Papa XXII. atque Arnoldus à S. Astano dicti Monasterii Abbas primus Episcopus creatus est: Monachi Capitulum Cathedrale semper constituerunt usque ad an. 1514. quo à Leone Papa X. ad Statum Sæcularem translati fuerunt. Jesuitæ ab an. 1620. hîc habent Collegium. An. 1491. Franciscani Conventuales dicti hîc suscepti fuerunt, quibus an. 1601. Recollecti successêre. Moniales S. Claræ, Visitationis, et Urselinæ etiam habent in hac Urbe Conventus.

Fidelitas Civium Carolum V. Franciæ Regem impulit an. 1370. ut eos iisdem privilegiis ac Cadurcinos et Montalbenses donaret unà cum immunitate ab omnibus oneribus.

150. ~~[illegible]~~

§. V.

De Tractu Cadurcensi.

Tractus seu Pagus Cadurcensis vel Cadurcinus (: Le Querci seu Quercy :) confinis est ad Septentrionem provinciæ Limovicensi; ad Orientem Ruthenis et Alverniæ; ad Meridiem Languedociæ Superiori, à qua Tarni (: le Tarne :) fluvio separatur, et ad Occidentem Aginnensi et Petrocoriensi Tractibus.

Nomen habet à Cadurcis Celtarum populis, quorum virtus et fortitudo in Cæsaris Commentariis laudatur, quique Vercingetorigis partes adusque extrema tuiti sunt. Ab Augusto Aquitaniæ adjecti fuêre, et ubi hæc provincia in Primam et Secundam distributa fuit, primæ et sub Metropoli Bituricensi assignati sunt.

Sæculo V. Virigothi Pagum hunc occupaverunt, et initio Sæculi VI. à Francis expulsi fuerunt. Initio Sæculi VIII. Eudes seu Otto cum tota Aquitania unà et Pagum hunc sibi asseruit, cujus possessionem illius Successores retinuêre usque ad Pipinum, qui universam Aquitaniam subegit. Sæculis X. XI. et XII. Comites Tolosani eidem dominati sunt; at cum initio Sæculi XIII. Raymundus Tolosanus Comes Albigensium partes tueretur, omnibus suis ditionibus ab exercitu Catholico dejectus est. Tractúsque Cadurcensis illius Episcopo traditus fuit sub Supremo et directo Regis Franciæ dominio, quod postmodum bina vice ad Reges Angliæ pervenit, donec

tandem Carolus V. Francia Rex Tractum hunc Anglis eptum Corona in perpetuum adjunxit. jam an. 1306. vel 1307. Raymundus Pauchelius |: Pauchelle :| Philippum pulchrum, qui Anglos hinc expulerat, in illius Dominii utilis Societatem asumserat.

Dividitur in Superiorem et Inferiorem. Superior vallibus constat juxta Lotum |: Lot :| flumen positis; quæ circà Avenionum |: Aveiron seu Aviron :| sunt loca urbes inferiores nuncupantur. Regio hæc frumenti, vini albi, pruinorum, et pirorum dives est. Hic etiam oriuntur elegantes variarum Specierum tulipæ, quæ alibi nequaquam inveniuntur. Notatur

id Caduci |: Cahors :| Urbs Caput provinciæ seu Tractûs ad Lotum |: Lelot :| flumen, quæ pene circumcingitur, posita 20. leucis ad Eurum ab Albiga. 25. ad Boream à Tolosa. Vetus hujus Urbis nomen est Devona seu Divona Cadurcorum, prout notavit Ptolomæus, in Tabula Peutingeriana scribitur Bibona, sed apertum est, quòd legi debeat Divona; nomen hoc Sæculo IX. adhuc in usu fuit, postmodùm autem Urbs hæc populi sui nomen assumsit, atque Caduci dicta est. Vetus est et ampla, atque octo millia circiter animarum numerat, at simul inopia premitur, Strata ejus angusta, ædesque humiles et malè ædificatæ sunt. visuntur etiam Amphitheatri reliquiæ, quod ex ingens lapidibus quadratis constructum erat.

Est Sedes Episcopi olim Burdigalensis modò Albigensis Metropolitæ Suffraganei. S. Genulphus an. 206. primus hic Episcopus fuisse memoratur. Adest etiam Universitas à Joanne Papa XXII. ejus hæc Urbs patria fuit, an. 1332. fundata. Facultas Juridica quondam Professores habuit Doctrinâ conspicuos, inter quos præcipuè celebratur Cujas seu Cujacius, qui hinc Biturigam profectus ibidem occubuit. Jesuita hic habent Collegium, Suntque membra Universitatis*. Adest etiam Seminarium, ubi Patres Missionis S. Lazari præsunt.

Sæculo XVI. fervente bello intestino multa adversa hæc civitas perpessa est, quòd tunc munitissima haberetur, tùm ob Situm suum, tùm ob ei impendens Castellum in Saxo positum. an. 1562. Calvinista hic sub auspiciis exterorum Studiosorum, qui magno numero sub Francisco Roaldesio Duce operam navabant, Religionem suam prædicare cœperunt, at Catholici ad arma convolantes multorum spiritus compresserunt. Eandem an. 1580.

* modo absunt.

Henricus Navarræ Rex, qui posteà sub Henrici IV. nomine Regnum Galliæ adeptus est, confractis Polyclastro |: Betard :| portis Urbem hanc occupavit, atque militibus suis diripiendam tradidit. Hîc bellicum hoc instrumentum ad interripiendas urbes comparatum, et ab Hugonotis an. 1579. excogitatum primò adhibitum fuisse, historia memorat.

2°. Mons Albanus seu Montalbanum |: Montauban :| Urbs Spectabilis Inferioris Cadurcensis Pagi suprà collem posita, cujus pedem Tarnis adluit, 14. leucis ad Meridiem à Cadurcis, et 11. ad Septentrionem à Tolosa, in confiniis Languedocia. Vetus fundi est, et unà cum Monasterio Benedictino, quod Mons Aureolus, item Monasterium seu Abbatia Sancti Theodardi dictum est, sumsit initium, anno quippe 1144. ab Alphonso Comite Tolosano Raymundi de S. Ægidio |: de St. Gilles :| filio in hujus abbatiæ vicinia ædificata fuit; unde dicta Abbatia vasalli seu subditi loci amœnitate ideati relictis Stationibus suis ad novam hanc Urbem confluerent, hac de re apud memoratum Alphonsum conquestus Abbas illius Dominium ab illo obtinuit.

An. 1317. Joannes Papa XXII. in hac Urbe Sedem Episcopalem erexit, atque Metropoli Tolosanæ subjecit, et Joannem Bertrandum de Podio |: Dupuis :| dicti S. Theodardi Abbatem primum illius dixit Episcopum. Monachi Benedictini aliquanto adhuc tempore in nova Cathedrali Ecclesia permanserunt, at postmodùm eorum loco Sæculares Canonici in eam introducti fuêre qui præbendarum ac Monasterii Officiorum possessionem arripuerunt; famosus sub Ludovico XII. Georgius ab Ambasia |: Amboise :| an. 1484. hujus Cathedralis Ecclesiæ Eleemosynarius erat cum ad hujus Urbis Episcopatum assumptus fuit, qui posteà Rotomagensis Archiepiscopus et Cardinalis factus est.

Comites Tolosani, et post ipsos Reges Franciæ unà cum Episcopis Condominis suis hujus Urbis multis præclara privilegia et immunitates concesserant, quibus ipsi abusi sunt. An. 1572. sub Regno Caroli IX. Calvinianum amplexi, regiâ autoritate contemtâ quamdam Reipublicæ speciem in hanc Urbem invexerunt, quam et variis propugnaculis munierunt. Ludovicus XIII. armis eos subigere frustrà conatus est, anno 1621. quippe admotis ad Urbem castris cum obsidere cœpit, at quamplurimis suorum desideratis recedere debuit. Montalbani igitur in suâ inobedientiâ perstitêrunt usque

ad an. 1629. quo cæterorum Hugonotorum exemplum secuti tandem Regi se submiserunt. Cardinalis Richelius Urbem ingressus eam munimentis suis nudavit.

Creditur Urbs hæc nomen habere à Salicibus, quæ magna copia agrum suum occupant, atque lingua Vasconica Alba vocantur. Tres sunt illius partes, prima dicitur Civitas Borbonica, altera simpliciter Civitas, et tertia Urbs nova; prima nonnisi suburbium est, quod fluvius eleganti ponte stratus à binis aliis separat. Palatium Episcopale, fons Gryphus |: Grifon :| et Falesia |: Falaise :| quæ præclarum est ambulacrum ad ripam Tarnis, sunt ea, quæ in hac Urbe videntur memorabilia. Jesuitæ hîc habuerunt Collegium. Adest etiam Academia litteraria. p.

Quoniam Episcopus varia bona et parœcias in Languedocia, in quam haud exigua Montis Albani districtûs pars protenditur, possidet, hinc etiam in hujus provinciæ Comitiis votum et sessionem obtinet. Montis Albani districtûs pars, quæ Languedociam occupat, frumenti, vini, prunorum, cocci, et tabaci dives est; hæc omnia Tarni et Garumna Burdegalam devehuntur. Pascua etiam habet optima.

§. VI. 151

De Provincia Ruthenensi.

Provincia seu Regio Ruthenensis vel Ruthenorum et Ruthensium, necnon Ruthenus Ager, aut simpliciter Rutheni |: Le Rouergue, Rouargois, seu le Païs de Rhodes :| limites habet ad Orientem Tractum Cemmenium Superiorem, et Gabalicum Pagum; ad Septentrionem Alverniam et partem Cadurcensis Tractûs; ad Occidentem eundem Cadurcensem Tractum; et ad Meridiem Languedociam. Ejus longitudo est circiter 30. latitudo 20. leucarum. Dividitur in Comitatum; Superiorem, et Inferiorem Marchiam. Nomen habet à Ruthenis Celtarum populis, quorum Cæsar in suis Commentariis aliquoties meminit. Augustus eos Aquitaniæ adjecit. Id minimè obest, quin pro parte aliqua per tempus quoddam Galliæ Narbonensi adscripti fuerint, prout ex Plinio discimus, vel potius, quemadmodum idem Plinius memorat, eidem Galliæ Narbonensi confines duntaxat fuerint. Ubi Aquitania in binas partes divisa fuit, quod sub Imperatore Valentiniano I. factum quidam ajunt, Rutheni ad primam Aquitaniam tracti fuerunt.

Regio hæc eandem sortem habuit, ac ipsa Aquitania et reliquæ illius provinciæ, quas hactenus expendimus, adeò ut supervacaneum videatur ea hîc

denuò repetere, quæ totiès jam retulimus. Sufficiat hîc dixisse, eam, ubi post Romanos à variis possessa fuit, tandem ad Reges Franciæ vi conventionis Ludovicum Sanctum seu IX. inter et Regem Arragoniæ an. 1258. initæ, redisse.

Provincia hæc non admodùm fertilis est; attamen in ea frequens exercetur pemaria, adsunt etiam Ferrina aris, ferri, aluminis, calchanti, et sulphuris. Maxime illius divitiæ sunt pecora et lana. Ex Mulorum præsertim cum Hispanis negotiatione adusque trecenta Sartorum millia Jugulis obveniunt.

Fluvii, qui eam perfluunt, præcipuè numerantur Tarnis |: le Tarne :| Lotus |: le Lot :| et Averonius |: l'Aveiron seu l'Aveiron :| Notatur

1.o Ruteni, seu Ruthena, Urbs Ruthena, vel Segodunum Ruteni seu Ruthenorum |: Rodes :| Caput provinciæ posita supra collem montibus circumdatum inter Averonium et rivum, qui in illum influit, 16. Leucis ad Orientem à Cadurcis, 18. ad Africum à Mimata |: Mende :| Dividitur in Civitatem et Oppidum. Ptolomæus eam Segodunum nuncupat, quod nomen etiam in Tabula Peutingeriana notatur; at apud Gregorium Turonensem et eos, qui idem sentiunt, simpliciter Ruteni dicitur, quod populi sui nomen est.

Habet Sedem Episcopalem olim Bituricensi, modò Albigensi Metropoli subjectam, quæ jam anno 450. erecta memoratur. Hæc prima Galliarum Urbs dicitur, quæ Christianam amplexa est Religionem. Ubi Calvinismus Galliæ Regnum pervasit, hæc illum detestata Deo et Regi fidelis perstitit. In ea hæc civitas animarum millia numerantur.

In Ecclesia Cathedrali, quæ magnifica est, asservatur calceus aliquis, qui B.V. Mariæ fuisse dicitur* Ejus campanile, quod octogonum est, ob suam altitudinem celebratur. Præter eam adsunt adhuc multa alia Ecclesia et Monasteria, ut Franciscanorum Dominicanorum, Capucinorum, Cartusianorum, Monialium Congregationis B.V. Mariæ, Ursulinarum, et Abbatia Monasterium |: Monastier :| dicta.

In hujus Urbis districtu quamplurimi Muli magni et parvi educantur, quorum negotiatio frequens est, et quam Hispani spectabilem efficiunt. Ajunt in nundinis, quæ medio quadragesimæ celebrantur, eorum pro quinquaginta Sartorum* millibus distrahi, et in iis, quæ in festo S. Beati, quod in diem S. Martini sacram incidit, pro centum Sartorum millibus. Frequens ci-

* credat D, quivocabit.

* Psalm. 9 celebrantur,

140

am lintei cineri, et tenioris texturæ pannorum, qui in Languedociam et Italiam transferuntur, commercium est.

Non procul ab Urbe visitur Mons Cansanus |: Canstac :| qui olim, sicut Vesuvius; ignem evomuit, et adhuc tum, cum pluit, evomet: hîc æs, arsenicum, lapis Cyaneus, vulgò lapis Lazuli, et argentum effodiuntur. media ab eo Cuniculi ducuntur abyssus duentis passibus profunda et cujus introitus hexagituta latus est.

Urbem hanc bifariam dividi supra diximus, nempe in Civitatem et Oppidum, Civitati dominatur Episcopus, qui et titulo Comitis gaudet, Oppido verò Comes Saularis.

2°. Vabre, Vabrium, Vabrium, Vabrinum, et Vabrense Castrum |: Vabres :| Urbs exigua adeò, ut nullum pagum in tota provincia reperire sit, qui illâ populosior non sit. Ortum suum Urbisque nomen acceptum refert Monasterio Benedictino Sæculo IX. et sub regno Caroli Calvi, à quodam Raymundo Comite seu Præfecto Tolosano, vel, ut aliis placet, à Bernardo II. Comite Tolosano fundato. Sita est ad confluentem duorum rivorum, qui paulò inferiùs Tarni immerguntur 12. leucis ad Euronotum à Ruthenis, et 13. ad Eurum ab Albiga.

An. 1317. à Papa Joanne XXII. in ea Sedes Episcopalis erecta fuit et Metropoli Bituricensi subjecta; at ubi Albigensis Episcopatus factus fuit Archiepiscopatus, tum à priori avulsa huic adjecta est. Monachi per 260. Cathedrale Capitulum constituerunt, ac primùm an. 1577. sub Pontificatu Gregorii XIII. et regno Henrici III. ad Statum Sæcularem transducti fuerunt.

3°. Francopolis Ruthensis |: Ville Franche de Rouergue :| Ruthenorum seu Ruthensis Agri Urbs dignitate secunda et Caput Inferioris Marchiæ. Sita est ad Averonium septem leucis ad Occidentem à Ruthenis, ~~ninguo in Bigorra~~ [Foix] et indeque ad Euronotum à Cadurcis. Vetus haud est, ut quæ primùm sæculo XII. et eodem fermè tempore, quo Mons Albanus, ædificata fuerit. Populi qui tum hîc residerunt, annuente Alphonso Comite Tolosano domos sibi construxere urbemque effecêre, quæ mediantibus aris seu cuprivenis copiosis, quæ circa eam detecta fuerunt, haud vulgare cepit incrementum. Modò in ea sex animarum millia numerantur. Adest Ecclesia Collegiata, cujus Capitulum Præpositus et duodecim Canonici constituunt. Patres Doctrinæ Christianæ præclaram hîc habent Scholam. Dominicani, Franciscani Discalceati,

et Capucini habent Conventus. Extrà Civitatem loco amoeno collocatum est Carthusianorum Coenobium. Cives honesti sunt, et ergà quemlibet perquam officiosi. Ludovicus XIV. hanc Urbem novis munimentis auxit.

4º Miliadum, Milialdum, Milliadum, seu Æmilianum et Amilbanum |: Milhauden seu Millaud:| Caput Marchiæ Superioris; urbs hæc posita est ad ripam Tarnis non procul a pago Gabalico septem leucis à Luteva. Olim ad Reges Arragoniæ tanquam Comites Barcinonenses pertinuit. Antiqua videtur esse, quamvis ante Sæculum XI. de ea nullibi fiat mentio: Si vulgi traditioni fides, jam ætate Julii Cæsaris extabat, ut qui, prout asseritur, Uxellodunum obsessurus, ibidem pontem, qui hodiedum adhuc pons vetus nuncupatur, construi curavit. Cives Sæculo XVI. Calvinismum amplexi urbem propugnaculis munierunt; at ubi an. 1629. omnes in Guienna seu Aquitania et Languedocia Hugonotorum Civitates Ludovico XIII. se submittere coactæ fuerunt, tùm et hæc subacta munimentisque nudata fuit.

In hac Urbe ortus est Theodatus Guzo seu Gozo |: Gouzon seu Gozon:| S. Joannis Jerosolymitani Eques, qui, ut fertur, portentosum Draconem Rhodum Insulam devastantem interfecit. Audax facinus istud ope binorum canum executus dicitur; eos nempe ex charta similem confectum Draconem per genitalia corripere docuit et assuefecit, Urbem dein ~~egressus~~ cum iis egressus, dum immanem Draconem illum à fronte adoritur, canes à tergo in illius genitalia involantes ea tamdiu acriter compresserunt, donec ipse eum transfixerit. Quidquid ea de re sit, idem Theodatus an. 1346. Magnus Magister Equitum S. Joannis Jerosolymitani electus fuit.

Miliadi tria circiter animarum millia numerantur. In ea et suo districtu frequens est lanæ commercium, ut et casei et amigdalarum, &c.

152. 310.

§. VII.

De Tractu Aginnensi.

Tractus Aginnensis seu Ager Agianensis |: L'Agenois:| titulo Comitatûs gaudet; confinis est ad Septentrionem Petrocorio, ad Orientem Carducensi, ad Meridiem Aminiacensi et Condomensi, et ad Occidentem Vasatensi Tractibus.

Agrum hunc Nitiobriges Celtarum populi, quorum encomium Cæsar in suis Commentariis texit, olim incoluêre. Eorum etiam Strabo, Plinius, tabu-

la Peutingeriana, et Sidonius Apollinaris meminêre; ipsorúmque nomine Tractus iste nuncupatus fuit usque ad finem Sæculi V. vel initium VI. quo à Metropoli sua Pagus Aginnensis seu Agianensis dici cœpit.

Tractus iste iisdem vicissitudinibus et revolutionibus fuit obnoxius ac reliquæ Guinnæ seu Aquitaniæ provinciæ, donec tandem Carolus V. Franciæ Rex coronæ suæ illum adjunxit. In eo magna olei copia premitur, quod Incolæ partim in parandis cibis loco butyri adhibent, partim exteris vendunt. Notatur hic

Aginnum seu Aginum, vel etiam Agenno. |: Agen:| urbs posita ad dexteram Garumnæ ripam in amœna regione 10. leucis ad Euro-Aquilonem à Condomio, 15. ad Boream ab Augusta Auscorum |: Auch :| Caput Tractûs, à qua et ipse à Sæculo VI. nomen accepit. Habet Episcopum Burdigalensis Archiepiscopi Suffraganeum, qui quamvis Civitati in temporalibus neutiquam dominetur, tamen Comes Aginnensis salutatur. Sitûs illius amœnitas semper spectabilem effecit; ampla quoque est et populosa, necnon concinnè ædificata.

Nitiobriges populi inter Gallos perquam celebres illius fundamenta jecisse dici possunt, quamvis aliqui illam apud *Agenorem Antenoris filium, vel apud Agenorem Ajacis Telamonis nepotem, vel denique apud Agenidem olim Lacedemoniorum Censorem quærant. Antiquam eam esse certum est, ac videtur, quòd initio non æque magna fuerit ac nunc est, id conjicitur ex portis et muris veteribus hinc inde adhuc extantibus, quæ indicant primum illius ambitum arctiorem fuisse, aut varia habuisse Suburbia. À Veteribus jam Agenno, Aginum, et Agennum Nitiobrigum dicta fuit, Ptolomæúsque primus est, apud quem nomen istud legitur, cùm priùs Civitas seu Urbs Nitiobrigum diceretur.

* Agenores istiè Troja profugi finguntur.

S. Martialis in ea primam fundavit Ecclesiam sub nomine S. Stephani, quæ ibidem principalis et Cathedralis est. Primus autem hujus Urbis Episcopus fuisse dignoscitur S. Caprasius, qui an. 303. sub Daciano Galliæ Præfecto Martyrium subiit; ejus in Episcopatu æque ac in Martyrio

Successor fuit S. Vincentius cognomento Agenorensis ad distinctionem S. Vincentii Hispanici.

Adest hîc etiam magnifica Collegiata Ecclesia Deo in honorem S. Caprasii dicata, in qua inter alias reliquias hujus Sancti Martyris Caput asservatur, ut et SS. Primi et Primitiani fratrum, qui eodem tempore Martyrii palmam adepti sunt, corpora. Hodie-dum adhuc memorabile antiquitatis monumentum in ejusdem S. Caprasii Xenodochio visitur, locus nempe profundus et concavus, qui Martyrium /: le Martyr :/ dicitur, estque Sepulchrum, ubi Sanctissimorum Martyrum reponebantur corpora.

Agenni præter Ecclesias Cathedralem, Parochiales Sanctæ Fidei, et Sti Hilarii adsunt adhuc variæ aliæ, multaque utriusque Sexus Monasteria. Jesuitæ hîc etiam habent Collegium à Regina Margaritha fundatum. Adest etiam Seminarium.

Civitas hæc pro temporum varietate variis quoque Dominis ac Principibus paruit; nempe primum Gallorum seu Celtarum Regibus, post Romanorum Imperatoribus Ethnicis et Christianis; deinde Gothi, Visigothi, et Ostrogothi Romanos ex ea pepulerunt, postmodùm ab Hunnis, Vandalis, Alanis, Suevis, Burgundionibus, Saracenis, Mauris, Danis, et Normannis, qui omnes eam successivè occupârunt, expilata fuit. Deinde Regibus et Ducibus Aquitaniæ et Vasconiæ subjecta fuit, post ad Reges Angliæ devoluta est, Successores habuere Comites Tolosanos, qui aliquamdiu eâ potiti sunt, quos Angli demùm ejecêre; ab his ad Comites Armeniacenses pervenit; demum sub tertia Regum Franciæ prosapia eorundem Coronæ adjuncta fuit.

Reliquiæ antiquitatum, quæ extrà Urbem versùs portam novam extant, muri nempe, columnæ, ruderа, quæ in agris et vinetis jacent, et quorum materia chalybe durior est, quadrati, et Straturæ lapides marmorei, alïque minores musaïci operis Structiles, qui sub terra reperiuntur unà cum pluribus aureis, argenteis, et æreis nummis, vestigia balneorum et arenarum, quæ prout dubio Romanorum sunt opera, satis indicant, quàm celebris hæc Civitas olim fuerit.

Tempus, quod omnia consumit, Arcis illius, quæ in Anglica historia adeò celebratur, et cujus "fictus" Turpinus* Archiepiscopus Rhemensis in Gestis Caroli M. meminit, nullum reliquit vestigium aut Signum. Vetus aliud Castrum Montravel dictum, quod extrà veterem Urbis ambitum ad oram fossarum Suarum positum erat, modò Præsidialis Curia est. Occurrunt etiam rudera alterius Arcis la Sagne dictæ, quæ ad rivi ripam extrà Urbem collocata erat, necnon in quibusdam veteribus monumentis per hæc vocabula In Palatio exteriori indicata videtur, quod ansam præbet credendi eo loco Palatium Stetisse veterum Gallorum vel Romanorum opus.

An. 1584. Civitas hæc rebellavit Ligistarum partes amplexa, at an. 1591. mense februario ope polyclastri occupata fuit et Regi denuò asserta. Præcipuum ejus commercium consistit in vino et aquis vinariis, item in pannis, præsertim in iis, qui aliunde huc adferuntur. Solum ejus etiam frumenti canabi, et tabaci dives est.

In hac Urbe natus est an. 1540. 4. Aug. Josephus Justus Scaliger eruditissimus Sæculi XVI. Criticus omnium Orientalium linguarum peritissimus fuit. In Philosophia, Arte Medica, Jurisprudentia, Mathematica et Theologia minimè peregrinus fuit. Omnium populorum historiam novit, p. nimiæ arrogantiæ insimulatur, ut qui alios quosque etiamnum peritissimos contemserit ac prosciderit, solùm sui ipsius admirator immodicus. Obiit Lugduni Batavorum 21. Jan. an. 1609. postquam ibidem per annos 16. scilicet ab an. 1592. Professoris Honorarii munere functus fuisset.

* Turpinus seu Tulpinus ex Monacho S. Dionysii prope Parisios an. 769. à Carolo Magno Archiepiscopus Rhemensis factus. Eidem falso adscribitur historia de gestis Caroli M. Non est enim nisi fabula à quodam Sæculi XI. vel XII. impostore sub ejus nomine edita.

~~[illegible]~~ 153.

De Vasconia.

Vasconia (la Gascogne:) non semper iisdem limitibus circumscripta est, modò enim amplior, modò antior fuit. Quidam volunt eam nunc intrà Garumnam et Montes Pyrenæos contineri, sicque respondere Julii Cæsaris Aquitaniæ, quæ ob novem, à quibus habitabatur, populos, Novempopulania dicebatur; at sic majorem Agri Burdegalensis partem ipsámque Burdegalam contineret, quæ Urbs tamen unà cum Agro suo Guiennæ propriæ adscribitur.

Nos igitur Vasconiæ hosce limites assignandos putamus scilicet ad Orientem partem Garumnæ et Languedociæ, ad Septentrionem Guiennam propriè dictam, ad Occidentem Mare Aquitanicum seu Vasconicum, et ad Meridiem Montes Pyrenæos. Ejus longitudo est 50. circiter leucarum, et latitudo à Pyrenæis montibus ad Guiennam usqs 38. Multis fluviis et rivis irrigatur, quorum præcipui sunt Aturus et Garumna. In ea aër spirat temperatus, solúmque ~~[illegible]~~ ejus frumentum et quidpiam vini profert, at pascuorum dives est.

Dividitur Vasconia in Superiorem et Inferiorem, Superior orientalem illius plagam occupat, complectitúrque Agrum Conseranensem, ~~[illegible]~~ Comitatus Convenensem et Arminiacensem, hic ultimus sub se continet Leomaniam, Gauram, Rivieram, Comitatum Astaracensem, p. necnon regionem quatuor vallium. Inferior ad Occidentem posita est; complectitur Tractus Vasatensem, Condomensem, Vasconiam propriam seu Chalossiam, Landarum regionem, Tractum Lapurdensem, Navarram Inferiorem, Subolam, Bearniam, et Comitatum Bigerrensem.

Nomen habet à Vasconibus Hispaniæ populis Calarugi et Pampelunæ vicinis, qui montes Pyrenæos sub finem sæculi VI. transgressi, in hac provincia tùm, quod supra memoravimus, Novempopulania dictâ resederunt, atque adversùs Franciæ Reges se in ea tutati sunt usque ad an. 602. quo iis se submittere tandem coacti fuerunt; at exactis postmodum 25. annis, nempe an. 627. Francicum exussêre jugum, eos tamen tertio post anno Rex Aribertus Dagoberti I. frater ~~[illegible]~~ denuò in ordinem coegit. Nullum extat vestigium eos denuò à Franciæ Regum obedientiâ recessisse, nisi post mortem Pipini Majoris Domûs, quæ contigit an. 714. Tum enim Vascones Eudis seu Ottonis qui Aquitaniam, cui ipse sub Ducis titulo præfectus erat, sibi propriam fecit, exemplum secuti et ipsi à Regum Franciæ se subduxerunt imperio, atque primùm an. 768. quo Pipinus Rex Aquitaniam denuò recuperavit, ad eorundem redierunt obedien-

tiam: at postmodùm, ubi sub Carolo M. Ludovicus Pius ejus filius cum Regis titulo Aquitaniæ dominaretur, demùm tumultuati sunt, nec nisi postquam fortiter obtitissent Carolo M. cessêrunt. Et deindè demùm Præfecti dati fuêre; atque sub Ludovico Pio ejusque filio Carolo Calvo à Normannis crudeliter devastata fuit. Post Imperatoris Caroli Crassi abdicationem, in Regno Franciæ graves excitatæ sunt discordiæ, ex quibus Vascones compendium facientes sibi ex hac gente specialem elegêre Ducem, adeò ut deinceps nonnisi nomine tenus Franciæ Reges ipsis imperare viderentur, quod tùm horum populorum à Regiâ distantiâ, tùm Carlovingorum Regum imbecillitati adscriptum fuit, utpote quibus à Carolo Simplici incipiendo, nulla fermè amplius esset autoritas. Tandem tamen provincia hæc ad Coronam plenè redüt.

Vascones communiter et plerumque præstanti pollent ingenio, cùmque ipsorum Regio satis fertilis aut opulenta non sit, non modò parcè vivunt, sed et in variis exteris provinciis, regionibusque disperguntur, ubi optima ipsorum indoles et animi fortitudo ac industria non rarò ad præclara munera eos evehit. Verùm quia eorum nonnulli multa eaque nimia de nobilitate, Dominiis, opinatis in bello facinoribus suis p. jactare solent, hinc usurpavit, ut quælibet magniloquentia seu ostentatio Gramicis gentis sua vocabulo Gasconade nuncupetur: in hac ipsa significatione, ubi quis faciens aliquod non adeò verisimile jactat, de hujusmodi vaniloquentia dicitur: Cela vient de la Gasconne, idest, Non à Garumna venit. Ast vitium istud non solùm Vasconibus peculiare, sed et cæteris omnibus populis commune esse videtur; in omnibus quippe regionibus vanitas invenitur, nec unam reperire est, de qua dici non possit:

La Garonne n'a pas vû naître
Tous les gascons, qui sont icy.

Idest: Non omnes Vascones, qui hic sunt, Garumna natos vidit.

Vascones litteras V. et B. simul confundere solent: unde factum istud Scaligeri: Felices populi quibus bibere est vivere. Modò singulas ejus provin-

cias seu Tractus singulis SS. expendimus, ac primò eos, qui in Superiori illius parte continentur.

154. §. I.

De Tractu seu Agro Conseranensi.

Ager seu Tractus Conseranensis |: Conserans seu Coserans, aliàs etiam St. Lizier de Conserans :| limites habet ad Orientem Comitatum Foxiensem; ad Septentrionem et Occidentem Tractum Convenensem; et ad Meridiem Catalauniam. Exigui est ambitus. Nomen habet à veteribus Consoranis Aquitaniæ populis, quorum meminit Plinius lib. 4. c. 19. Montes in eo sunt frequentes, qui difficilè superantur, et per quos à Catalaunia separatur.

Veteres quædam Notitiæ meminerunt Civitatis Consoranorum |: Conserans :| quæ Tractûs ipsius Caput erat, neenon inter duodecim Novempopulaniæ Civitates ordine quinta numerabatur. At Bernardus Comes Convenensis, quòd Supremum hujus Tractûs dominium ad se pertinere contenderet, etsi jam Romanorum Imperatorum ætate Consoranni à Convenis distincti fuerint, adversùs Consoranos eorumque Episcopum Petrum bellum movens, Civitatem hanc occupavit ac exuit adeò, ut nunc nonnisi Oppidum sit loco eminenti positum. ocurrit

S. Licerius, seu Sanctus S. Licerii |: St. Lizier :| modò Conseranensis Agri Caput, ad ripam Salati |: Salat :| orto leuis à S. Bertrando, et septem ab Apamiis, ac. 21. ab Augusta Ausciorum ad Elusonotum sita Urbs. Nomen habet à S. Licerio illius quondam Antistite, qui an. 752. fatis functus dicitur. Ubi Petrus Consoranorum Civitatis Episcopus eam à Bernardo Comite Convenensi dissipatam et exusam vidit ad hunc eorum se recepit, qui Austria dicebatur, undè et ejus successores Austriæ Episcopi nuncupati fuerunt, donec, mutato nomine, Episcopi S. Licerii dici cœperint. Quidam arbitrantur jam primo Eulerio sæculo Episcopatum hunc fundatum fuisse. Gregorius Turonensis de quodam Theodoro loquitur, qui an. 459. Episcopus Consorannus fuit, atque S. Valerii Corpus detexit. In hac Urbe bina sunt Eulerio Cathedrales, illiusque Episcopus Archiepiscopo Auscensi subjectus est.

Propè Civitatem in ejusdam montis pede adest Capella S. Licerio dicata, ad quam Hispani confluunt, ut per intercessionem hujus Sancti aëris temperiem,

cujus curam ipsi deputant, à Deo obtineant. Capella haec apud omnes regionis hujus populos in magna veneratione est.

§. II.

De Tractu Convenensi. ~~[illegible]~~. 155.

Tractus Convenensis |: Comminges :| titulo Comitatûs gaudet. Limites habet ad Septentrionem Vasconiam Tolosanam; ad Orientem Agrum Consorannum seu Conseranensem; ad Meridiem Catalauniam seu potiùs vallem Araniam |: La Vallé d'Aran*:| et ad Occidentem Agrum Bigerrensem. Longitudo ejus est circiter 18. leucarum, latitudo 6.

Nomen ipsius quidam à voce latina Convenæ deducunt à verbo convenire, quòd hi populi ortum habeant à variis latronibus Hispanis, qui intra Montes Pyrenæos se receperant ibique convenerant: at Notitia quædam Urbium Galliæ paulò aliam et honestiorem nomini ipsius originem tribuere videtur; ibi enim legitur Civitas Convenarum, idest, Communita; itaque juxtà hanc Notitiam vox Convenæ à Communita* vocabulo, quod variorum locorum communionem seu in unum corpus conjunctionem significat, deduci videtur.

Vascones labascente Merovingica Regum Franciæ prosapia Tractum hunc occupaverunt; at postmodum Carlovingi eos sibi subjecêre; ~~[illegible]~~ initio sæculi X. jugum excusserunt, legimusque Vasconiæ Duces tunc huic Tractui ut et aliis dominatos fuisse. Postmodùm Comites Convenenses Ducibus Guinnæ, qui et Vasconiam obtinuerant, subdi renuerunt, ac nonnisi an. 1244. Bernardus IV. hunc suum Comitatum velut feudum, non quidem Ducis Guiennæ, sed Raymundi ultimi Tolosani Comitis agnovit, quod nullus Antecessorum suorum ab eo, quo noti esse coeperunt, tempore unquam fecerat: primus, cujus historia meminit fuit Bernardus, qui sub Ludovico Crasso circa an. 1130. superfuit, fortè ille, qui, prout §. præcedenti retulimus, Consorannorum Civitatem excidit. Ejus stirps masculina in Petro Raymundo an. 1375. mortuo defecit; hic unicam filiam Margaritham nomine reliquit heredem; à marito suo Joanne Comite Fuxiensi in carcerem conjecta et postmodùm jussu Caroli VII. Franciæ Regis in libertatem denuò asserta eidem Convenensem hunc Comitatum donavit. Eundem an. 1478. Ludovicus XI. alienavit; at an. 1548. sine heredibus mortuo illius

* Vallis hæc ad Hispaniam pertinet ab an. 1192. quo Alphonsus Rex Arragoniæ eam à Tractu Bigerrensi seu potiùs veteri Convenensi avulsit et occupavit. Inea Garumna scaturiginem suam habet.

* nunc scribitur Communitas.

ultimo possessore iterum Coronæ adjunctus est, penes quam hactenus permansit.

Dividitur in Superiorem et Inferiorem. Præcipuum illius commercium consistit in pecoribus et mulis; Superioris illius partis Insolæ privilegiis gaudent cum Hispanis etiam belli tempore, omnis generis merium, exceptis iis, quæ jure belli interdicti solent, negotiationem exercere. Inferior frumenti et aliorum siccorum fructuum ferax est, qui Garumnâ Tolosam devehuntur. occurrit hîc

3ò Convenæ, seu Fanum S. Bertrandi Convenarum |: St. Bertrand de Comminges :| Urbs exigua et Sedes Episcopi sub Archiepiscopo Auscensi. Supra eodem sita est in cujus pede Lugdunum Convenarum olim fuit, Civitas, quæ, prout ambitûs ipsius vestigia produnt, Tolosam amplitudine longè superabat, inter Novempopulaniæ Urbes percelebris. Vetus hæc Civitas an. 585. à Gontramno Burgundiæ Rege devastata fuit quòd quidam Gondebaldus, qui Sc. Clotarii I. filium dicebat, atque Regno inhiabat, in illam se recepisset.

S. Bertramnus Convenarum Antistes Urbem, de qua hîc nobis sermo est, et quam Francigenæ ipsius nomine vocant, sub finem Sæculi XI. seu initio XII^mi^ construi curavit: propriè autem nonnisi Oppidum est, in quo ultrà 500. Insolæ non numerantur, et ubi nihil præter Cathedralem Ecclesiam memorabile occurrit.

Convenarum Episcopatus antiquus est, ac memoriæ proditum est, Præsidium hujus Urbis Antistitem Concilio Aurelianensi, quod sub Childeberto Clodovæi filio coactum fuit, interfuisse. Episcopus iste membrum est Statuum Languedociæ, quòd multas parœcias in eâ provinciâ possideat.

2ò. Lombarium |: Lombez :| parva et injucunda Civitas ad Savam |: La Seve :| rivum sita 11. leucis ad Africum à Tolosâ; 10. ab Ausciis ad Euronotum; 8. ad Euro-Aquilone-mesem à Ruthenis. Nihil in hac Urbe memoria dignum occurrit, nisi quòd Sit Sedes Episcopalis sub Metropoli Tolosana. Inutile Abbatia est Ord. S. Augustini, cujus Abbatem Joannes Papa XXII. Episcopum creavit.

§. III.

De Tractu Arminiacensi.

156. Arminiacensis seu Armeniacensis, item ar-

manicus Tractus seu Ager, necnon Aremarica seu Armarica |: L'Armagnac :| Cæsarem, ubi de Aremaricis populis loquitur, hujus Tractûs populos intellexisse quidam contendunt.

Titulo Comitatûs gaudet, et confinis est ad Orientem Languedociæ, à qua Garumna illum separat, necnon ab Agris Convenensi et Conseranensi; ad Septentrionem Tractibus Condomensi et Aginnensi; ad Occidentem Vasconiæ propriè dictæ seu Speciali, aliàs Chalossiæ nuncupatæ, Bearniæ, et Tractui Bigerrensi; et ad Meridiem Valli Araniæ et Hispaniæ seu Montibus Pyrenæis. Ejus longitudo est 22. leucarum, latitudo 16. circiter.

Provincia hæc est populosissima, et fertilis, variisque fluminibus, quæ à Garumna ebibuntur, irrigatur. Undè nomen suum sortita sit, ignoratur, quòd, quæ de illo superest, sæculi IX. finientis et X. incipientis historia sit obscurissima. Olim Speciales suos habuit Comites, quos Franciæ Historia celebrat, et quorum varia sors fuit, ut qui modo dejecti modo restituti fuerint, donec ad Henricum IV. hereditatis titulo pervenerit, qui eam Henrico à Lotharingia Comite Harecortio |: Comte d'Harcourt :| et suis posteris tradidit.

Frumenti et vini dives est; in ea etiam viget lanæ et lini commercium, item pirorum bonchrestianorum seu mammosorum, quæ varii horti, præsertim Auscenses proferunt; optima sunt ac stante, ut ajunt, pede 15. aut 20. solidis franciis singillatim venduntur. Adsunt etiam fodinæ Gypsi et Nitri.

Dividitur in Superiorem et Inferiorem, Superior Tractus admodum angustus positus est ad montes Pyrenæos: in recentioribus tabulis Geographicis Regio quatuor vallium nuncupatur, quæ sunt, Magnoac, Nestez, Barousse, et Aure. Verùm hæc Superior Arminiacensis Agri pars, seu quatuor vallium Regio à Geographis plerumque negligitur, quod nil memorabile contineat: At Inferior longiùs distenditur, continetque præter Tractum Arminiacensem proprium seu Specialem, insuper Rivieram, Tractus Astaracensem, Gaurensem, et Lemoniam, quos Tractus distinctis numeris expen-

dere placet.

157. [illegible]

I.

De Tractu Arminiacensi proprio
Seu Speciali.

Tractus iste totius provinciæ centrum velut occupat, atque in eo occurrit

1º Ausci, Augusta Auscorum seu Ausciorum |: Auch seu Ausch :| Caput totius provinciæ seu Comitatûs, Urbs partim in apice partim in declivitate montis collocata propè Gersonem |: Gers :| rivum, 15. leucis ad Occidentem à Tolosa, ρ. Dividitur in Superiorem et Inferiorem, ab hac ad illam lapideo 280. graduum Scalino ascenditur.

Ubi Romani Aquitaniam subegerunt, eam Augustam Auscorum seu Ausciorum dixerunt, prout memorat Ptolomæus; posteà exemplo multarum aliarum Galliæ Urbium populi, cujus Metropolis erat, nomen assumsit, atque simpliciter Ausci dicta est, idque nomen jam ætate Ammiani Marcellini, qui sub Theodosio et fortè etiam sub Honorii ipsius filii primordiis floruit, habuisse constat; is enim præcipuas Galliæ Urbes recensens, lib. 15. sic loquitur: Novem populos Ausci commendant et Vasatæ. In Notitia quoque provinciarum et Urbium Galliæ, quæ sub eodem Honorio confecta est, Civitas Ausciorum ultima ponitur inter duodecim Novempopulaniæ Civitates; aliæ veteres Galliarum Notitiæ eodem nomine eam insigniunt. In Itinerario Burdegalensi Civitas Auscius, apud Gregorium Turonensem lib. 10. Ausciensis Urbs, et apud Robertum de Monte Civitas Auscia nuncupatur.

Est totius Vasconiæ Metropolis cui decem subsunt Episcopatus. Ipsius Archiepiscopus Aquitaniæ Primas salutari avet. Initio nonnisi Episcopatus erat sub Metropoli Elusâ [illegible] seu Elusatio |: Eause seu Euse :| prout colligitur ex variis Conciliorum subscriptionibus præsertim Agathensis, ubi sic legitur: Clarus Episcopus de Civitate Elusâ Metropoli, et Nicetius Episcopus de Ausciis. Devastata autem Sæculo IX. sub Imperatore Ludovico Pio Elusâ Sedis Archiepiscopalis Vasconiæ titulus huc translatus fuit, memoriæque proditum est, sub Carolo Calvo Joannem Papam VIII. qui circà an. 879. superfuit Airardo Episcopo Auscorum titulum digni-

tatemque Archiepiscopalem contulisse. Ecclesia Cathedralis, quam à Clodoveo constructam quidam arbitrantur, pulcherrimis totius Franciæ ædificiis facilè annumeratur, Deo sub invocatione B. V. Mariæ consecrata est. Capitulum Cathedrale 25. Canonici constituunt, inter quos quinque Sanctæ honorarii numerantur, quorum primus est Archipp. tanquam Comes Arminiacensis. Adest etiam Ecclesia Collegiata. S.

Urbi huic Dominantur partim Archiepiscopus et partim Comes Arminiacensis. tria circiter animarum millia in ea numerantur.

An. 1056. in hac Urbe Hugo Blanens]: Blanc :[Cardinalis et Legatus Pontificius Concilium celebravit. Item sub finem Sæculi XIII. et initium XIV.ti Sub hujus Civitatis Archiepiscopis varii Ecclesiastici Conventus habiti sunt.

2ª Elusa seu Elusatium]: Eause seu Euse :[Urbs exigua 5. leucis à Condomio versus occasum; 4. ab Auscis ad Eaurum; 9. à Vasatis ad meridiem, et 3. à Nogareto ad Boream. Abipsa nomen habuerunt Elusates populi, quorum Cæsar in suis Commentariis meminit.

Urbs hæc olim Caput fuit Novempopulaniæ unáque ex Romani Imperii celeberrimis Civitatibus. Ingothorum potestatem mòx cum tota provincia venit, unde Clodoveus subinde eos exturbavit; at sub ipsius Nepote Vascones in ea resederunt, atque nomine suo Vasconiam nuncuparunt, quod alibi jam retulimus, quare et Elusa idem cum hac provincia fatum subiit. Cùm verò sub Regno Ludovici Pii Normanni hanc Aquitaniæ partem interneiva populatione transiverent, urbem hanc funditùs everterunt, quod Insulas permovit, ut se Auscorum Episcopis traderent. Postquam igitur hæ binæ Diœceses in unam coaluêre, Auscorum Civitas facta est Metropolis, atque Airardus primus fuit, qui sub Carolo Calvo Metropolitani dignitatem obtinuit, quod jam supra retulimus.

Elusa bipariam dividitur, Vetus urbs dicitur Civitas]: la Cintat, la Cité :[nova autem Elusa nuncupatur, hæc circà an. 900. exstitata fuit. Lusdam Geographica Tabulæ illam in Tractu Condomensi reponunt, sed nostro judicio perperam.

II.

De Leomania.

Leomania]: La Lomagne seu Laumagne :[exigua est provincia à Tractibus Viromensi seu Riviera Viromensi]: la Riviere de Verdun :[Gaurensi, et Arminiacen-

vide 158.

si proprio circumsepta. Olim Vice-Comitatus erat sub Vasconiæ Ducibus; extincta subinde illius Vice-Comitum stirpe mascula ad Comites Arminiacenses devoluta est. In ea exiguum viget commercium, indè frumentum vinumque in Tractum Convenensem, Bajonam et Burdegalam transvehuntur. Notatur hic

Lactora, Lactorum, Lectora, Lectorium, Lectura, et Lecturum |: Lectoure, Leitoure, Laictoure, Letour, Lettoure, et Legture :| Urbs vetus Caput Leomaniæ et Sedes Episcopi sub Auscorum Metropolita. Sita est suprà montem, cujus pedem Gerso |: Le Gers :| alluit, 5. leucis ad Orientem à Condomio; 8. ad Africum ab Agiuno; et totidem versùs Septentrionem ab Auscis.

Quædam vetus Inscriptio Romana Lectoratum populorum meminit, quorum Metropolis ipsa fuit. Jam à Sæculo V. Lectora ipsiusque Episcoporum nomina in subscriptionibus Conciliorum leguntur; unde hujus Ecclesiæ antiquitas deduci potest. Illius Ecclesia Cathedralis SS. Gervasii et Protasii nomen refert, suaque acutissima campanilia per totam Franciam celebrantur.

Lactora semper spectabilis fuit, atque velut urbs totius ~~[illegible]~~ Vasconiæ munitissima habita tam quòd supra montem præruptum posita sit, quàm quòd validis instructa sit propugnaculis; ei quoque insidet arx admodùm munita. Ludovicus XI. eam Comiti Arminiacensi eripuit, novisq́ auxit munimentis, adeò, ut modò fortissimum adversùs Hispaniam propugnaculum esse videatur. An. 1562. Navarræ Regina eam illius Præfecti proditione obtinuit; postmodùm ab Henrico IV. Calvinistis tanquam asylum tradita fuit, undè adhuc 1615. in Ducis Rohanii potestate fuit.

159 ~~[illegible]~~

III.

De Tractu Gaurensi

Gaura, seu Comitatus Gaurensis |: Le Païs de Gaure :| Tractus exiguus Lectoram inter et Auscos positus est. In eo quidam Garites populos, quorum Cæsar lib. 3. c. 27. de bell. gall. meminit, collocant. Fluvii, qui illum perfluunt fertilem efficiunt. Cæterùm nihil memoria dignùm hic occurrit.

160. ~~[illegible]~~

IV.

De Riviera Viridunensi.

Riviera Viridunensis |: Riviere-Verdun :| à Viriduno ejus Metropoli sic dicta, exigua est regio sita non procul à Tractu Convenensi juxtà Garumnam. Illius commercium consistit in frumento, fare, et avenâ,

quæ Burdegalam, et in Languedociam transvehuntur, Notatur hîc

Viridunum |: Verdun:| Urbs parva sed venusta prope Garumnam posita 5. leucis infrà Tolosam. Caput est Tractûs cui nomen suum tribuit. Albigensium ætate spectabilis erat, atque Nobile Castrum vocabatur.

V.

De Comitatu Astaracensi. 161.

Comitatus Astaracensis |: Le Comté d'Astarac seu Estarac:| ad Septentrionem Convenensis Agri positus populosus est, solúmque habet fertile. Notatur in eo

Miranda |: Mirande:| Urbs exigua et Comitatûs Caput, ad ripam Baisæ |: Baise:| fluvii, qui Garumnæ immergitur posita 6. leucis ad Africum ab Auscis. Primùm an. 1289. sub Philippo Pulchro excitata fuit à Centulo hujus nominis tertio Astaracensi Comite, item à Stephano de Beaumarchais Nugno Tolosæ Senescallo, necnon ab Abbate Bardi seu Berdonæ Ordinis Cisterciensis Cœnobii. Consilium ipsis fuit in ea Sedem Episcopalem erigere, cujus Monachi Capitulum constituerent, Abbas verò esset Episcopus: at res hæc effectum suum haud sortita est. In hac Urbe ultrà 860. Incolæ haud numerantur.

Hi sunt Tractus seu minores provinciæ, quibus Vasconia Superior seu Orientalis præcipuè continetur; cæteræ, quæ fors hîc adhuc adduci possent, exiguæ admodùm sunt, atque jam sub iis, quorum fecimus mentionem, continentur, nec aliàs quidquam, quod notari mereatur, complectuntur. Modò igitur nobis expendendæ veniunt provinciæ seu Tractus, quibus Vasconia Inferior seu Occidentalis componitur.

§. IV. 162.

De Tractu Condomensi.

Tractus seu Ager Condomensis, item Condomium Vasconicum |: Q exigui ambitûs est Regio, cujus limites sunt ad Septentrionem Ager Vasatensis; ad Orientem Aginnensis et Cadurcinus; ad Meridiem Arminiacensis et ad Occidentem Landarum Tractus. Olim pars erat Regionis Nitiobrigum Celtarum; subindè Aginnensi provinciæ adjectus est, à qua Sæculo XIV. quo scilicet Sedem Episcopalem obtinuit, avulsus fuit. Notatur hîc

Condomus seu Condomus Vasconum |: Condom:| Urbs sita ad ripam Gelizæ |: Gelise:| 9. leucis ad Caurum ab

q Le Condomois:|

annis; 10. ad Afrium ab Aginno; et 30. ad Euronotum à Burdegala.

Originem trahit ab antiquo Monasterio, cujus fundationis tempus ignoratur, quæ enim hac de re narrant aliqui, præter modum fabulosa esse videntur; hoc duntaxat de illo memoria proditum est, quòd nempè, cùm Monasterium istud à Normannis, qui continuo decennorum fermè annorum spatio Aquitaniam populati fuêre, multoties devastatum fuisset, tandem an. 1011. Hugo Vasconiensis Princeps et Aginni Abbas illud restaurârit, atque Petrum quendam primum illius Abbatem constituerit. Illud an. 1317. Joannes XXII. Sedem Episcopalem fecit, ultimúmque illius Abbatem Raymundum Gulardum [: Goulard :] primum Episcopum creavit. Monachi in eâdem Ecclesiâ perseverârunt, ipsorúmque Monasterium loco Capituli Cathedralis fuit usque ad an. 1549. quo ad instantiam Henrici II. Franciæ Regis et Caroli de Pisseleu hujus Urbis Episcopi illud ad statum Sæcularem transdexit.

Episcopus hic est Metropolitæ Burdigalensis Suffraganeus, ubique pro parte aliqua dominatur. Nullum fermè in ea exercetur commercium, unde et Cives minimè sunt opulenti. Ubi an. 1569. à Gabriele de Monte Gomerico [: Montgomery :] Hugonotorum Dux occupata fuit, hi non modò Ecclesiam Cathedralem, omniaque sacra loca expilarunt, sed et sex Ecclesias parochiales, necnon quinque Monasteria unà combusserunt.

Urbs hæc est patria Scipionis Dupleix Franciæ historiographi; qui an. 1661. ætatis suæ 98.to ad plures abiit.

163. [illegible]

§. V.

De Agro Vasatensi.

Vasatensis Ager [: Le Bazadois :] limites habet ad Occidentem et Septentrionem Guiennam Specialem seu propriam, ad Orientem Aginnensem, et ad Meridiem Condomensem Agros seu Tractus. In Septentrionali plaga sua Solum habet frumenti, vini, et fructuum dives. Semper Vasconiæ Ducibus, quotquot fuerunt, proprius fuit; subinde ad Reges Angliæ ipsorum hæredes devolutus est, ac penes eos permansit donec à Carolo VII. tota Guiennâ exturbati fuerunt.

Nomen habet à Vasatibus populis, quorum Ptolomæus meminit. Sæculo IX. Normanni, et Sæculo sequenti Saraceni seu Mauri post devictos an. 920. in Hispania Christianos, superatis Montibus Pyrenæis universam Vasconiam adeoque et Tractum hunc vastaverunt et incenderunt. p. Notatur in eo

Vasates, Vasatæ, Vasatum, Civitas Vasatica, Cossio,

et Cossium |: Bazas:| exigui ambitûs Urbs, et Caput Tractûs, posita super rupem 2½ leucis à Garunna, 15. ad Caurum à Condomio, et 14. ad Euronotum à Burdigala. A Ptolomaeo Cossio nuncupatur, quod nomen Ausonius adhuc usurpavit: at ab Ammianô Marcellino, et ab iis, qui post ipsum scripserunt, populi sui nomine Vasates dicitur. Gregorius Turonensis Civitatis Vasatum seu Vasaticae saepiùs meminit, et lib. de miraculis ait, brevi post tempora Christi in ea jam fuisse Christianos.

Est Sedes Episcopalis Metropoli Auscensi subjecta. Quando fundata fuerit, non satis constat, antiquissima tamen est, illiusque Praesules Conciliis Agathensi an. 506. et Aurelianensi an. 511. celebratis interfuisse memorantur. Inter eos vetustissimus recensetur Sextilius. Longo tempore praeter Vasatenses, nulli in Vasconia Episcopi visi fuêre, postquam scilicet haec provincia saeculis IX. et X. à Normannis et Saracenis penitùs devastata fuit, adeò, ut ipsa Cathedralis Ecclesia diu Clericis caruerit.

Urbs haec solum habet sterile et infaecundum, quòd hic arenosa Landarum regio sumat initium.

§. VI. 164.

De Chalossia seu Vasconia propria.

Chalossia seu Vasconia propria et specialis |: La Chalosse seu La Gascogne propre:| exigua satis provincia est. Vasconia etiam dicitur, quòd in eâ Vascones Pyrenaeis montibus superatis primùm praecipuè resedisse dicantur. Districtum, quod Tursanum seu Turalis |: le Tursan:| dicitur, continet. Confinis est ad Septentrionem et Occidentem Regioni Landarum, ad Meridiem Bearniae, et ad Orientem Agro Arminiacensi Inferiori. Notatur hic,

1º Aturum, Aturium, Atarensium seu Atyrensium Civitas, Vicojulium, Martianum |: Aire:| Urbs sita in confiniis Agri Arminiacensis in quadam montis declivitate ad ripam Aturi |: Adour:| fluminis 6. leucis à Severopoli |: St. Sever:| ad Euronotum; 13. ad Eurum ab Aquis Tarbellicis; et 15. circiter à Condomio versùs favonium.

Nomen habet ab Aturo flumine. Gregorius Turonensis eam Vicum Julii nominat, quod videtur indicio esse illam ortum suum Romanis debere; quamvis id valdè sit incertum. Apud Sidonium Apollinarem, qui saeculo V. sub Valentiniano III. et ultimis Occidentis Imperatoribus floruit, lib. 2. ep. 1. Atures nuncupatur. Eodem saeculo Visigothi in ea dominabantur fuitque eorum Sedes regia, quod adhuc indicare videntur palatii Regis Alarici rudera. inde illos Franci pepulerunt, tandemque sub finem saeculi VI. à Vasconibus occupata fuit.

Eadem fata ac cetera Vasconiæ Civitates caperta est, plurisque à Barbaris, ut et à Saracenis, qui an. 920. Vasconiam populati sunt, devastata fuit. Sæculo XVI. denique vigentibus Religionis tumultibus bodóque intestinis multas calamitates perpessa est, et ad eam conditionem redacta, ut Vico quàm Urbi similior evaserit.

Dim, quemadmodùm cæteræ Vasconiæ Ecclesiæ, non alium quàm totius Vasconiæ Episcopum habuit. Ubi autem an. 1058. Raymundus cognomento Senior, qui omnium Vasconiæ Diœcesium Episcopus fuit, abdicatus loco cessit, tum quidam Petrus nomine Aturi Antistes creatus fuit. Subest Archiepiscopo Auscensi.

Urbs hæc quamvis in Chalosia seu Taursano posita sit, nunquam tamen hujus Tractûs Comites vehit Supremos Dominos agnovit, sed solos Duces Guiennæ et Vasconiæ, necnon Galliæ Reges.

2°. Severopolis, seu Fanum S. Severi |: St. Sever :| Urbs sita ad ripam Aturi, 3. leucis ad austrum à Monte Martiani |: Mont de Marsan :| 8. ad Eurum ab Aquis Tarbellicis, 6. ab Aturo ad Eurum. Metropolis seu Caput Vasconiæ Specialis seu Taursani. Nomen et ortum habet à celebri ordinis S. Benedicti Monasterio, quod circa an. 993. à Wilhelmo Sanctio ab Aragonia fundatum fuit. Hujus Urbis Dominium utile ad Abbatem pertinet, quæ quamvis in Tractu Taursano sita sit, nunquam, quemadmodùm Aturum, tamen hujus Tractûs Vice-Comitibus, sed Ducibus Guiennæ et Vasconiæ, ac postipsos Regibus Galliæ subjecta fuit. Idem Abbas Comitiorum Vasconiæ, quæ olim communiter hîc agi solebant, etiam præsesat; undè et Urbi ipsi Capitis Vasconiæ |: Cap de Gascogne :| nomen obtinuit, quamvis aliàs illius Caput Land esset. Viget hîc vini commercium, quod Aquas Tarbellicas |: Dax ou Acqs :| et Bajonam transvehitur.

165.

§. VII.
De Tractu Landarum.

Tractus Landarum seu Landæ Burdigalenses |: Les Landes de Bourdeaux ou du Bourdelois :| limites habet ad Septentrionem Guiennam propriam, ad Occidentem Mare Vasconum |: La Mer de Basques :| ad Meridiem Bearniam et Tractum Lapurdensem, et ad Orientem Vasatensem et Condomensem Agros, necnon Chalosiam. Dividitur in majorem et minorem; prior situsest Burdegalam inter et Bajonam; alter verò inter Aquas Tarbellicas et Mon-

tem Martiani. Quatuor Vice-Comitatus præcipuè continet, scilicet Albretanum, Martianum, Aquarum Tarbellicarum, et Urtensem |: Aort seu Urt :| Cæterùm Regio hæc Sabulosa est et fruticibus referta proindè sterilis et infoecunda. In ea tamen mel, lac, et suber invenitur. Præcipuas hîc horum quatuor Vice-Comitatuum Urbes et districtus expendimus. Occurrit ergo

1º Lebretum seu Leporetum |: Albret, Labrit, Alebret, Lebret :| Urbs angusta in medio Sylvæ collocata 15. leucis à Burdigala versùs Meridiem, 16. ab Aquis Tarbellicis ad Euro-Aquilone-mesem. Lebretana Regio ab eâ nomen suum sortitur, unde et ipsa Lebretum seu Leporetum |: Le Pays d'Albret :| dicta est à Leporibus, quæ in ea frequentes sunt, cæterà sterilis admodùm est. Vetus fuit Vice Comitatus Landarum sub supremo Vasconiæ Ducum seu Comitum Dominio. Franciscus I. in gratiam Henrici Navarræ Regis Leviri sui, ad quem, extincta Mascula horum Vice-Comitum prosapiâ pervenerat, Ducatûs titulo illum decoravit, hic Navarræ Rex Joannam unicam filiam reliquit heredem, quæ Antonio Borbonio nupsit, cui ut Henricus II. gratificaretur, huic Ducatui Pariatûs dignitatem addidit. Illum deinde Henricus IV. Coronæ adjunxit. Anno 1651. denique Ludovicus XIV. Duci Bullionio illum cessit vicissim ab eo receptis Sedano |: Sedan :| et Raucurio |: Raucourt :|

Regio hæc variis locis, quæ ab Aginnensi, Vasatensi, Condomensi, aliisque vicinis Tractibus avulsa fuêre aucta est et ampliata, adeò, ut nunc Neracum |: Nerac :| quod secunda Vasatensis Agri Urbs erat, quam quædam Tabulæ Geographicæ perperam in Tractu Condomensi collocant, modò ipsius Caput sit. Confinis est ad Orientem Arminiacensi Tractui et Garumnæ, quæ illam ab Aginnensi provinciâ separat; ad Meridiem Condomensi et Landarum Senescallæ, ad Occidentem Mari, et ad Septentrionem Burdigalensi et Petrocoriensi Agris. Longitudo ejus est circiter 30. leucarum, latitudo ejus exactè dimetiri non potest, quod varios Tractus pervadat. In ea igitur notatur etiam

Neracum |: Nerac :| Secunda Vastensis Agri Urbs et Caput Leporetani Ducatus. Antiqua non est spectabilis tamen, quòd in ea Duces Leporetani, qui simul Reges Navarræ et Bearniæ Principes fue-

runt, palatium in ea exstarint, in quo Regius resederunt. Sita est duabus leucis à Garumna, quatuor ab Aginno, et tribus circiter à Condomo, ad Baisam |: Baise :| fluvium, qui eam in binas dividit partes, quarum una Magnum, altera Parvum Nerauum dicitur. Præter Cathedralem Parochialem S. Nicolas dicatam adsunt Capucini, Patres Doctrinæ Christianæ, Franciscani Discalceati, et Monialæ.

Sæculo XVI. Cives plerique Calvinismum amplexi sunt. Anno 1621. adversùs Ludovicum XIII. rebellârunt, at brevi post ab exercitu Regio in ordinem redacti fuêre. Hîc Baisa navigabilis esse incipit, hinc Cives Commercio incumbunt.

2°. Martianum seu Ager Martianus |: Le Païs de Marsan :| Undè sic dicatur incertum est, id duntaxat compertum habetur, quòd jam ante mille annos sic nuncupatus fuerit, neenon ei Vice-Comites præfuerint Sub Supremo Vasconiæ Ducum seu Comitum imperio. Regio hæc populosa non est nec admodum fœcunda ferax: attamen mel et cera abundanter in ea inveniuntur, vinum item et Zeam satis copiosè profert.

Idius urbs præcipua et Caput Mons Martiani |: Le Mont de Marsan :| dicitur, à Petro Martiani Vicecomite an. 1140. extructa. Midonius |: Le Midou :| fluvius, ad cujus ripam posita est, hîc navigabilis esse incipit.

3°. Aqua Tarbellica, seu Civitas Aquensis, item Aquarum Oppidum |: Acqs seu Dax, item Daccqs :| nonnodùm Vicecomitatus, cui nomen tribuit, sed et totius Landarum Tractûs Caput. Sita est ad ripam Aturi 10. Leucis ad Euro-Aquilone-Meridiem à Bajona, et 14. ad occasum ab Aturo |: Aire :| Gallicè scribi deberet acs seu acqs, vel etiam Ax, et ex erroneo articulus De nomini ipsius junctus fuit, neenon per consuetam gallici sermonis litteræ e elisionem factum est Dacqs seu Dax.

Habet Sedem Episcopalem Auscorum Metropoli subjectam. Nomen habet ab aquis seu fontibus salubribus, qui ~~circumdantur et tractus reperiuntur~~ varios prioresque tractûs ejus incolas dispertiuntur in ipsius tractu ~~extant~~ extant, hinc à veteribus Romanis ante Julii Cæsaris tempora Aquitania dicta fuit. Eam posteà Augustus suo nomine insignivit, neenon Aquas Augustas dici voluit.

Metropolis fuit Tarbellorum populorum inter Aquitanos celeberrimorum. Gothi, Roma-

nis ejectis, primùm eam tenuerunt, postèa in Francorum potestatem venit, necnon aliquamdiu à Vasconibus habitata fuit, ut quæ semper Vasconiæ Ducatus partem fecerit. Saraceni an. 920. eam exiderunt, illinque Episcopus Odoricus abigssis expulsus Rhemos se recepit ibique Suffraganei munera obivit. Sedem deinde hoc Pastore destitutam Vasconiæ Episcopi administrârunt, donec Raymundo Senioræ, de quo S. præcedenti jam egimus, abdicato Austindus Auscorum Metropolita Episcopatum hunc Gregorio S. Severi Abbati tradidit.

Primus hujus Urbis Episcopus S. Vincentius Martyr fuisse dicitur. Gratianus itidem hic Episcopus an. 506. Concilio Agathensi subscripsit. Caterius an. 541. Concilio Aurelianensi interfuit, et Liberius ei, quod an. 549. celebratum fuit, ambo hujus Civitatis Episcopi.

Urbi huic sub Vasconiæ Ducibus et Comitibus quoad temporalia præfuerunt Vicecomites. à Sæculo XII. semper ad Anglos pertinuit usque ad an. 1451. quo Carolus VII. illam eis eripuit. Violentiis, quibus obnoxia fuit, vicissitudinibus, multùm de sua, quam sub Romanis habuerat, claritudine deperdidit.

Munimentis et Castro, in quo validum est præsidium, instructa est. à vectigalibus et tributis libera dicitur. Merces hîc justo pretio emuntur, omniaque inveniuntur, quæ ad Bajonæ illinque civium sustentationem conducunt. Venduntur vina, aquæ adustæ, pix, quæ naves illiniuntur bitumen, &c. quæ omnia Bajonam transferuntur. adsunt varia Monasteria, et Collegium, cui Patres Barnabitæ præsunt. In illius districtu situs est exiguus Trautus Auribat seu Aurebat dictus, cujus limites non satis noti sunt.

4°. Denique occurrit Trautus Aortensis seu Ortensis cum titulo Vice-Comitatûs. Situs est juxta Aturum |: Adour :| flumen in confiniis Bearniæ et Navarræ Inferioris. Nomen habet à loco, qui Ort dicitur, atque nunc vile duntaxat est oppidum. Proprios Vice-Comites habuit à Sæculo XI. usque ad Sæculum XVII. quo tandem defecerunt. in eo notatur

Petra forata |: Pierre Clouade :| ei insidebat Castrum Mons asper |: Aspremont :| dictum Vice-comitum Sedes, quod modò devastatum est. Sita est ad ripam Aturi populosa et Emporium, &c.

q |: Aort Jeu Ort :|

166. ~~[illegible]~~

§. VIII.

De Vascitantia.

Vascitantia seu Vascorum Regio |: le Païs des Basques :| ab aliquibus etiam Cantabria Francica dicta. Collocata est versùs Montes Pyrenaeos inter Aturum et confinia Hispaniae, Oceanum, et Bearniam. Nomen habet à Vasconibus, sic enim vocabantur illius populi antequam Carolus M. eos subjugasset. Ab agilitate vivacitate, fide, et industria cum Hispanis negotiandi laudantur. Speciali utuntur idiomate, quod à Francico, Hispanico, et omnibus aliis omninò distinctum est.

Regio haec pomorum ferax est, ex quibus Incolae potum conficiunt, qui Sicera |: Cidre seu Sidre :| nuncupatur. adsunt etiam in ea fontes minerales, &c. Tria exigua complectitur q̃ scilicet Lapurdense, Navarram Inferiorem, et Subolam seu Tractum Solensem. Singula expendimus.

q̃ Territoria,

167. ~~[illegible]~~

I.

De Tractu Lapurdensi.

Tractus Lapurdensis |: le Labour seu Lapourdan :| limites habet ad Septentrionem Aturum flumen, et Landarum regionem; ad Orientem Navarram Gallicam et Bearniam; ad Meridiem Montes Pyrenaeos, et ad Occidentem Cantabriam, Oceanum et Sinum Vasconicum.

Nomen habet à loco quodam Lapurdum dicto, quod non amplius extat. Fructus profert et quidpiam frumenti ac vini, necnon poma optima, è quibus Sicera conficitur. adsunt etiam in eo Salubres aquae minerales. Per hunc Tractum Vascones et post ipsos Saraceni ab Hispania irruentes in Aquitaniam penetrârunt.

Incolae ob Soli sui Sterilitatem Regi Franciae nihil fermè pendunt: primi fuisse dicuntur, qui Cetariam exercuerint. Speciali idiomate utuntur, quod cum aliis Europae idiomatis nil commune habet. Occurrit in eo:

1º Bajonna |: Bajonne :| Urbs ampla, venusta, et opulenta, necnon celebre Emporium, posita ad Nivam |: Nive :| et Aturum |: Adour :| fluvios, ac leucae spatio à mari distans, unà cum Sede Episcopali Auscorum Metropoli subjecta. Munitissima est, et adversùs Hispaniam forte Propugnaculum; ei quoque insidet Castellum trans Aturum collocatum.

Quidam nomen ejus à vocibus Baja et Ona derivant, quae idiomate Cantabrico opportunum Maris Sinum vel egregium portum significant.

Caeterùm Bajonna olim haud Civitas fuit, et ante Saeculum X. nec Episcopos habuit, nec Cathedralem

Ecclesiam. Tres sunt illius partes, scilicet Urbs magna, Urbs parva, et Suburbium Sancti Spiritûs dictum. Prior pars cis Nivam sita est, altera Nivam inter et Aturum, Suburbium verò trans eundem fluvium. Ad Suburbium ponte, qui Sancti Spiritûs dicitur, fit transitus, à quo et ipsum nomen habet.

Bajonna olim fuit Specialis Vice-Comitatus, qui postmodùm Guiennæ Ducatui concorporatus fuit. Carolus VII. Urbem hanc an. 1451. coronæ perpetuò adjunxit, cùm priùs Anglis paruisset. Celebre et frequentissimum in ea viget commercium. Singulisquoque annis hinc naves ad Cetariam excurrunt.

Cæterùm varias obsidiones sustinuit, ac præcipuè sub finem Sæculi XVI. Hispani eam occupare conati sunt. In Hispanicæ Successionis bello, vidua Caroli II. Hispaniarum Regis è prosapia Neoburgica hûc usque ad an. 1739. resedit, quo è vivis excessit.

2.ª Luisium, Lusius Vicus, seu Ganum S. Joannis Luisii |: St. Jean de Luz:| Secunda Lapurdensis Tractûs Urbs, quam aliqui amplum duntaxat Oppidum esse dicunt. Idiomate Cantabrico Luis seu Loitzun nuncupatur, quod idem est ac locus lutosus. Habet portum maris, ultimaque est Franciæ Urbs versùs Hispaniam.

In ea Cardinalem Mazarinum inter et Regios Hispaniæ Ministros congressus habitus est circa pacem, quæ Pyrenæa dicta est, atque in Vedassi |: Bidassoa:| fluvii Insula Phasianorum Insula dictâ conclusa fuit; post quam Ludovicum XIV. inter et Mariam Theresiam Regis Hispaniæ filiam an. 1660. hûc celebratum fuit Matrimonium.

Urbem hanc exiguus fluvius, qui Ninetta |: Ninette:| seu Niveletus |: Nivelet:| dicitur ab Oppido Siburre |: Sibourre:| separatur, ad quod ponte transitur. Sita est prope mare 4. leucis ad Euro-aquilone-mesem à Fonte rapido |: Fontarabia:| et totidem ad africum à Bajonna. In ea etiam conficiuntur naves, et hinc patet via ordinaria per montes pyrenæos in Hispaniam.

II.

De Navarra Inferiore.

Generatim, quod Superiori Libro I. n. 124. jam annotavimus, Navarra dividitur in Superiorem et Inferiorem, ita trans montes pyrenæos posita quinque provinciis constat et Regi Hispaniæ paret; hæc verò unica provincia continetur et cis eosdem montes sita

168.

ad Regem Franciæ pertinet. De priori egimus cit. Cap. I. De hac nobis modò sermo est. Limites habet ad Septentrionem Tractum Landarum et Aquarum Tarbellicarum; ad Orientem Subolam seu Tractum Solensem |: Soule :| ad Meridiem Montes pyrenæos, qui illam ab Hispanica Navarra separant; et ad Occidentem Tractum Lapurdensem. S. Ludovici longa est et 5. Lata duntaxat.

Regionem hanc primò Vascones Cantabriæ populi superatis Montibus pyrenæis circà finem Sæculi VI. occupârunt, undè et hodiedum Insolæ adhuc linguam Cantabricam, quam antenati sui huc attulerunt, loquuntur.

Postquam Ferdinandus Aragoniæ Rex, quemadmodùm suprà L. 1. n. 124. à nobis dictum, fultus Bulla Julii Papæ II. qui Joannem Albretanum seu Leporetanum Navarræ Monarcham à fidelium communione removerat, regnumque ejus primo occupanti donaverat, an. 1512. Navarram occupasset, idem Joannes nonnisi Sextam hanc et exiguam sui Regni provinciam retinere valuit. Henricus ejus filius haud felicior fuit, atque in hac exigua Regni sui parte duntaxat imperavit: unicam filiam ex Margaretha Francisci I. Sorore post se reliquit heredem Joannam nomine, quæ Antonio Borbonio 21. octob. an. 1548. nupsit, eique inter alias Soboles Henricum Magnum genuit, qui postèa Rex Franciæ factus est. Magnanimus hic Princeps ad filium suum Ludovicum XIII. Coronas Franciæ et Navarræ transmisit, isque Navarram Inferiorem et Bearniam Franciæ Coronæ adjunxit, penes quam adhuc perstant.

Regio hæc montosa est et sterilis, nec ejus ager, nisi cum magna sollicitudine et labore colatur, quidquam profert. Canit quidem, sed tamen optimi, hic crescunt fructus. Insolæ laboriosissimi sunt, vivaces, et ingenii, Religioni et Regi fidelissimi, Cantabrico utuntur idiomate, negotiantur cum Hispanis, quod ad ipsorum Sustantationem haud parum confert.

Provinciam hanc ~~Bidassoa~~ Bidossa |: La Bidouse :| et Niva |: La Nive :| fluvii perfluunt. In spiritualibus partim Episcopo Aquarum Tarbellicarum, partim Bajonensi subest. Propriis legibus regitur, suprà Status Rabet. Notatur hic

S. Joannes de Pede Portus |: St. Jean Pie de Port :| Caput Navarræ Inferioris, sita ad ripam Nivæ et in viâ, quæ à Fano S. Pelagii |: St. Palais :| Campelunam fuit, 8. leucis versus Occasum à Bajonna, et 12. ad Eurum Aquis-Tarbellicis Mesem à Campeluna. Antoni-

nus in Itinerario locum hunc Imum Pyrenæum nuncupat, quòd reipsa sub hac montium serie positus sit. Portus |: Port:| in hac provincia idem significat ac transitus seu fauces, quæ ad Montes Pyrenæos ducunt, et quia Urbs ista aliàs S. Joannes nuncupata in unius hujusmodi transitûs seu faucium aditu posita est, hinc S. Joannes de Pede Portus vocata est.

III.

De Subola seu Tractu Solensi.

Subola seu Tractus Solensis |: Le Païs de Soule:| situm habet in Montibus Pyrenæis, qui illum à Valle Runcalia |: Val-Roncal:| in Navarrâ separant, Bearniam inter et Navarram Inferiorem, juxtà Gabarum Sozionis |: le Gave de Suzon:| fluvium.

Plinius quorumdam circa Montes Pyrenæos populorum meminit, quos Sibillates nominat: admodùm verisimile est, Sibillates istos esse Solenses, quòd in antiquo Scriptore Gallico Fredegario* legamus verum hujus Tractûs nomen Subolam fuisse, ex quo vocabulo postmodùm per corruptionem Sola facta est.

Vice-Comites habuit hic Tractus, post ad Reges Franciæ, deinde ad Angliæ Monarchas pervenit, demùm Carolo VII. Franciæ Regi se submisit. Magnis gaudet privilegiis. Montes illius arboribus abundant ad construendas naves aptissimis, at difficilè provehuntur. Cæterùm opulentus haud est, pars Incolarum in Hispaniam proficiscitur, ut ibi sibi lucrentur quo vitam sustentent. Vocatur etiam Vallis Solensis |: la Vallé de Soule:| Status habet, quorum Comitiis omnes feudatarii seu Clientes fiduciarii jus habent assistendi unà cum septem illius districtuum Legatis. Notatur hic

Mallesolium |: Mauleon, seu Mauleon de Soule:| Caput Tractus ad Gabarum Sozionis |: Gave de Suzon:| fluvium. In ea nihil memorabile occurrit, nisi quòd patria sit celeberrimi Episcopi Apamiensis Henrici Spondani |: Henry Sponde:| ubi 6. Januarii an. 1568. natus perhibetur, è fonte Baptismatis eum levavit Henricus Borbonius Navarræ et posteà Franciæ Rex sub nomine Henrici IV. In Calvinismo educatum, cui pater ipsius addictus erat, assidua lectio Operum Perronii |: du Perron:| et Bellarmini, qui posteà Cardinales facti sunt, ad abjurandum Calvinismum et Catholicam Religio-

Nro. 169.

* Fredegarius cognomento Scholasticus scripsit librum de gestis Francorum, quod incipit in Guntramno Francorum rege et desinit anno quarto Clodovei II. extat tom. 7. Bibliothecæ Patrum.

nem amplectendam adhuxit, in qua Clerius factus est. A Ludovico XIII. an. 1626. ad Episcopatum Aquiensem nominatus, hanc dignitatem nonnisi post expressum Urbani Papæ VIII. mandatum suscepit. Annales Baronii in epitomen contraxit, atque feliciter continuavit usque ad an. 1640. Vitam posuit Tolosæ 18. Maji. an. 1643. Huic ipsius Operi istud elogium appositum fuit

Est liber hic idem, qui Cæsaris ante, sed idem
Mole minor, rerum pondere major erit.

§. IX.
De Béarnia.

170.

Bearnia seu Benearnia |: Bearn :| Principatus limites habet ad Orientem Agrum Bigerensem; ad Septentrionem Arminiacensem ~~Armagnac~~ Tractum, et Chalosiam seu Taurianum; ad Occidentem Agrum Tarbellicarum et Solensis Tractum ~~partem~~ Navarræ Inferioris partem; et ad Meridiem montes Aragoniæ et Navarram Superiorem. Longitudo ejus est 16. milliarium Vasconicorum, et latitudo 12.

Nomen habere videtur ab antiqua Galliæ Civitate, cui nomen erat Benearnum seu Benearnensium Civitas, et cujus meminit Antoninus in Itinerario, ac post ipsum Gregorius Turonensis.

Benearnum fuit Sedes Episcopalis, primusque illius Episcopus, cujus nomen invenitur, fuit Galactorius, qui an. 506. hîc sedit, cùm Concilium Agathense celebratum fuit. A Normannis et Saracenis multoties expilata fuit, ac demum an. 845. penitùs excisa adeò, ut nullum illius vestigium alibi supersit, atque locus, in quo Steterit, omninò ignoretur.

Bearnia montosa est et arida, ea tamen, quas habet, planities satis fœcundæ sunt et fertiles, in iis quidpiam frumenti et adoris seminatur, multum autem Manioci |: Manioc :| quod est planta seu arbuscula Americana, ex cujus radice panis confiitur, item linum copiosè, ex quo textilia fiunt. Colles vinetis superbiunt, quo multis in locis vinum reddunt optimum. Montes illius abietibus abundant ex quibus mali et asseres fiunt: in iis etiam reperiuntur æris, plumbi, et ferri fodinæ; adsunt etiam aquæ minerales, quæ

capitis et stomachi morbis, item vulneribus et aliis incommodis medentur. Duo præcipui fluvii illam perfluunt, qui Gabari |: Gaves :| dicuntur, scilicet Gabarus Bearniensis |: le Gave de Bearn :| et Gabarus Huronensis |: le Gave d'Oleron :| Illius Incolæ sunt robusti et laboriosi, in cibo et potu sobrii, boni oeconomi, vegeti et alacres, sed parùm ingenui, necnon rationibus suis omninò servientes, suáque commoda cum ardore captantes. An. 1695. 198000 animarum in Bearnia numerata fuêre.

Illius commercium consistit in vino, cujus magna copia pacis tempore Hollandi et Angli quotannis asportant. Incolæ etiam textilia sua, pecora, et quamplures exiguos equos, qui in montosis regionibus maximè sunt idonei, in Hispania vendunt. Multi quoque illuc proficiscuntur, ibidémque messores et Foenisecas agunt, et quæ hoc suo labore merentur stipendia secum domum reportant, unde fit, ut populus iste satis commodè vitam sustentet.

Ubi Romani Aquitaniam obtinuerunt, Bearnia etiam, quæ illius pars est, sub illorum venit potestatem; postea Gothi eam occupavêre, è qua an. 606. per Clodovæum Francorum Regem exturbati fuerunt. Post mortem Clotarii Bearnenses unà cum cæteris Vasconiæ populis rebellârunt, ac primùm sub Carolo M. in ordinem reducti sunt: deinde ab an. 820. quo Ludovicus Pius Lupo Centuli Vasconiæ Ducis filio Bearniam tradidit, ac deinceps, speciales habuit Principes, qui summâ auctoritate eidem dominati sunt usque ad Henricum Navarræ Regem, qui, sub nomine Henrici IV. Franciæ Rex factus, illam coronæ in perpetuum adjunxit. Status habet, quibus Lascurrensis Episcopus præsidet. Notatur hîc

1º Palum seu Paulum |: Pau :| urbs exigua sed venusta, et Caput Bearniæ, suprà collem posita, cujus pedem Gabarus Bearnensis |: le Gave de Bearn :| alluit, 10 leucis ad Occidentem à Tarba, 12. ad Septentrionem ab Aturo |: Aire :| In illius parte inferiore Arx est seu palatium, in quo Henricus IV. 13. Decembris an. 1557. natus est. Antiqua non est. Sedes fuit Bearniæ Principum, ipsorum horti et nemus ab

ibus peregrinantibus videri meruntur. Capuciis ab Henrico IV. hîc fuêre institutis, iisque ipse Bibliothecam suam donavit.

2°. Lascara Bearnensium, Lasturis, Lasura, et Lasurum |: Lescar :| Urbs supra eodem posita, una leuca ad Caurum à Palo, quinque ad Euro-aquilonem ab Iluro, et septendecim ad Euronotum à Bajonna, nemon leuca quadrante à Gabaro Bearnensi. Fertilissima planitie cingitur. an. 980. excitata dicitur, atque in eam Benearni seu Bencarnensis Civitatis à Normannis devastatæ Sedes Episcopalis translata. Iluius Episcopus Auscorum Metropolitæ subjicitur; et provinciæ Statibus præest.

Initio lingua Vasconica Lascourre seu Lescourre dicta fuit à variis rivorum, qui circà illam fluunt, tortuositate, quam Vascones Escourre nominant, ex quo vocabulo deinde Lescar factum est.

3°. Iluro, Iluronia, Eloronensium Civitas, Eluro, Eloro, Elonna, Elorona, Elonora, Olero, et Leronensium Civitas |: Oleron, item Chateau d'Oleron :| admodùm ampla et populosa Civitas 4. leucis à Palo et tribus à Navarrecio |: Navarreins :| et y. à confiniis Navarræ et Aragoniæ, intra Montes Pyrenæos ad ripam Gabari, qui ex ipsius nomine Gabarus Iluronensis seu Oloronensis dicitur, quique illam ab alia separat, cui nomen S. Maria; ambæ hæ Civitates ponte ligneo junguntur; in hac ultima est Ecclesia Cathedralis et palatium Episcopi Auscorum Metropolitæ Suffraganei.

In regione veterum Tarbellorum posita ante sæculum IV. nota fuisse non videtur, tùm enim primùm in Itinerario Antonini sub nomine Iluronis, quod brevi post in Elorem et Olorem corruptum fuit, notata reperitur: nec etiam apparet ante sæculum VI. et Gratum Episcopum, qui an. 506. Concilio Agathensi interfuit, atque in subscriptione Episcopus Oloronensis nominatur, aliquem hîc fuisse Episcopum; in Conciliis Parisiensi IV. et Matisconensi II. quæ post Agathense celebrata fuêre hujus Urbis Episcopus Liberius vocatur Episcopus Eloronensis.

Iluro à grassantibus Normannis et Saracenis devastata fuit, illiusque Episcopatum longo tempore administrârunt Episcopi Vasconiæ, nempe Præsules illi, qui omnes Vasconiæ Episcopatus possidebant

bant; at post abdicationem Raymundi Senioris ei Specialis Episcopus denuò datus fuit Stephanus nomine. Sub ipso Ecclesia Cathedralis excitata, et post Urbs ipsa à Centulo Bearniæ Vice-Comite restaurata fuit.

§. X.

De Agro seu Comitatu Bigerrensi. 171.

Ager seu Comitatus Bigerrensis |: La Bigorre :| limites habet ad Septentrionem Tractus Arminiacensem et Astaracensem, ad Orientem Agrum Convenensem, ad Meridiem Montes Pyrenæos, et ad Occidentem Bearniam. Longitudo ejus est 18. leucarum, latitudo 3. Trifariam dividitur, scilicet in Montanum, Planum, et Rustanum |: Rustan :| Nomen habet ab antiquis Bigerronibus seu Bigerris, quorum meminêre Julius Cæsar de bell. Gall. lib. 3. c. 27. et Plinius lib. 4. c. 19. necnon alii.

Tractus hic iisdem fatis obnoxius fuit, ac ipsa Novempopulania, quæ alibi à nobis recensita fuêre. Comites habuit sub Principibus seu Ducibus Vasconiæ. Primus, quem invenimus fuisse verum ac proprium hujus regionis possessorem fuit Raymundus, qui medio Sæculi X. in vivis fuit. Postmodùm extincta Ducum Vasconiæ prosapia, Comites hi facti sunt feudatarii seu Clientes fiduciarii Ecclesiæ et Episcopi Urbis Podii in Velaunis |: Puy dans le Velay :| deinde Regio hæc ad Philippum Pulchrum Franciæ Regem pervenit; is an. 1307. redemta feudi obligatione, qua priores illius possessores Episcopo et Ecclesiæ Podiensi tenebantur, eam an. 1311. filio suo Carolo tradidit, qui Rex Franciæ factus illam Coronæ adjunxit; deinde Regum Angliæ facta est; at Carolus V. eam denuò recuperavit; denique Carolus VII. eam Guxiensi Comiti cessit in proprietatem, à cujus Successoribus possessa fuit usque ad matrem Henrici IV. qui an. 1607. illam in perpetuum Coronæ adjunxit.

Comitatus iste præ aliis Vasconiæ Tractibus specialibus gaudet privilegiis et immunitatibus. Status habet, qui singulis annis Comitia agunt, in quibus Tarbensis Episcopus præsidet.

Montes illius sunt locò Intersepti |: Schindò-Maurr :| Galliam inter et Hispaniam, per quos patent quatuor difficiles viæ. In eo sunt latomiæ Marmoris, Jaspidis, et lapidis fissilis, montana ejus varias præbent argenti, plumbi, ferri, et æris venas, quæ

tamen negliguntur. Equos habet generosos, perdices saporatas, et thermas salubres. Fluvii in eo sunt Aturus |: Adour :| Eschesus |: Esches :| Arrosius |: Arros :| Gabarus Levitaniensis |: le gave de Levadan :| et Azunus |: Azun :| rivus, necnon tres lacus. Notatur

Tarba |: Tarbes :| Caput Comitatus ad ripam Aturi sita urbs in planitie, ubi thermæ salubres sunt, 9. lenis ab Auscis, et 6. à Palo. Excitata fuisse videtur loco Veteris Civitatis Begorrensis, quam Gregorius Turonensis Begorram seu Behorram nominat, Tarbæque nomen ultra septigententos aut octigentos annos non invenitur, enimverò Notitiæ, in quibus nomina Turba, Tarba, Travia, et interdum Tursambica leguntur, antiqua non sunt. Ex Gregorio Turonensi duntaxat habetur, quòd propè Begorram, seu, ut ipse ait, in termino Behorretanæ Urbis duo celebria loca fuerint, quorum unus Sectianum alter Talva dicebatur atque verisimile est, quòd ex ultimi nomine Talba et Tarba deinceps factum fuerit. Vetus Begorra, quæ Civitas Begorrensis, et Castrum Begorrense nuncupabatur unà cum plerisque Vasconiæ urbibus Barbarorum irruptione devastata fuit, Tarbaque ex ipsius ruinis excitata: quatuor aut quinque sunt illius partes, seu regiones, undè liquet eam repetitis vicibus amplius tam fuisse. Eam Castrum, quod Begorrense adhuc dicitur, protegit, à quo etiam Comitatus nomen habere videtur.

Habet Sedem Episcopalem Auscorum Metropoli subjectam. Episcopatus iste antiquissimus est, reperimusque Aprum Begorrensis Civitatis Episcopum an. 506. interfuisse Concilio Agathensi; Ecclesia Cathedralis Deo sub B.V. Mariæ patrocinio dicata eo loco consistit, ubi vetus Begorrense Castrum positum erat: Ecclesia parochialis centrum urbis occupat; adsunt etiam Carmelitæ et Franciscani.

Etsi Tarbæ nullum panni Opificium sit, illius tamen in ea fervet commercium, utpotè quem Mercatores aliunde accersunt. Optimum etiam hic præparatur corium.

Caput XIII. Seu
Appendix
De Regionibus et provinciis ab aliquot Sæculis ad nostram usque ætatem à Regibus Franciæ bello partis et Coronæ Suæ adjunctis, ꝛc. 172.

Regiones seu provinciæ, quas successivè bello partas Reges Franciæ Coronæ Suæ adjunxerunt hæ numerantur: 1º Comitatus Ruscinonensis et pars Cerdaniæ. 2º Comitatus Burgundiæ. 3º Lotharingiæ et Barri Ducatus ꝛc. 4º Alsatia. 5º denique Artesiæ Comitatus; et partes quædam aliarum Belgii Austriaci provinciarum, ut Flandriæ, Hannoniæ, Luxemburgi, ꝛc. quas, ubi de Belgio nobis sermo erit, expendemus.

Sectio I. 173.

De Comitatu Ruscinonensi et Cerdania gallica.

Comitatus Ruscinonensis |: Le Roussillon :| Situs est intrà Montes Pyrenæos, et limites habet ad Orientem Mare Mediterraneum; ad Septentrionem Languedociam Inferiorem; ad Occidentem Cerdaniam; et ad Meridiem Catalauniam, à qua montium Pyrenæorum parte separatur.

Inter montes, quibus Regio hæc coarctatur, notissimi et altissimi sunt Massanus |: Massane :| qui ad 408. orgyas seu perticas in altum porrigitur, et Canigus |: Canigou :| qui ad 1440. ~~porrigitur~~.

Illius longitudo ab Oriente in Occidentem est circiter 20. leucarum; cúmque montibus undique cinctus sit, æstatis tempore calor in eo vehemens est, undè Incolæ subnigri, macilenti, et monogrammi sunt.

Solum habet fertilissimum magnamque copiam frumenti, vini, et pabuli profert: agri quibusdam in locis adeo pingues sunt, ut post messem frumentariam in iis magna Milii, et aliorum fructuum copia adhuc seminetur, atque bis et usque ter ipsi fructificent. Oleæ maximas provinciæ divitias efficiunt, citrique auratæ æquè sunt fermè communes ac piri et melapia in Normannia. Ligna in hac Regione admodum rara sunt, quòd plerumque nonnisi vepretes in ea reperiantur. Multi verveces hic educantur et alun-

tur; quorum caro optima est; boves etiam saginantur at eorum carne solùm opulentiores Insolæ vescuntur; pauca adsunt vaccæ, quòd eorum lac sapidum haud sit, quo sola communis plebs utitur. Columbæ, cortunices, et perdices eximii sunt saporis.

Fluvii, qui hanc provinciam irrigant haud navigabiles sunt, Thetis |: Tet :| præcipuè sunt, ac re vera torrentes duntaxat sunt, qui, ubi nive et glacie in montibus Pyrenæis liquefactis augentur, fiunt rapidissimi, atque magnarum in regione vastationum causa.

Antiquitùs Sardones Galliæ Narbonensi adjecti populi Tractum hunc occupabant, prout à Pomponio Mela et Plinio perspimus. Avienus* in suo pœmate Geographico regionem hanc Sordicenam terram nuncupat, legi debet Sardicenam propter nomen Sardones, quod auctoritate Melæ et Plinii nititur. Atjam diu vocabulum hoc Sardones haud amplius est in usu, atque regio hæc ab Urbe Ruscinone olim Romanâ Coloniâ et Sardonum Metropoli Ruscinonensis Tractus dicta est, quod nomen deinceps in Rosilionem seu Rustilionem |: Rousillon :| corruptum fuit. Urbs Ruscino à Barbaris multoties devastata fuit et funditùs everza præsertim sæculo VIII. à Saracenis adeò, ut lodiernum nulla ejus supersint vestigia, solùm duabus à Perpiniano leucis visitur antiqua turris, Turris Ruscinonensis |: La Tour de Rustillon Tor-Rosselio :| dicta, quæ juxtà situm, quem veteres, ut Mela, Plinius, Ptolomæus, et Antoninus, Ruscinonis nobis exhibent, eo loco posita esse videtur, ubi olim Civitas hæc fuit.

Sæculo ab U.C. VII. Regionem hanc una cum reliqua Narbonensi Galliâ Romani subegerunt, atque ultrà 500. annos possedernt scilicet usque ad tempora Honorii Imperatoris et Valentiniani ejus Successoris, tum enim Visigothi eam occupavêre. nec, quamvis à Clodoveo devicti fuerint, tamen à Gallis hinc extrabari potuerunt; tandem tamen post Rodorici gothorum regis cladem, et circa an. 709. in Saracenorum seu Mauritanorum potestatem venit. Pipinus et Carolus Magnus ejus filius, postquam in hisce Galliæ et Hispaniæ confiniis varia Marte adversùs Saracenos istos pugnassent, demum an. 796. Carolus M. et Ludovicus ejus filius tunc Aquitaniæ

* Avienus Sextus fuit Latinus Poeta: Sub Gratiano et Theodosio Imperatoribus integrum librum versibus elumbravit. Ferunt eum esse Rufum Festum Avienum seu Avianum, Bonum, qui orbis descriptionem, librum de ora maritima, et fabulas Æsopi versibus edidit.

Rex Comitatum hunc obtinuerunt, eique Comites praefecerunt: hi sub finem Caroli IX. et initio regni Caroli Simplicis illius proprietatem sibi asseruerunt relicto regibus Franciae Supremo duntaxat Dominio, in eaque permanserunt usque ad an. 1173. quo Comes Guinardus seu Guifredus illum Alphonso Aragoniae Regi et Barcinonensi Comiti testamento reliquit, penes cujus Successores obtento etiam an. 1258. a Ludovico IX. Franciae Rege directo seu supremo illius Dominio remansit usque ad Joannem Aragoniae Regem, qui, cùm adversùs Barcinonenses sibi rebelles bellum gereret, eundem Ludovico XI. Franciae Regi an. 1462. oppignoravit; at brevi post Insola, quòd novum istud Dominium aversarentur, adversùs eum rebellârunt, et quia Rex Aragoniae occultè rebellionem hanc fovebat, eique suspectus aderat, hinc oriundo belli inter ambos Reges, in quo dum vario successu pugnatum fuisset, tandem an. 1473. Ludovicus Perpiniacum obtinuit, ac Aragonios totâ Comitatu expulit; quem tamen an. 1493. Carolus VIII. ex conventia tenaritudine Ferdinando Regi Aragoniae liberè restituit, eúmque ipse et Successores sui tenuerunt usque ad an. 1642. quo Ludovicus XIII. adversùs Philippum IV. Hispaniae Regem belligerans Perpiniacum et integrum Comitatum denuò occupavit, qui 17. post annis scilicet an. 1659. vi pacis Pyrenaeae Ludovicum XIV. inter et eundem Philippum IV. conclusae Franciae unà cum omni Dominio confirmatus fuit.

Praecipuum hujus provinciae commercium, quodque incolis usque decenta librarum millia refere dicitur, consistit in oleo olivarum; magna enim hîc est olearum copia. Hinc etiam frumentum et milium alibi transvehuntur; viget etiam lanae negotiatio, quòd quamplurimi vervices et oves ibidem educentur, haec tamen ultra Granianam haud porrigitur.

Ruscinonensium mores iidem fere sunt ac Hispanorum, nisi quòd minùs zelotypi sint, et magis laboriosi.

Comitatus hic duobus constat territoriis |: Vigueries:| Perpiniacensi scilicet et Confluentino, quae breviter expendimus.

§. 1. 1174.

De Territorio Perpiniacensi.

Territorium Perpiniacense |: La Viguerie de Perpignan:| Orientalem Comitatus Ruscinonensis partem occupat. In eo notatur

1°. Perpiniacum seu Baterianum |: Perpignan:| nunc totius Comitatus Metropolis seu Caput, &c

loco urbs hæc ædificata fuit, quo olim Flavium Ebusum steterat: posita est partim suprà collem partim in planitie ad dexteram Thelis |: Tet :| ripam, qui una ab urbe leuca Mari immergitur. Munita est ac Castello in eminenti loco posito variisque propugnaculis instructo protegitur. Venusta non est nec satis concinnè ædificata, vicos tamen aliquos habet ad lineam ductos et latos. Quando constructa fuerit incertum est, nec credendum fabulis, quæ circà illius primordia circumferuntur. Quinque sunt ipsius portæ, et unicum Suburbium, cui S. Mariæ nomen.

Magistratus ejus omnium Franciæ Civitatum augustissimus est, constat quinque Consulibus et duodecim Senatoribus. Consules hi speciali privilegio gaudent singulis annis Patritios creandi, destinata ad hoc dies incidit in 16. Junii.

Est Sedes Episcopalis ab an. 1604. quo à Clemente VIII. ab Elna huc translata fuit, Episcopus tamen semper Elnæ Episcopus nuncupatur, estque Suffraganeus Archiepiscopi Narbonensis, Inquisitoris etiam titulum gerit, nec tamen propterea alia ei competit jurisdictio, quàm aliis Franciæ Episcopis.

Præter Ecclesiam Cathedralem quatuor adhuc hic numerantur Ecclesiæ parochiales, inter quas eminet ea, quæ S. Joannis dicitur, ut quæ jus habeat omnia Sacramenta aliarum parochialium Ecclesiarum fidelibus administrandi, eorumque mortuos sepeliendi. Adsunt etiam varia utriusque sexûs Monasteria, ut Dominicanorum, Carmelitarum, Franciscanorum, Augustinianorum, Patrum de Mercedes, Minimorum, Carmelitanarum, et Augustinianarum Discalceatarum, Monialium S. Salvatoris, Ordinis S. Dominici, S. Claræ, et Congregationis B. V. Mariæ. *Jesuitæ quoque hic duo habent Collegia, atque Seminario præsunt.

*Et hæc deserere debuerunt totâ Galliâ pulsi.

Adest etiam Universitas quatuor constans facultatibus à Petro Arragoniæ Rege an. 1349. fundata. Item Curia Monetalis. Hic quoque residet Supremus provinciæ Senatus seu Parlamentum.

2°. Elna et Helena |: Elne :| urbs exigua ad ripam Thichis |: Tec :| supra collem, quem amoena planities cingit, duabus à Perpiniaco leucis posita. Olim venusta fuit et jucunda, at an. 1285. à Philippo Audaci Franciæ Rege, postmodùm an. 1474. sub regno Ludovici XI. et tandem an. 1642. quo Ludovici XIII. exercitus eam occupavit, penitus devastata

fuit. Inea 224. circiter ædes numerantur, et 877. Incolæ.

Erat Sedes Episcopalis, quæ ab Urbano Papa VIII. an. 1604. Perpiniacum translata fuit.

Quidam arbitrantur Urbem Illiberim, ad quam teste Livio lib. 21. c. 34. Hannibal montes Pyrenæos superaturus castra posuit, eo loco stetisse, ubi modò Elna est; nemo tamen credet eam esse Illiberim seu Eliberim illam, in qua celebrata fuit Synodus, quam Historia Ecclesiastica Illiberitanam seu Eliberitanam nuncupat; quid enim verisimile sit Episcopos Hispanos, ex quibus unicè ipsa fuit composita, sine ulla necessitate intrà montes Pyrenæos congregari voluisse?

Huic Urbi dominatur Episcopus Perpiniacensis. Constantinus M. eam restaurasse dicitur, atque nomine matris suæ Helenam dixisse, undè fortè Elna factum est.

§. II. 175.

De Territorio Confluentino.

Territorium Confluentinum |: La Viguerie de Conflans seu Conflent:| aliàs Confluentes dictum, est vallis Pyrenæis circumcincta montibus, et quam Thelis |: Tet:| perfluit; partem Occidentalem Comitatûs Ruscinonensis occupat. Antiquitùs Ceretaniæ appendix erat. Speciales habuit Comites usque ad Bernardum Wilhelmum, qui illud Raymundo Berengario Barcinonensi Comiti tradidit: postmodùm Ruscinonensi Comitatui adjunctum fuit. In eo notatur

Villa Franca |: Ville Franche:| Urbs exigua Caput Territorii sita ad ripam Thelis |: Tet:| inter binos montes præruptos et præaltos, octo leucis à Perpiniaco, à Raymundo Ceretaniæ Comite an. 1092. extructa. Sua habet munimenta et castro protegitur à Ludovico XIV. post pacem Pyrenæam excitato.

§. III. 176.

De Ceretania Gallica.

Ceretania seu Cerdania Gallica |: La Cerdagne seu Cerdaigne Françoise:| exiguus Tractus, cujus limites sunt ad Orientem Comitatus Ruscinonensis; ad meridiem Catalaunia; ad Occidentem Ceretania Hispanica, et ad Septen-

trionem Comitatus Fuxiensis. Partem Orientalem et minimam Comitatûs seu Principatûs Ceretaniæ; occupat, Occidentalem quippe, quæ longè major est, tenent Hispani, de qua sup. l. 1. Cap. 1. part. 1. §. 6. n. 143. egimus. Notatur hîc

Mons Ludovici seu Lodoici vel Landiacum |: Mont-Louis:| Urbs munitissima cum Castro itidem munitissimo an. 1681. à Ludovico XIV. extructa atque nomine suo insignita, ut propugnaculi loco esset adversùs Hispaniam. Sita est supra collem in confiniis Confluentium ad dexteram faucium Perticæ |: Col de la perche:|

Sectio II.

177. ~~[illegible]~~

De Comitatu Burgundiæ.

Comitatus Burgundiæ |: Le Comté de Bourgogne seu La Franche Comté:| olim Burgundia Superior dictus, quòd Superiorem totius Burgundiæ partem occupet, quamvis à Ducatu omninò separatus sit, necnon uterque distinctis Principibus et Dominis paruerit; enimverò Ducatus primus Franciæ Pariatus fuit, Comitatus verò longo tempore sub Imperio stetit. Limites ejus sunt ad Septentrionem Lotharingia; ad Orientem Mons Belligardus |: Le Mont belliard:| Pagus Alsgaugensis seu Alsatiensis |: Le Païs d'Ajoye, Elsgau:| et Helvetia à qua Jurasso Monte separatur; ad Meridiem Bressia |: La Bresse:| et ad Occidentem Ager Bassiniacus, Ducatus Burgundiæ et Bressia. Longitudo ejus est circiter 60. et latitudo maxima 40. leucarum. Continet maximam partem provinciæ Sequanorum inter Celtas celebrium, quos Julius Cæsar sub jugum adduxit. Communiter Gallicè La Franche Comté, idest, Liber Comitatus nuncupatur, quòd illius Incolæ à prima sua origine omninò liberi ab omnibus vectigalibus et tributis fuerint, nihilque Principibus seu Comitibus suis penderint: at Carolus V. Imperator immunitatem hanc imminuere visus est, cùm provinciam hanc Imperio, a quo jam diu avulsa fuerat, denuò subjecit, necnon Belgio adjectam circuli Burgundici partem fecit; Ludovicus XIV. verò vix non omninò suppressit.

~~[illegible]~~

Burgundiones ex ultimis Germaniæ finibus seculo V. inventes hanc provinciam occupavêre, sæculo sequenti Franci eam subegêre, ac penes eorum Reges, posteà Imperatores permansit usque ad Caroli Crassi abdicationem; tùm enim Burgundiæ Trans-

juranæ populi Rudolphum quendam Regem sibi constituerunt: postmodum Comites habere coepit, primusque fuisse memoratur Otto Wilhelmus Berengarii Italiæ Regis nepos, qui Nivernum apud matrem suam Gerbergam profectus, sub Rudolpho III. Burgundiæ Rege vicinam Jurasso monti regionem hanc occupavit (: quo titulo, ignoratur :) eique summo et à nemine pendente imperio dominatus est; at Conradus II. Imperator cognomento Salicus, cùm, mortuo dicto Rudolpho Burgundiæ Rege regnum istud sibi asseruisset, Renaldum I. Ottonis Wilhelmi filium, ut sibi homagium præstaret, adegit; eo vita functo idem Renaldus Henrico III. ejus filio, cui nomen Niger fuit, se subdere renuit, at prælio victus eidem Solodori, ubi tunc erat, fidelitatis juramentum præstitit, ejusque Successores sub Imperio fuerunt. Tandem Carolo Burgundiæ Duce, cui Comitatus iste obvenerat, prope Nancejum, relicta unica filia herede, occiso, Ludovicus XI. Franciæ Rex non modò Ducatum sed et unà Comitatum Burgundiæ occupavit; at an. 1493. in pace Silvanectensi (: Senlis :) Philippo Maximiliani Imperatoris et dictæ Mariæ filio Comitatus iste redditus est, penesquem et Successores suos permansit usque ad Carolum II. Hispaniæ Regem, cui Ludovicus XIV. Franciæ Rex an. 1668. illum eripuit, eodemque anno vi Tractatûs Aquisgranensis restituit; sed an. 1674. denuò illum occupavit, eique an. 1678. in pace Noviomagensi plenè relictus est.

Olim in hac provincia Sylvæ adeò frequentes erant, ut nullam invenire esset, quæ tot arboribus abundaret; at ubi Regum Franciæ facta est, tum magna illarum copia excisa fuit ita, ut modò ligna ibidem rara fiant. Partim montosa est partim plana, hæc optima est et omni frumentorum et frugum genere, vinóque fertilis; altera verò pascuis præstat. Adsunt etiam fodinæ plumbi, ferri, et argenti, item latomiæ alabastri albi, et coloris jaspidis, necnon marmoris nigri, &c.

Commercium ejus consistit in frumento, vino, pabulo, equis, porcis, et aliis pecoribus, si verveces excipias, quòd solum eis haud conveniat, lanaque eorum vilis sit.

Fluvii, qui eam perfluunt, præcipui sunt Araris seu Soccona (: La Saone :) Lugonius (: Le Lougnon :)

Dubis |: Le Doux :| Luva |: La Louve :| Idanus seu Danus |: Le Dain meliùs L'Ain :|

Incolæ bellicosi sunt et laboriosi, libertatis amantes; arguuntur quòd sint impetuosi et violenti.

Comitatus iste antehac generatim in tres magnas Præfecturas dividebatur, scilicet in Superiorem seu Amontii vel Graji; in Mediam seu Dolensem; et in Inferiorem seu Avalensem. Ubi Ludovicus XIV. an. 1674. Comitatum hunc adeptus est, quartam erexit ex Civitate Vesontionensi, cui centum ab aliis Præfecturis avulsas adjecit ~~compositam~~ communitates, compositam. ¶

§. I.

De Amontio

Seu Præfectura Grajensi.

178.

Amontium |: L'Amont :| seu Præfectura Grajensis |: de Gray :| partem Superiorem Comitatûs occupat, atque versùs Septentrionem Lotharingiæ confinis est. Notatur hic

1º. Grajum seu Græum, item Gradicum |: Gray seu Grey :| Urbs Præfecturæ Caput, à qua et ipsa nomen sibi asciscit. Sita est ad Ararim |: Saone :| 8. leucis ad Septentrionem à Dola, 12. ad Caurum à Vesontione, 10. ad Euro-Aquilone-Mesem à Divione. Mercantilis est nemon celeberrimum totius provinciæ Emporium. Hic frumenta et ferramenta navibus imponuntur, quæ Lugdunum transferuntur. Primùm Sæculo XI. et circà an. 1050. nota fieri cœpit, tuncque gradicum erat nomen ejus. Opportuno loco positam Principes Austriaci optimis propugnaculis instruxerunt adeo, ut totius provinciæ Urbium vix non munitissima fuerit; at an. 1668. Ludovicus XIV. occupatam munimentis nudavit.

In eâ præter Ecclesiam parochialem adest Collegiata, numeranturque tria Virorum Monasteria, Jesuitarum Collegium, et Summatim 3982. Incolæ. Hic ponte lapideo ab una Araris ripâ ad aliam transitur.

2º. Vesolum, Vesullum, Castrum Vesolense, Vesula, et Vesulium |: Vesoul :| exigua sed populosa Civitas posita in regione fertili, ubi præstantia vina crescunt, in pede montis, qui gleba Vesoli |: la Motte de Vesoul :| dicitur, et ad ripam Durgonis |: Durgeon :| rivi, 9. leucis ad Aquilonem à Vesontione, 2½. ab Arari, et 15. ad Gavonium à Monte Bellicardo. Ante Sæculum XI. nulla fit ipsius apud Scriptores mentio. Olim Spectabilis admodùm fuit, at postquam

¶ Huic Burgundiæ Comitatui Principatum Montem Bellicardensem adnectimus, quod eidem adhæreat, et olim pars ejus fuerit, quamvis jam à pluribus Sæculis ab eo avulsus sit: attamen in tabulis geographicis eidem adjungitur, et velut pars illius describitur.

multoties occupata, recuperata, et expilata fuit, præsertim dum Sæculo præterito bellum inter Reges Franciæ et Hispaniæ fervesceret, multum ipsi de splendore suo deperiit. Adsunt hic præter Ecclesiam parochialem, quæ simul est Collegiata, duo Monalium Visitationis scilicet et Annuntiationis B. V. M. Monasteria; item Jesuitarum Collegium. Capucini etiam extrà muros habent Conventum.

3º Ludera, Lutera, Lutra, et Luthra |: Lure seu Leure:| Urbs exigua et Monasterium Ordinis S. Benedicti prope Lugonium |: Lougnon:| fluvium in confiniis Comitatûs Montis Bellicardi. Monasterium hoc fundatum fuit sub invocatione S. Pauli à S. Deicola |: Dejols, seu Deol, aut Diel:| primo illius Abbate S. Columbani Discipulo circà an. 611. sub regno Clotarii II. Franciæ et Burgundiæ Regis. Illud Hunni expilarunt et devastaverunt, ac aliquamdiu desertum mansit, primúmque an. 959. ab Eberhardo Alsatia Comite ejúsque duobus filiis Eberhardo et Hugone sub Ottone Magno restauratum fuit. Sensim deinde labascere coepit, ac sub Carolo V. Imperatore auctoritate Pauli Papæ III. Murbacensi Principali Alsatiæ Superioris Monasterio Benedictino adjectum fuit, sub quo adhuc degit, adeò ut Abbas Murbacensis simul et Abbas Luderensis sit. Sed Monachi abjecto cucullo facti sunt Canonici ab anno 1765.

4º Luxovium seu Luxolium |: Luxeu, Luxeul, Luxeuil, Lusseul, Luxueil, et Luxeoul:| Urbs propè Monasterium Benedictinum ejusdem nominis, à quo ipsa originem suam habet, sita sub monte Vogeso 6. leucis à Vesullo, et 7. à Ludera.

Prope hanc Urbem est fons mineralis, qui multum æstimatur. Fons iste ansam præbuit Arcem ædificandi, quam Theodoricus Burgundiæ Rex S. Columbano tradidit, quam ipse in celebre Monasterium istud convertit.

179.

§. II.

De Præfectura Vesontionensi.

Hæc Præfectura primum à Ludovico XIV. quod suprà memoravimus, erecta fuit, in ea nullus locus occurrit, qui memorari mereatur præter Vesontionem. Igitur

Vesontio, Visontium, et Besantio |: Besançon :| totius provinciæ seu Comitatûs Metropolis vel Caput; sita est in peninsula, quam Dubis efficit, qui et ei fossarum loco est, necnon bifariam illam dividit nempe in Superiorem et Inferiorem, 19. leucis ad Eurum a Divione, 26. ad Aquilonem à Geneva, 30. ad Africum à Basilea, et 10. ad Euro-Aquilone-mesem à Dola, necnon 19. ad Euronotum à Lingonis. Ampla et munita est, ac Castrum in eminenti et prærupto saxo positum illam protegit.

Quæ de illius origine nominisque etymologia referunt Scriptores omninò sunt incerta, antiquissimam esse omnes affirmant, et, si quibusdam fides, jam 434. annis ante Romam ædificata fuit, qua de re in illius Armamentario hi versus leguntur:

Martia Romuli dum senior Vesontio gente
Magnanimos habui Martis in arte viros:
Nondum Cæsar eras, nec lilia sceptra gerebant,
Cùm cessit jussis sequana terra meis.

Cæsar de bell. Gall. lib. 1. eam velut munitissimam Galliæ Civitatem prædicat; Romani ad suum propositum adeo opportunam censuerunt, ut eam armorum aream urbémque splendidissimam fecerint. Extrà muros illius extant adhuc rudera amphitheatri, et Templi, aliaque intra urbem ædificiorum, quæ hodiedum adhuc nomina sibi à Romanis imposita servant. Aurelio Imperatori arcum triumphalem erexit, cujus supersunt reliquiæ. Sub Juliano Apostata à Germanis, qui sub Rege suo Croco in Gallias penetrarunt, devastata fuit, et postquam restaurata fuisset, eam Attila excidit. Postmodùm à Burgundionibus in illum, in quo nunc est, statum reducta fuit.

Quidam antiqui Scriptores illam græco nomine Chrysopolim, id est, Civitatem Auream vocavêre. Joannes Papa VIII. in Epistola ad Imperatorem Carolum Crassum Theodoricum illius Antistitem vocat Archiepiscopum Chrysopolitanum: unde autem nomen istud ipsi obvenerit, etiamnum ignoratur.

Olim, et usque ad pacem Monasteriensem libera Imperii Civitas fuit; tùm enim ab Imperatore et Imperio Hispaniarum "Regi" cessa fuit loco Francodaliæ |: Franckendal :| quam Hispani tenebant, et quæ Electori Palatino restituta fuit. An. 1674. Ludovicus XIV. eam subegit, atque cæteris sui

regni urbibus adjunxit.

Est Sedes Archiepiscopalis vetustissima, et quamvis primis Ecclesiæ saeculis hæc Archiepiscopalis dignitas in controversia fuisse videatur, saeculo tamen VIII. antistitibus illius omninò confirmata fuit. S.R.J. Principum titulo gaudent, qui modò vacuus est.

Ecclesia Cathedralis S. Joannis dicitur, positaque est sub monte S. Stephani, qui olim Mons Coelius vocabatur. Traditio est S. Linum sub Claudio Imperatore ibidem propè exiguum fontem Capellam seu Oratorium quoddam Christo renascenti, B.V. Mariæ et S. Protomartyri Stephano dicatum, fontemque ejusdem ipsum, dum in illius aqua ad fidem Christianam conversos baptizavit, sanctificasse. S. Maximus Oratorium hoc temporum aut hominum injuria penè dirutum restauravit, at cùm angustius esset, quàm ut populorum ad audiendos ipsius comitiones confluentium multitudinem continere valeret, propè Capitolium Ecclesiam extrui curavit, quæ Imperatricis Helenæ Constantini M. matris liberalitate perfecta variisque numeribus ditata fuit. Initio S. Stephani dicta est, cui S. Joannis nomen additum fuit, quod nomen ab illo tempore, quo à S. Hilario alia sub nomine S. Stephani in Monte Coelio exstitata fuit, semper ac unicè retinuit. Hæ binæ Ecclesiæ de primatu inter se diu certârunt, at an. 1668. litem dirimit Rex Hispaniarum, tum enim Ecclesiam S. Stephani demoliri et ejus loco Castrum extrui curavit.

In Ecclesia Cathedrali multæ Sanctorum reliquiæ asservantur, atque inter alias ejus S. Agapiti Martyris, qui in provincia summa religione colitur. At eminet Sacrum Christi Servatoris nostri Sudarium, quod bis in anno, scilicet in festo Paschatis, et Dominica post Ascensionem Domini immensæ populorum undique hùc confluentium multitudini exhibetur: ajunt Sacrum hoc pignus à S. Chalidonio hujus Urbis Episcopo hùc allatum fuisse.

Præter Ecclesiam Cathedralem numerantur Vesontione duæ Collegiatæ, octo Parochiales, binæ Monachorum et totidem Monialium Abbatiæ, septem aliorum Monachorum seu Religiosorum, et quinque Monialium Conventus, Collegium Jesuitarum*, et Seminarium; item Xenodochia, unum, in quo utriusque sexus infantes pauperum educantur, alterum communis, tertium S. Spiritus pro infantibus expositivis; denique Sophronisterium, in

* Num collegium istud abaliis possidetur.

quo impudicæ mulieres recluduntur.

Prætorium, palatia Præfecti et Granvellanum pulcherrima sunt urbis Vesontionensis ædificia.

Adest Universitas primùm an. 1292. ab Ottone IV. Comite fundata et graji erecta; deinde an. 1422. et 1423. à Philippo Bono restaurata et Dolam translata; denique an. 1691. à Ludovico XIV. huc transposita. Constat quatuor facultatibus, item adsunt Græcæ et Hebraïcæ linguæ Professores. Adest etiam Supremus totius provinciæ Senatus seu Parlamentum.

Summatim Vesontione 11520. Incolæ numerantur.

§. III.

180. 3mo De Præfectura Dolensi.

Præfectura Dolensis medium totius provinciæ occupat non secùs ac Vesontionensis; unde et priusquam hæc erecta fuisset, sola Mediæ nomen obtinebat. In ea notatur

Dolum seu Dola Sequanorum seu Dolensis Urbs |: Dole :| optimè ædificata est et munitissima ad ripam Dubis in regione, quæ aliàs Vallis amorum |: le Val d'amours :| ob illius amoenitatem et fertilitatem nuncupata est, 10. leucis ad Africum à Vesontione, 12. ad Euronotum à Divione. Quidam arbitrantur illam esse Ptolomæi Didattium. Caput erat totius Comitatus, cùm Vesontio Reipublicæ cujusdam adhuc formam haberet. Hujus Comitatûs Principes eam Senatu, Rationum Fisci Curiâ, et Universitate ornârunt; necnon longo tempore in ea Sedem habuerunt, undè, ut et propter loci, in quo posita est, amoenitatem Dola gaudiosa cognominata fuit, at postquam an. 1479. à Francigenis capta et penè excisa fuit, mutato cognomine Dola tristis dicta est. an. 1530. Carolus

4 eam V. Imperator munimentis auxit. an. 1636. Princeps Condæus perperam illam obsedit; at an. 1668. et 1674. Ludovicus XIV. eam obtinuit ac postea munimentis mudavit.

Vicos habet pulcherrimos et speciosis ædificiis ornatos, ut sunt palatium, in quo Supremus Senatus, qui, ut supra dictum an. 1691. Vesontionem translatus est, sessiones suas celebrabat; Rationum

fisci Curia; Domus Universitatis, quæ modo est Vesontione; Monasterium Monialium B.V.M., Collegium S. Hieronymi, Ecclesia B.V.M. Collegium Jesuitarum, quo splendidiorem hi Patres tota Francia non possident; supra illius portam collocata est Statua S. Ignatii de Lojola cum hac epigraphe: Successori Sancti Thomæ, de qua quidam Senator Vesontionensis ait: S. Ignatium hanc Successionem non nisi sub beneficio Inventarii accepisse.*

* At etiam hunc magnificum Collegium Jesuitis ereptum est.

Arena, in qua Romani prælium iniisse dicuntur, residuum aquæductus eodem loco constructi, via regia quæ ad Rhenum usque protendebatur, et cujus indicia adhuc præbet ea, qua hinc Vesontionem itur, tot sunt illius antiquitatis documenta. In ea numerantur quinque virorum et sex Monialium Monasteria, necnon Nosocomium, et ultra 4000. Incolarum.

§. IV.

De Præfectura Avallensi.

181.

Præfectura Avallensis |: Le Baillage d'Aval :| partem inferiorem Comitatûs occupat, atque versùs Meridiem Bressiæ confinis est. Notantur in ea

1º Salina, Salinæ, seu Saliense Castrum, item Villa Salinarum, Puteus Salinarum, et Salinæ Sequanorum |: Salins :| Urbs spectabilis sita ad Foricam |: Furieuse :| rivum qui in ipsa scaturit, in valle, quam ex utraque parte bini stipant montes, 8. leucis versus Meridiem à Vesontione, et totidem à Dola versus Euronotum. Nomen habet à Sale, quod ibidem ignis ope conficitur, et quo provinciæ ipsi et Helvetiæ parti providetur. Ab hac Salina Burgundiæ Comitatûs Incolæ Burgundiones saliti |: Burguignons Salés :| dicti sunt. Admodum populosa est atque 5663. Incolas numerat; satis munita non est, unico Castro, cui S. Andreæ nomen est, protegitur, quod an. 1674. multis suorum desideratis obtinuerunt francigenæ.

Civitas hæc diu proprios et speciales suos habuit Dominos, donec hereditatis titulo ad Duces Burgundiæ, et ab his ad domum Austriacam, inde ad Reges Franciæ pervenit.

Quo tempore hæc Salina detecta fuerit ignoratur. contendunt aliqui illam Romanis jam notam fuisse, sed et hoc incertum est; et fortè ab hac incertitudine liberaremur, nisi an. 1336. quidam provin-

cia Nobiles adversus Principem rebelles Urbem hanc unà cum omnibus suis documentis Vulcano addixissent. Memoriæ tamen proditum est illam jam Sæculo IX. Stetisse; imò Ammianus Marcellinus lib. 28. c. 5. memorat sub Valentiniano Imperatore Burgundiones inter et Germanos ob Salinam cruentum exarsisse bellum, quod de hujus Urbis Salina intelligi debere videtur, cùm Burgundiam inter et Germaniam nullæ aliæ fuerint tanti momenti, ut belli causa esse possent.

In hac Urbe tres numerantur Ecclesiæ Collegiatæ, quatuor Parochiales, item Monasteria Carmelitarum Discalceatorum, Capucinorum, Minorum Conventualium; Monialium Carmelitanarum, S. Claræ, tertii Ordinis S. Francisci, Visitationis B. V. M. Urselinarum. Patres Oratorii hîc etiam habent Collegium, et Jesuitæ Hospitium*. Adest quoque Xenodochium.

* Alii nunc ibidem hospitantur.

2º Arborosa |: Arbois :| Urbs parva quidem sed populosa, necnon ob præstans vinum, quod solum ejus profert, celebris. Sita est trans Laustinam |: Laustine :| rivum Salinas inter et Poliniacum duabus ab unaquaque leucis; 6. ad Euronotum à Dola, et 9. ad Africum à Vesontione, in valle intra duos montes. Suburbia habet, quæ Urbibus; fossas, quæ hortis; et montes, qui sylvis sunt similes.

3º Poliniacum |: Poligny :| Civitas exigua sed venusta, posita ad rivum, qui Dubi immergitur, 5. leucis ad Euronotum à Salinis, et 13. à Vesontione, in regione frumenti et vini divite. In partitione à Lothario Imperatore Ludovicum Germanicum inter et Carolum Calvum an. 870. factâ Polemniacum nuncupatur, Sæculo sequenti autem Poliniacum seu Polinei dicta fuit. Vetus est, fuitque olim Caput Warascorum inter Sequanos celebrium, qui ad utramque Dubis ripam consederant: unde regio, in qua posita est, Pagus Warascus seu Verascus olim vocata fuit.

In ea numerantur, præter Ecclesiam Collegiatam, quatuor Virorum Monasteria, et unum Urselinarum. Patres Oratorii hîc etiam domum habent, ut et Religiosi Ordinis Sancti Spiritûs. 3500. circiter animas Urbs ista continet.

4º Pons Elaveris |: Pont-Arlier seu Pont-Allier, olim Pont-Elie :| Urbs sita ad Dubim non procul à Jurasso monte, ac propè viam, qua commodè è Francia in Helvetiam transitur. Transitus

iste jam ætate Julii Cæsaris momentosus erat, illúmque lib. 1. c. 6. de Bell. Gall. describit: eum modò tuetur arx seu Castrum supra rupem fermè inaccessam media ab urbe leuca positum.

In hac urbe præter Ecclesiam parochialem tria sunt Monialium Monasteria, item domus, in qua quatuor aut quinque Jesuitæ morantur.* Incolas numerat circiter 2664.

* modò evanuerunt.

5º Orgeletum seu Orgelium |: Orgelet vel Orgeles :| Urbs exigua posita ad Scaturiginem Valusiæ |: Valouse :| fluvii, qui ad meridiem fluens in Idanum |: Ain :| influit. Frequens est in ea pannorum, qui ibidem conficiuntur, negotiatio. De illa fertur adagium, quòd campos habeat sine herba, fluvios sine piscibus, et montes sine silvis, quòd ipsius districtus propter multos colles, saxa, et rupes admodùm sterilis sit. Adest Monasterium ordinis Cisterciensis. Incolæ civitatis 532. circiter numerantur.

6º Fanum S. Claudii seu S. Eugenii, vel Sanctus Claudius |: St. Claude vel St. Oyen aut Oyant :| Urbs sita inter montes præaltos ad ripam Lisonæ |: la Lisone :| in confiniis Bugesiæ |: Bugey :| et Gessiæ |: Gex :| 5. vel 6. leucis ad Caurum à Geneva, et 23. ad Austrum à Vesontione. Simplici muro cingitur, et quatuor sunt illius vici; domus habet perpulchras sed plerumque ab Opificibus habitatas, qui ex buxo, quod ibi frequentissimum est, varia minuta conficiunt opera, ut exiguas Sanctorum statuas, rosaria, numismata, et cruces; In his minutis operibus Incolarum divitiæ consistunt, quæ illi inde asportant, qui S. Claudii reliquias veneraturi ad ejusdem nominis et loci Monasterium peregrinantur.

Monasterium istud Sæculo V. anno scilicet 425. sub Jurasso monte à quodam Sancto viro, cui nomen Romanus ædificatum, atque primùm hujus montis nomine Jurense Monasterium dictum est, in quod posteà, sequenti fortè sæculo, Regula S. Benedicti introducta fuit. Eodem Sæculo VI. illius Abbas S. Augendus |: Oyen seu Augen :| adeo celebris fuit, ut non modò Monasterium ipsum, sed et tota illius vicinia nomen ~~ipsius~~ hujus Sancti Abbatis sumserit. S. Claudius Principum Palatinorum prosapiâ oriundus, et qui Sæculo VII. floruit, relicto Vesontionensi Archiepiscopatu, quem per sex annorum spatium tenuerat, in illud

se contulit, illinsque duodecimus Abbas factus Antecessores suos, qui omnes Sanctorum fastis adscripti fuerunt, vitæ Sanctimonia ita æquavit, si non superavit, ut summam populi venerationem meritus sit; et miracula, quæ post illius obitum, qui an. 690. contigit, apud ejus sepulchrum facta fuêre variæ conditionis homines huc attraxerunt, atque tandem Monasterium ipsaque Civitas nomen ejus assumserunt.

Omnium horum Abbatum reliquiæ adhuc in hujus Monasterii Ecclesia, ~~assermatur~~ quæ magnifica est, asservantur; inter eas autem eminere videtur integrum S. Claudii corpus, quod unà cum visceribus suis jam per mille sexaginta, et quod excurrit, annos, à die scilicet obitûs sui ad præsentem usque diem incorruptum permanet; tangi potest, et quamvis repositorium, in quo jacet, singulis diebus ter aperiatur, populique illius pedes osculari permittantur, miraculum tamen perseverat ita, ut nec aëris humiditas, nec peregrinantium halitus ulli illius putredini ansam hactenus præbuerit. Miraculum istud non modò traditioni innititur, verùm etiam testimoniis et relationibus virorum fide dignissimorum, nempè Abbatum S. Martini Augustodunensis, S. Benigni Divionensis, et Balmensis in Comitatu Burgundiæ, quos Nicolaus Papa V. an. 1447. illuc miserat, ut in illud inquirerent, et Cardinalis de Strata /: d'Estrée :/ tanquam Sedis Apostolicæ Legati an. 1690. in idem Monasterium à Papa missi: sic ille hac de re loquitur: Tam celebris Abbatiæ septa vix ingressos vehementer affecit loci antiquitas, dignitas, religio, reliquiarum multitudo atque præstantia. Eminet enim inter alias venerandum S. Claudii corpus, quod ab annis plus mille intactum et integrum haud sine miraculo asservatur. Adsunt itidem duodecim Abbatum reliquiæ, qui eximiæ pietatis causâ cœlitibus adscripti sunt, adnatum quippe ac pene coævum Francorum Imperio Jurense Cœnobium cæteris omnibus Occidentalis Ecclesiæ Monasteriis facem prætulit, et disciplinæ regularis norma fuit.

Verùm successu temporis ab hac regularis disciplinæ, quam hic celebrat Cardinalis de Strata, norma Monachi discedere visi sunt; jam diu enim deposito Monachali habitu, relicta-

que coenobiticâ vivendi formâ Canonicos referunt, et illorum quilibet Speciales reditus suos percipit ac possidet, necnon suo vivit arbitrio. Nobiles esse, ac quatuor nobilitatis suæ gradus tàm ex paternâ quàm maternâ parte exhibere tenentur, habentque Abbatem Sæcularem.

Hæc Abbatia magnis gaudet privilegiis: Supremum dominium in Urbem et ejus districtum tenuit usque ad tempora Philippi Boni Burgundiæ Ducis, à quo restrictum fuit. Abbas etiam jus habet quemque nobilitandi, spurios legitimandi, delinquentibus et condemnatis poenam remittendi, &c. Hæc privilegia confirmavit Galliæ Rex Ludovicus XIV. eâ tamen conditione, ut Abbates suum suique Senatûs Vesontionensis supremum dominium agnoscerent.

Benedictus Papa XIV. 22. Januarii an. 1742. Abbatiam istam Sedem Episcopalem fecit, et Metropoli Lugdunensi subjecit.

Præter eam duo adhuc in hac Urbe sunt Monasteria, unum Virorum, Monialium alterum.

§. V.

De Comitatu seu Principatu Montis Bellicardensis.

182.

Comitatum hunc seu Principatum Burgundiæ Comitatui jungimus, quod eidem adhæreat, olimque ejus pars fuerit, unde et etiamnum nunc in tabulis Geographicis eidem adjicitur, prout jam suprà annotavimus.

Igitur Comitatus seu Principatus Mons Bellicardensis /: die gefürstete Grafschafft Mümpelgard seu Mömpelgard, item Mompelgard; Montbeliard, Montbeliar, et Montbilliard:/ Limites habet ad Occidentem et Meridiem Comitatum Burgundiæ, ad Septentrionem Ducatum Lotharingiæ, et ad Orientem Suntgoviam et Alsgaugiam seu Principatum Bruntrutanum.

Longitudo ejus ad 7. Milliaria Germanica porrigitur, et ad totidem latitudo. Ad Germaniam etiamnum adhuc pertinet, necnon illius Circulo Rhenano Superiori adjectus est, quamvis modò non secus ac Episcopi Basileensis Principatus seu Alsgaugia, extra illam positus sit.

Comitatus seu Principatus iste solum habet frumenti, vini, aliarumque frugum ad commodam vitam utilium feracissimum. In eo etiam ferinæ cervina et aprugna abundant, adsunt etiam Ursi, Lupi, Linces, Lytræ, Fibri, Meles, Feles Silvestres, Falcones, Accipitres, aliæque feræ et aves.

Incolæ Lutherani sunt; in quibusdam tamen locis etiam viget Religio Catholica curâ et auctoritate Ludovici XIV. Galliarum Regis invecta.

~~Hâc notari mereatur~~

~~[illegible]~~

Memoriâ proditum est Sæculo XI. huic Comitatui dominatum fuisse Ludovicum Comites de Monsonio |: Monson:| à quo deinde Comites Barenses |: de Bar:| traxerunt originem. Idem Ludovicus pro Imperatore Henrico III. qui rebus Imperii præfuit ab anno 1039. usque ad an. 1056. quo 5.ª Octobris mortuus est, bellum gessit adversùs Renatum Burgundiæ Comitem, quem et captivum abduxit. Cùm autem Theodoricus II. ejus in tertio gradu Successor absque liberis ad plures abiisset, Comitatus iste ad Renatum Burgundiæ Comitem devolutus est, cujus uxor Wilhelmina Neocomensis in Helvetia similiter per matrem suam à Theodorico Montis Bellicardi Comite prognata erat. Horum amborum filia Agnes Comitatum hunc demò ad aliam familiam de Monte Falconis |: Montfaucon:|

scilicet, è qua ipsius Maritus Henricus ortus erat, traxerat: hic anno 1363. vitam posuit relicto herede Stephano filio, qui anno 1395. obiit, ut et ejus filius Henricus, qui an. sequenti 28. Septembris in prælio prope Nicopolim* Moesiæ Inferioris seu Bulgariæ urbem occubuit nullo masculo herede relicto: tum Comitatus iste ad Domum Würtembergicam per ipsius filiam Henriettam avi sui Stephani heredem, et Ducis seu Comiti Würtembergico et Teccensi nuptam pervenit.

Speciali autem Würtembergicæ Montis Beliardi familiæ Ludovicus Fridericus Friderici Ducis secundogenitus dedititium initâ an. 1617. cum fratre suo primogenito Joanne Friderico conventione, ei ejus Comitatum hunc unacum Ditione Richtrilensi |: Reinsperglor :| p. in Alsatia Superiore obtinuit; penes cujus Successores permansit usque ad Leopoldum Eberhardum, qui post initium hujus Sæculi diem Supremum obiit relictis quidem tribus filiis, quorum natu major Comes Sponeccensis |: Von Pfeurdt :| alii duo Barones de Spe |: de l'Esperance :| dicti sunt, at non satis legitimi, quod Senior Domus Würtembergica pertendit, thoro natis. Lite igitur per ipsos adversus Ducem Würtembergicum cisà satis ipsorum hereditatem tàm coram Consilio Imperiali Aulico Hujusmodi Comitatum et Ditionem Sponeccensem, quam coram Supremo Gallicarum Parlamento propter Ditiones in Comitatu Burgundiæ et Alsatiâ Superiore Sitas et Comitatui huic annexas notâ et per plures annos protractâ, tandem abutrisque Senatu repulsam passi sunt, patris sui Ditionibus omnibus memorato Duci asservatis unanimes tamen eisdem quotannis certam quandam pecuniæ Summam tribuendi. Hic notari meretur

1° Mons Bellicardus seu Beldgardus; Mons Billiardo, seu Biligarda |: Mümpelgard, Mömpelgard; Monbeliard, Montbéliard, et Montbeliard :| Principatûs seu Comitatûs Metropolis ei et nomen tribuit, Urbem Hallæ |: Halle, Hale :|

* Nicopolis Urbs Moesiæ Inferioris seu Bulgariæ ad Istrum amnem ubi Danubio immergitur sita 60. leucis gallicis ad Orientem ab Adrianopoli. Exstructa perhibetur ab Imperatore Trajano, postquam Sarmatas ibi fudisset, atque à reportatâ victoriâ græco nomine Nicopolis, id est, Urbs Victoria dicta. Muris cincta est Cateritis, ampla quidem at malè munita, et plerumque à Græcis inhabitata. Famosam effecit prælium, in quo 28. Septemb. an. 1396. Sigismundus Imperator à Bajazethe Turcarum Soldano fusus est desideratis suorum 20000. ipseque Sigismundus Istrapha Danubium trajicens agrè servatus est. Cadi hinc occasionem dedit nimius Gallicanarum auxiliarium Copiarum fervor.

seu Alanæ |: Alaine :| fluvii, qui non procul inde Dubi immergitur, sita 4. leucis gallicis versùs Occidentem à Bruntruto, cum Specioso Castro antehac Comitum seu Principum sede. In novam et veterem dividitur. Ei imminet Arx in Saxo posita olim munita sed nunc devastata. Jam ante Sæculum VIII. in vita quorumdam Monachorum Benedictinorum Luxoviensium illius fit mentio, et postmodùm Sæculo XI. apud Hermannum contractum.

Urbs hæc Sæculo præterito à gallis multùm afflicta fuit. In ea Rex Galliæ Ludovicus XIV. Parochum Catholicum instituit, etsi Cives Lutheri dogma sectentur.

2º. Blamontium |: Blamont :| Urbs cum Castro munito et ejusdem nominis ditione 2. milliariis Germanicis versùs meridiem à Monte Bellicardo in rupe posita. Olim ad Comites Neocomenses |: Nrüburg :| pertinuit, et an. 1506. emtionis titulo ad Ulricum Ducem Wirtembergicum pervenit.

3º. Manduria |: Mandeure :| Oppidum seu Urbs et Dominium milliari versùs Meridiem à Monte Bellicardo ad Dubim posita. Antoninus in suo Itinerario Epamanduodurum medio itinere Vesuntionem inter et Cleroviam |: Clervall :| collocat, et Ortelius indè conjicit illud esse Montem Bellicardum; Chifletius verò arbitratur esse Manduriam ad Dubim. Quidam Neoterius Scriptor hîc quærit Augustam Rauracorum, de qua agemus, ubi nobis de Helvetiâ sermo erit.

4º. Clerovia |: Clervall, Clerevall, et Clairvaux :| Urbs exigua in Comitatu Burgundiæ ad ripam Dubis posita 6. Leucis gallicis versùs Occidentem à Manduria. Dux Wirtembergicus tanquam Comes seu Princeps Montis Bellicardi Urbem hanc et quædam alia loca in Comitatu Burgundiæ possidet, quæ feuda Burgundica vocantur, sicque cliens est fiduciarius Coronæ gallicæ.

5º. Horburgum seu Harburgum |: Horbürg, seu Harbürg :| Oppidum seu Pagus unà cum

castro in Alsatia Superiore ad ripam Elli |: Ill :| fluvii situs milliari circiter à Colmariâ. Verisimile est hoc loco extitisse veterem Argentariam, seu Argentuariam, et Argentoraviam, cujus meminêre Ptolomaeus, Antoninus in Itinerario, Tabula Peutingeriana, Ammianus Marcellinus l. 31. S. Hieronymus in Chronico, et Cassiodorus in Fastis.

Propè hanc Urbem Gratianus Imperator* Germanos devicit 30000. eorum internecione deletis. ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ Post Saeculum V. hujus Urbis apud Scriptores nulla extat amplius memoria, enimverò tunc penitùs jam devastata jacuit, fortè ab Attilâ, qui in hisce plagis dirè grassatus est. Illius adhuc quaedam supersunt rudera, quae produnt eam amplam fuisse Urbem. Ajunt ex illius ruinis Colmariam fuisse excitatam.

* Gratianus praefuit Imperio ab an. 375. usque ad an. 383.

6º Richenwila |: Reichenweyler, Reichenweyer, et Reichenwiser Urbs cum Castro in Alsatia Superiori milliari circiter versùs Orientem à Caesaris Monte |: Reyserbberg :| posita. An. 1291. cura Nobilium Horburgensium muris cincta fuit. Eorum Successores Waltherus et Burcardus illam unácum variis aliis ditionibus Ulrico Comiti Wirtembergico an. 1324. vendiderunt. Celebratur ab exquisito vino, quod illius vineta proferunt.

7º Sponeccum |: Sponeck :| Castrum cum Pago et Ditione ad ripam Rheni in Brisgoja tribus circiter leucis gallicis ad aquilonem à Brisaco situm. Hoc nomine vocatur filius natu major ultimi Principis Montis Bellicardi.

Sectio III.

De Lotharingiâ.

~~[illegible]~~ 183.

Lotharingia |: Lothringen, La Lorraine seu Lothier :| Sub hoc nomine pars maxima Regionis veterum Leucorum, Verunorum, et Mediomatricorum continetur. Horum ultimorum populorum primùm Saeculo V. fieri coepit mentio: at reliquos duos celebrat Caesar in suis Commentariis. Populi hi potentes erant, ipsorumque Regio semper magni fuit ambitûs. Prima illorum fata fuêre, quòd Romanorum jugo se subdere fuerint adacti; necnon hisce totius orbis domitoribus paruerunt usque ad Francorum Monarchiae initium, ad hanc usque epocham Barbarorum irruptionibus multoties graviter afflicti fuerunt. Circa Saeculi V. ~~initium~~ medium sub Francorum Dominio respirare visi sunt; enimverò hi illos adversùs Barbaros egregiè tutati sunt.

Regio hæc facta est præcipua pars Regni Austrasiæ, cujus Metæ Civitas Metropolis fuit, quod in partitione à Magni Clodovæi, et Magni
4 filiis Clotarii factâ fuit erectum. Primùm Lotharingiæ nomen adepta est Sub Lothario II. Lotharii I. Imperatoris filio et Ludovici Pii Nepote, cui an. 855. Sub Regni titulo cessit in partem, quod Regnum Lotharii dictum est, ex quo nomen Lotharingiæ |: Gallicè primùm Loherregne, deinde Lorrene, ac demùm Lorraine effictum fuit.

Postmodùm Regio hæc Regnum esse desiit, ac in duos amplos Ducatus divisa est, quorum unus Lotharingia Superior seu ad Mosellam, alter verò Lotharingia Inferior seu ad Mosam dicti sunt. Denique antiquato Lotharingiæ Inferioris nomine, Sola Superior nomen hoc retinuit, quam circò an. 1048. Henricus III. Imperator cognomento Niger Gerardo ab Alsatia Castiniaci |: Castiniac: | Comiti et Conradi Imperatoris consanguineo Sub Ducatûs titulo tradidit, à quo recta linea omnes Lotharingiæ Duces deinceps descenderunt usque ad Franciscum I. Imperatorem. ~~modò gloriosè Imperii Germanici habenas moderantem.~~

Hæc Superior Lotharingia Germaniam inter et Franciam posita est, limitésque habet ad Septentrionem Ducatum Luxemburgicum et Archiepiscopatum Trevirensem; ad Orientem Alsatiam et Ducatum Bipontinum; ad Meridiem Comitatum Burgundiæ, et ad Occidentem Campaniam. Longitudo ejus est circiter 40. et latitudo fermè totidem leucarum. Regio amoena omni frumentorum genere, vino, canabo, lino, feris, piscibus, pecoribus, rapis, &c. et generatim cunctis rebus vitæ necessariis abundans. Vireta habet eximia, ingentes Sylvas, ferri, argenti, &c. fodinas, necnon præstantes Salinas.

Innumeri penè illam perfluunt fluvii: præcipui et magis celebres sunt Mosa |: La Meuse: | Mosella |: La Moselle: | Salia |: La Seille: | Murta

|: La Meurte :| Sara seu Sarus |: La Sare :| p. Suavis et temperatus in ea spirat aër.

Lotharingi sunt generosi, laboriosi, Principi sus fidelissimi, Religioni Catholicæ addictissimi; ad artes et scientias idonei, quibus tamen militiam præferre videntur. Frumento, vino, et telis negotiantur, cæterùm ipsis exiguum est cum exteris regionibus commercium, quòd apud se habeant quæcumque eis sunt necessaria, fluviisque navigabilibus careant.

Lotharingia modò trifariam dividitur scilicet in Ducatum Lotharingiæ, Ducatum Barrensem, et tres Episcopatus Metensem nempè, Tullensem, et Verodunensem.

§. I.

De Ducatu Lotharingiæ. Dupi 184.

Ducatus Lotharingiæ |: Le Duché de Lorraine :| cui Principes sub Ducum titulo hactenus, et jam à longo tempore supremo, et à nemine pendente imperio, dominati sunt; limites habet ad Septentrionem Episcopatus Metensem, Tullensem, et Virodunensem; item Ducatum Luxemburgicum, et Archiepiscopatum Trevirensem; ad Orientem Alsatiam et Ducatum Bipontinum; ad Meridiem Comitatum Burgundiæ; et ad Occidentem Campaniam. Longitudo ejus à Longo Vico |: Longwy :| usque Phalseburgum |: Phalzbourg :| est 35. usque 40. latitudo autem à Barro Ducis |: Bar-le-Duc :| usque Valderfingum |: Vaudrevange :| 25. usque 30. leucarum.

Olim Lotharingiæ Duces Principatûs sui investituram ab Imperatoribus Germaniæ acceperunt, diuque Imperii Principibus annumerati fuêre, at successu temporis sensim ac sensim se ipsos in libertatem asseruerunt, necnon juramenti, quod Imperatoribus præstabant, religione exsolverunt: id ad ætatem Philippi Pulchri Franciæ Regis referri debere videtur, tùm enim Lotharingiæ Duces Franciæ Regibus adhærere coeperunt, undè facile ipsis fuit ab Imperio Germanico secessionem facere, adèo, ut sub Carolo V. Imperatore solemni transactione Norimbergæ Ferdinandum Romanorum Regem Caroli V. fratrem, Imperium inter, et Antonium Renati II. fili-

um et Lotharingiæ Ducem an. 1542. initâ, et anno sequenti à Carolo V. confirmatâ, Dux Lotharingiæ tanquam liber, supremus, nullique subjectus Princeps agnitus fuerit, p.

Anno 1634. Ludovicus XIII. Franciæ Rex Ducatum hunc occupavit, postquam Carolum IV. Ducem ob Barri Ducatum feudatarium suum læsæ Majestatis, Foloniæ et rebellionis reum declarasset. Anno 1661. tamen Ludovicus XIV. ei Ducatum suum restituit, quorum an. 1662. 10. feb. idem Carolus conventionem iniit, vi cujus eidem Ducatus Lotharingiæ et Barri cedebat ab ipso post mortem suam possidendos, quæ sequenti anno 2. aug. confirmata, et sequenti die utrinque subscripta fuit. At an. 1670. orta inter Ducem hunc et Ludovicum XIV. nova dissensione hic Ducatus hos denuo occupavit Duce expulso, qui an. 1675. mense Septembri vitam posuit in pago Albach Birchofeldiam |: Birkenfeld :| inter et Tabernas Mosellanicas |: Bern=Castel :| Rex Franciæ Ducatus hos tenuit usque ad an. 1697. quo in pace Ryswicensi eosdem Leopoldo Duci restituit. Tandem vi pacis an. 1736. Viennæ in Austriâ Carolum VI. Imperatorem inter et Ludovicum XV. Franciæ Regem conclusæ Franciscus Lotharingiæ et Barri Dux, ~~ortia~~ Imperator ~~[illegible]~~, hosce Ducatus Stanislao Regi Poloniæ Regno suo à gentilibus suis exturbato cessit, post illius mortem Regno Franciæ in perpetuum adjungendos. Eorum possessionem iniit Stanislaus 21. Martii an. 1737. et Francisco Duci illorum loco Magnus Etruriæ Ducatus datus fuit.

In Lotharingiæ Ducatu occurrit

1.º Nancejum, Nancium, seu Nantium |: Nancy :| Urbs ampla et venusta totiusque Ducatûs Caput, posita 100. circiter passibus à Murta |: Meurte :| fluvio, 20. leucis à Luxemburgo ad Euronotum, 30. ad favonium ab Argentinâ, 10. ad Euronotum à Metis, 4. ad Eurum à Tullo Leucorum, et 5. ad Euronotum à Mussiponte.

Antiqua non est, nec ante Sæculum XII. nota fuit. an. 1475. Carolus ultimus Burgundiæ Dux illam obsedit et obtinuit Ducémque Renatum Ducatu suo exactum apud Germanos et Helvetios auxilia quærere compulit; hos an. 1476. adortus Carolus ab ipsis bino prælio fusus est, unde et Renatus Nancejum denuo obtinuit; urbem hanc idem Carolus sub ejusdem anni finem denuo obsedit, at advenientes Germani et Helvetii 5. Jan. an. 1477. inito cum Burgundis prælio eos fuderunt, in quo ipse Carolus eorum Dux interiit. Renatus et ipsius

Successores deinceps Nancejum quiete possederunt, novámque urbem ad normam exactam ductisque ad lineam vicis necnon variis instructam propugnaculis veteri addiderunt, cui hæc Castri loco fuit. Magnum ~~opus~~ istud Henricus Dux, qui an. 1624. 30. Julii mortuus est, perfecit. Posteà Civitas hæc eadem ac Ducatus ipse fata habuit, quæ hic repetere non juvat.

Nanceji tres parochiales Ecclesiæ numerantur, inter quas eminet ea, quæ Primatialis dicitur, ampla et magnifica Ecclesia. Præter has multæ adhuc Ecclesiæ collegiatæ ac aliæ in hac Urbe numerantur, ut et varia tùm Virorum tùm mulierum Monasteria, quæ hic recensere nimis longum foret, solummodò notare placet duas Abbatias ~~unam~~ Ordinis S. Benedicti, unam virorum, cui olim præfuit Celebris Augustinus Calmet Abbas Senoniensis, alteram monialium. Jesuitæ hic quoque bina possident Collegia, quæ, quantum scimus, nondum deseruêre.

Nancejum est patria famosi Exjesuitæ Ludovici Maimbourg, qui sæculo præterito in regaliæ dissensione Regem Galliæ inter et Papam Innocentium XI. orta Parisiis degens vulgatis adversùs Sedem Apostolicam plerumque mendacibus libellis Ludovici XIV. partes totis viribus tueri conatus est, ob id jussu Pontificis Societate ejectus fuit.

2º. Mussipontum seu Mussipontium |: Pont-a-Mousson :| satis pulchra et ampla Civitas cum titulo Marchionatûs sita 5. leucis ad Caurum à Nancio, et totidem ad Africum à Metis, ad Mosellam fluvium, qui illam in binas partes dividit, quarum una est Diœcesis Tullensis, altera Metensis, hæc vetus est, prior autem nova et amplior meliusque ædificata, atque primùm Sæculo XII. à Comite Barrensi fundata fuit.

Carolus IV. Imperator an. 1354. illam titulo Marchionatus decoravit, ac postmodùm liberam Imperii Civitatem creavit, omnibusque aliarum Imperii Civitatum prærogativis donavit, id factum Metis, et an. 1373. Pragæ ab ipso confirmatum. at deinceps Lotharingiæ Ducum facta est.

Mussiponti tres numerantur Ecclesiæ parochiales, quarum una est Collegiata Sæculo XIII. à Theobaldo Comite Barrensi fundata. Adsunt præterea Monasteria Religiosorum S. Antonii; Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris; Capucinorum; Carmelitarum, Fratrum Mi-

norum; Præmonstratensium, quorum Ecclesia est magnifica; Monialium S. Claræ, Congregationis B. V. M. Carmelitanarum, p. item Seminarium pro octo Clericis. Jesuitæ hic etiam habent Collegium.

Adest etiam Universitas an. 1572. à Carolo III. Lotharingiæ Duce fundata. In ea Jesuitæ artes liberales et Theologiam docent.* Gregorius Papa XIII. ei Seminarium pro Scotis adjunxit.

* An adhuc adsint, ignoramus.

3º Nomenium |: Nomeny :| Urbs exigua cum titulo Marchionatûs posita ad Saliam |: Seille :| fluvium 5. leucis ad Septentrionem à Nancejo, et totidem à Metis interbinas has civitates. Olim præcipuis Metensis Episcopatûs urbibus annumerabatur. Primùm Vadani-Montis |: Vaudemont :| Comiti in feudum ab Episcopo Metensi an. 1551. data fuit; initio præteriti Sæculi ad Henricum Lotharingiæ Ducem à Francisca unica Philippi Emanuelis Vadani-Montis Principis filia et herede titulo emtionis pervenit, qui tanquam Marchio Nomenii immediatus Imperii Germanici Vasallus seu Feudatarius agnosci voluit.

4º Saravus Ludovici, Fanum S. Ludovici ad Saram, seu Castellum Ludovici ad Saravum |: Sarlouis, Sar-Louis, seu Saar-Louis :| Urbs munitissima jussu Ludovici XIV. an. 1680. è fundamentis excitata et intra quatuor vel quinque annos perfecta, sita est ad Saram seu Saravum |: La Sare :| flumen in isthmo peninsulæ, quam flumen hoc efformat, sex leucis à Ponte Saravi |: Sarbruck :| et decem à Metis.

In pace Riswicensi an. 1697. conclusa, in qua Leopoldus Lotharingiæ Dux in suos Status et Dominia restitutus fuit, Rex Galliæ Urbem hanc sibi servatam voluit.

Duæ sunt ejus portæ sibi invicem oppositæ; vicos habet elegantes et ad normam exactos, quorum medium occupat amplum forum, in uno illius latere collocata est Ecclesia parochialis, in altero domus Præfecti, cætera illius latera stipant ædes civium æqualis et elegantis Symetriæ. Peninsulæ speciem locus refert, cui in casu obsidionis aquæ superinduci possunt. Adsunt duo Monasteria scilicet S. Francisci Recollectorum et Capucinorum.

5º Pons Saravi |: Sarbruck :| Urbs sita in confiniis Alsatiæ Inferioris ad Saravum |: la Sare :| fluvium, qui ponte trajicitur, 8. leucis ad orientem à Marsello |: Marsal :| 2½ ad occidentem à Phalseburgo |: Phalz-

bourg:| et 20. ad Euronotum à Metis. Diversa ab illa, de qua articulo præcedenti mentionem fecimus, et à qua Saravum Ludovici sex leucis distare diximus.

Urbs, de qua hîc loquimur, ipsa est, quæ in veteribus Itinerariis, in quibus via à Metis Argentinam præscribitur, Pons Saravi nuncupatur. Olim Episcoporum Metensium erat, tandem titulo emtionis ad Duces Lotharingiæ pervenit circa an. 1563. cum supremo illius dominio omnique jurisdictione. Eam sæculo sequenti Ludovicus XIII. Franciæ Rex adversùs Carolum IV. Lotharingiæ Ducem belligerans occupavit, atque ab eo tempore penes Franciæ Reges mansit. Ajunt illam antiquitùs fuisse liberam Imperii Civitatem.

6.º Phalseburgum |: Phalzbourg, Pfaltzburg:| Urbs exigua et admodùm munita cum veteri castello, à quo protegitur, sita Alsatiam inter et Lotharingiam sub monte vogeso in loco eminenti duabus leucis à Tabernis Alsaticis |: Saverne:| et undecim ad Caurum ab Argentina. Antehac momentosa videbatur ex eo, quòd per eam servaretur communicatio trium Episcopatuum Metensis, Virodunensis, et Tullensis cum Alsatiâ. Titulo Principatûs gaudebat, atque olim Episcoporum Metensium erat, postea facta est Episcoporum Argentinensium, tùm denuò Metensium, deinde ad Duces Lotharingiæ pervenit, demùm sub Duce Carolo IV. ad Reges franciæ, penes quos hactenus permansit.

7.º Spinallum seu Spinalium |: Espinal:| Urbs antehac ampla et fortibus muris ac propugnaculis cincta. Sita est ad Mosellam versùs montem Vogesum 4. leucis ad Caurum à Romarico-Monte |: Remiremont:| et 14. ad Euronotum à Nancejo, haud procul à Confiniis Comitatûs Burgundiæ. Antiquissimum fuit Metensis Episcopatûs dominium; quidam volunt eam illius jam sæculo VII. fuisse, tunc scilicet, cùm S. Goëricus Metis Episcopus esset, quod tamen valdè incertum est; id duntaxat compertum habetur, nempe circò finem sæculi X. Spinalium ad Adalberonem II. Metensem Antistitem pertinuisse, necnon Sedem Episcopi fuisse. Idem Adalbero in hac Urbe elegans Monialium sub regula S. Benedicti Monasterium construxit ac dotavit, in illudque ossa S. Goërici, quæ priùs Metis in Ecclesiâ S. Symphoriani

quiescabant, transtulit. At Moniales ista jam Indum exuto S. Benedicti jugo ad Statum Saularem transierunt facta Canonica.

Duces Lotharingiæ primùm Urbis et districtûs Spinalii advocati fuerunt, deinde Domini. Urbem hanc an. 1670. exeuntis Ludovici XIV. sub Marescallo Crequio [i Crequy:] obsedit, obtenta suis munitionibus nudata fuit. Spinalium dicta videtur à voce Spinal, quatùm vulgi linguâ montis devexum significabat, quòd in montis devexo posita esset.

8°. Romericus Mons, Romaricus Mons, Castrum Romaricum, item Avendi Castrum [: Remiremont:] urbs exigua posita in pede Montis Vogesi in valle, et ad sinistram Mosellæ ripam 17. leucis ad Euronotum à Nanceio, 11. ad Caurum à Monte Beligardo, et 22. ad Euronotum à Vesontione, Celeberrima totius Vogesi Civitas ob Illustre et Augustum Canonicarum Capitulum, quod S. Petri Collegium et Ecclesia dicitur; hæ Canonicæ omnes ex primæ sunt nobilitate, earúmque Abbatissa S. R. I. Princeps est.

Olim Urbs hæc ad orientalem Mosellæ ripam sita erat supra montem, ubi S. Romaricus Monachus Luxoriensis Castrum habuit sibi proprium, cui nomen Avendum [: Habendi:] erat, ejus loco duo construxit Monasteria pro Monachis unum, et pro Monialibus alterum sub Regula et Instituto S. Columbani, quæ tùm Luxovii vigebat, cui Sæculo VII. juncta est seu potiùs successit Regula S. Benedicti. Cùm autem Sæculo IX. ab Hungaris seu novis Hunnis, qui sub regno Ludovici Arnulphi filii Rhenus trajecto has regiones crudeliter devastabant, locus iste penitùs et è fundamentis exiisus fuisset, postmodùm in planitie ad alteram Mosellæ partem loco commodiori nova Ecclesia novæque ædes sub nomine et invocatione S. Petri ædificatæ fuerunt retento nihilominùs veteri Romarici Montis nomine.

Monachi Benedictini contendunt Virgines illas quæ in novas has ædes seu Monasterium introductæ fuerunt, Moniales Ordinis S. Benedicti fuisse; id tamen ~~hodierna~~ hodierna Canonica negant, quamvis illarum Abbatissæ post hanc electionem tria vota paupertatis, obedientiæ, et castitatis secundùm Regulam S. Benedicti emittant.

Monton, in quo priùs extabant duo praedicta Monasteria, et qui Lodie adhuc, ob multitudinem virorum Sanctimoniâ celebrium, qui illum incoluerunt, Mons sanctus vocatur, postquam longo tempore desertus fuit, tandem Canonici Regulares S. Augustini habitarunt usque ad an. 1623. quo loum Monachis Benedictinis Congregationis SS. Vitoni et Hidulphi cesserunt.

Romarimus Mons olim Imperio subjecta Civitas erat, cujus tutelam et Advocatiam jam à longo tempore Imperatores Ducibus Lotharingiæ commiserant et tradiderant, cujus investituram usque ad Carolum IV. qui an. 1627. illam ab Imperatore Ferdinando II. accepit, ab ipsis acceperunt. at postmodum jus istud advocatiæ in dominium à Lotharingiæ Ducibus conversum fuisse videtur.

9.° Plumbaria |: Plombiers :| Oppidum seu Urbs in monte Vogeso sita. cui montes præcipiti et arboribus vasti nemorum loco sunt, 17. leucis à Nanceio, 5. à Spinalio, et 2. à Romarico monte illiusque ditionis, fontibus mineralibus seu Thermis suis tota Europa celeberrima, idque jam à Romanorum temporibus. circà annum ab U.C. 428. Statius Gabiarum Batritius et Romanorum Belli Dux primus esse dicitur, qui calidas Plombariæ aquas colligi et cogi fecit, ut iis tanquam balneo uterentur ægroti et vulnerati milites sui. Julius Cæsar quatuor magnificorum balneorum ibidem fundamenta circa an. 695. Urbis Romæ jecit adeò solidæ structuræ, ut Lodiedum adhuc subsistant.

Urbs hæc seu Oppidum nomen habere videtur à plumbi particulis, quibus fontes seu thermæ ibidem sunt impregnatæ.

10.° Vandemontium, Valdemontium, Vadani, Vadanus et Valdrus mons |: Vaudemont :| Oppidum et Castellum cum titulo Comitatûs primùm, deinde Principatûs. Situm est Mosellam inter et Morsam loco eminenti 6. Leucis ad Africum à Tullo, et totidem à Nanceio versus meridiem.

Oppidum istud initium habuit cum Castello, quod à Gerardo ab Alsatia Lotharingiæ Duce ex-

tructum fuit. Olim hereditarius Lotharingiæ Princeps Valdemontii Comes nuncupari solebat; postmodum hoc titulo Principes natu minores insigniti fuêre.

Adest hîc præter parochialem Ecclesia Collegiata ab Henrico III. Valdemontii Comite an. 1325. fundata. Oppidum istud in regione totius Lotharingiæ frumento fertilissimâ situm est.

11º. Fanum S. Nicolai |: St Nicolas:| Urbs sita ad Murtam 2. leucis ad Orientem à Nancejo, et 3. ad Occidentem à Lunævilla. Nomen sortita est à S. Nicolao, qui ibidem magna devotione colitur. Olim nonnisi pagus erat Portus dictus. Adest Ecclesia elegantissima nulli cedens Cathedrali S. Nicolao dicata; in ea asservatur digitus hujus Sancti argenteo Brachio inclusus, ab Urbe Bario in Apuliâ à quodam Lotharingo sub finem Sæculi XI. huc allatus. E columnis hujus Ecclesiæ innumeræ pendent catenæ, quas per intercessionem S. Nicolai ab Infidelium captivitate miraculosè liberati attulerunt et in anathema eisdem appenderunt. Continuo perigrinantium confluxu Pagus iste factus est ampla et populosa Civitas. Ecclesiam hanc administrant Benedictini Congregationis SS. Vitoni et Hidulphi ubi et magnificum habent Monasterium.

12º. Lunæ-Villa, seu Lunaris villa |: Luneville:| Urbs venusta in amoena planitie sita ad Vezulam |: Vezoule seu Vezouse:| rivum, 5. leucis ad Euronotum à Nancejo, et 25. ad Zephirum ab Argentorato. Antiqua est, et jam à Sæculo X. titulo Comitatûs gaudet. Munimentis instructa erat, quibus Galli, occupata Lotharingiâ, eam nudârunt. Adest in ea magnificum palatium, in quo Duces sæpiùs resederunt, ac præcipuè Leopoldus, qui continuò sedem in eo habuit. Palatium istud sub finem an. 1718. repentino ac improviso deflagravit incendio, at an. sequenti denuò ædificatum et pristino statui restitutum fuit.

Sub initium hujus sæculi idem Dux Leopoldus hîc nobilium Academiam fundavit et instituit. Adest etiam Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris sub nomine S. Remigii; an. 990. à Folmaro Comite Metensi fundatum fuit pro Monachis Benedictinis; quorum loco posteà Moniales in illud introductæ fuerunt, hæ an. 1535. dictis Canonicis Regularibus locum cesserunt. Monasterium istud extra urbis muros positum erat, at ubi an. 1587. à Germanorum et Hugonotorum illac transeun-

tium copiis excisum fuit, tùm in Urbem translatum est. Adest etiam Beneficium Equestre S. Joannis Hierosolymitani seu Equitum Melitensium. Patres Minimi hic etiam habent Conventum. Adsunt quoque Sorores Hospitalariæ tertii Ordinis S. Francisci an. 1481. à Renato II. Duce Lotharingiæ fundatæ, item Moniales Congregationis B. V. M. ab an. 1629. Denique ex "trà" muros extat Nosocomium Commune, quod an. 1707. loco veteris ruinâ collapsi ope ludicræ schedularum sortitionis |: Loterie :| Dux Leopoldus extrui curavit.

§. II. 185.

De Barensi Ducatu

Ducatus Barensis |: Le Duché de Bar, seu le Barrois :| bina Mosæ latera occupat Ducatum Lotharingiæ inter et Campaniam. Amplus est, ut qui longitudine sua 30. leucas, latitudine verò 16. æquet. Initio Comitatus duntaxat erat, Specialésque suos habuit Comites Regum Franciæ Vasallos seu Clientes fiduciarios, inter quos Robertus Sæculo XIV. sub Joanne Rege Franciæ propriâ auctoritate sibi Ducis titulum arrogavit, quem deinde ipsius Successores retinuerunt. Tandem Renatus Siciliæ Rex et Provinciæ Comes, cum ei unicum filium suum Joannem mors eripuisset an. 1474. Renato Lotharingiæ Duci filiæ suæ Yolandæ filio Ducatum Barensem testamento adscripsit, quem et ille à Ludovico XI. qui post mortem dicti Siciliæ Regis illum occupaverat, obtinuit ea lege, ut quemadmodùm priores Barii Duces, eidem fidelitatis juramentum, seu, ut vocant, homagium præstaret. Ludovicus XII. eidem Renato omnia Regalia jura supremámque in hoc Ducatu jurisdictionem concessit, quam concessionem Franciscus I. Antonio Duci confirmavit.

Ducatus iste iisdem fatis obnoxius fuit ac ipsa Lotaringia, tandemque 30. octob. an. 1735. in præludiis pacis et anno sequenti in ipsa pace Franciæ Regem inter et Imperatorem Carolum VI. Viennæ conclusa Stanislao Regi Poloniæ cessus fuit, cujus ipse possessionem 8. feb. an. 1737. adiit. Notatur hic

1° Barroducum |: Bar-le-Duc :| Civitas Caput Ducatus, cui et nomen impertit. Sita est in Devexitate collis tribus leucis ad Caurum à Ligniaco |: Ligny :| quinque ad Eurum à Fano S. Desiderii |: St. Dizier :|

Campaniæ Urbe, duodecim ad favonium à Tullo, et 16. itidem ad favonium à Nancejo. Dividitur in Superiorem et Inferiorem, hanc alluit Orna |: Orne seu Orney:| rivus in quo sunt eximiæ truttæ. Ædificata et munita fuit an. 951. à Friderico I. Duce Barensi Hugonis Capeti Sororio, ut repagulum esset adversùs Campanorum irruptiones, unde Barrum seu potius Barra à voce Gallica Barre, quæ repagulum seu septum significat, dicta videtur.

Anno 1632. Ludovicus XIII. Rex Galliæ adversùs Carolum III. seu IV. Lotharingiæ Ducem bellum gerens Urbem hanc occupavit, atque Castrum ejus in rupe collocatum demolitus est. an. 1650. Hispani et Lotharingi illam recuperârunt; at an. 1653. Rex Galliæ illam denuò obtinuit, cui et vi pacis ipsum inter et Carolum IV. Lotharingiæ Ducem an. 1659. initæ relicta fuit. verùm an. 1697. in pace Riswicensi Lotharingiæ Duci Leopoldo restituta fuit. Modò Regi ~~[illegible]~~ Galliæ paret.

Urbs inferior venusta splendidisque ædibus et latis plateis superbit. Adsunt etiam aliquot Ecclesiæ et Collegia. In ea optimi gladiorum capuli conficiuntur. Vinum Barense est excellentissimum nec Campano palmam cedit.

2°. Commerciacum seu Commercium |: Commerci seu Commercy:| Urbs angusta sed venusta cum titulo Principatûs, posita ad Mosam 3. leucis à Fano S. Michaëlis |: St. Miel seu St. Michel:| versùs Meridiem, 5. à Tullo versùs Occasum, et 6. à Barroduco versùs Orientem. In ea magnificum visitur Castellum.

Olim ad Theodoricum Lotharingiæ Ducem Gerhardi ab Alsatia filium pertinuit, qui eam Episcopo et Ecclesiæ Metensi cessit, ejus loco recepta urbe Bosonis Villa |: Boussonville:| in Lotharingia Germanica. Episcopus deinde Commerciacum in feudum tradidit certis Nobilibus, qui Domicelli |: Damoiseaux:| nuncupabantur, ab his ad Comites Pontis Saravi |: Sarbruck:| dein ad Comites Nassovio-Vilburgenses |: Nassau-Weilburg:| p. tandem ad Duces Lotharingiæ titulo emtionis pervenit. Et postquam Dux Leopoldus vi pacis Riswicensis in suas ditiones restitutus fuit, Ludovicus XIV. an. 1707. cum eo conventionem iniit, qua illi Commerciaci et Agri ejus supremum dominium supremámque jurisdictio-

nis potestatem cessit. Vi præliorum pacis Viennæ an. 1735. Subscriptorum Principatus iste Stanislao Poloniæ Regi traditus est relicto tamen Duris Leopoldi Vidua, dum viveret, illius usufructu, quo an. 1745. Commeriaci diem Supremum obiit.

3°. Franum S. Michaëlis |: St. Michel, et per nominis corruptionem St. Miel seu St. Mihel :| Urbs satis Spectabilis, et Caput insignis et amplæ Præfecturæ Mosam inter et Mosellam ad Ducatûs Luxemburgii confinia posita. Sita est ad Mosam 8. leucis ad Euro-Aquilone-Mesem à Barroduno, 9. ad Euronotum à Verodunis, et 14. ad Caurum à Nanceio.

Nomen habet ab ejusdem nominis Monasterio Benedictino ibidem à Vulfoaldo Majore Domus Childerici Junioris Austrasiæ, et postmodùm Franciæ Regis circà an. 660. fundato multisque prædiis dotato. at Friderieus Mosellanus Dux creatus sub titulo advocatiæ et protectionis illud occupavit adtractis sibi permultis illius prædiis et juribus. Tandem Comites et Duces Summum et absolutum in hanc civitatem et Monasterium obtinuerunt dominium, Caputque constituerunt Præfecturæ, quam illius nomine vocaverunt.

4°. Longus Vicus seu Longovicum |: Longwy, seu Longovi, item Longuvic, et Longuvick :| Urbs cum Castello et titulo Comitatûs, sita in confiniis Ducatus Luxemburgii 4. leucis ab Orolauno |: Arlon :| 5. à Monte Medio |: Mont-Medi :| versùs Theodonis villam |: Thionville :| et Luxemburgum.

Olim Urbs hæc una cum suo Agro seu districtu propriis suis habuit Comites, qui a nullo pendente potestate ei dominati sunt; titulo hereditatis ad Duces Lotharingiæ pervenit, et an. 1292. ad Comites Barenses mâ cum omnibus ad eam pertinentibus feudis et subfeudis titulo emtionis ~~pervenit~~ devoluta est, denuum una cum Ducatu Barensi denuò Ducum Lotharingiæ facta est, atque penes ipsos mansit usque ad Carolum IV. quem primum Ludovicus XIII. deinde Ludovicus XIV. Galliæ Reges Ducatibus suis exturbârunt.

Urbs hæc dividitur in Superiorem et Inferiorem, seu in Novam et Veterem, hæc in imâ valle posita est et antiquis moenibus cincta; in ea nihil memoria dignum occurrit præter rotundam fortem et præaltam turrim more antiquo constructam. Supe-

riorem seu Novam Ludovicus XIV. post pacem Noviomagensem an. 1679. conclusam locoeminenti à fundamentis erexit validisque instruxit munimentis, ut esset Campaniæ et trium Episcopatuum Metensis, Tullensis et Verodunensis adversus Ducatum Luxemburgicum propugnaculum. In pace Ryswicensi anno 1697. conclusa, in qua Lotharingiæ Duci Leopoldo omnia sua dominia reddita fuêre, Ludovicus XIV. Urbem hanc et Præfecturam ejus sibi servatam voluit stipulato tamen æquivalente Duci huic ab ipso pendendo: at cùm postea hac de re variæ difficultates suborta essent, tandem an. 1718. 28. Jan. sublatæ fuerunt initâ conventione, vi cujus Rex Galliæ nonnisi Urbem ipsam et aliquot ei circumjacentes pagos retinuit, cæteris Præfecturæ locis Duci Leopoldo restitutis.

188. 278.

§. III.

De tribus Episcopatibus Metensi, Tullensi, et Verodunensi.

Tres isti Episcopatus inter binos Lotharingiæ et Barrii Ducatus concluduntur. Metensis præcipua sui parte intrà Septentrionales horum Ducatuum plagas positus est, reliquis verò intrà Lotharingiæ Ducatum coarctatur ita tamen ut aliqua sui parte versùs Septentrionem Ducatui Luxemburgico confinis sit, Tullensis Metensi meridionalis est, atque ad Occidentem Ducatum Barensem et quâdam Campaniæ, ad Septentrionem verò, Orientem et Meridiem Lotharingiæ Ducatum habet. Verodunensis verò versùs Septentrionem situs Ducatu Barensi concluditur.

Episcopatus isti quoad temporalia Imperii feuda fuêre, neenon Episcopi Imperii Principibus adnumerabantur, ac Dominiorum suorum investituram ab Imperatoribus Germanis semper acceperunt: at ubi Ludovicus XIII. an. 1627. Veronæ Castrum propugnaculis instructum extrui curavit, atque circà an. 1631. Marsalium |: Morsal:| et Medianum Vicum |: Moyenvic:| occupavit, tùm supremam jurisdictionis potestatem Supremúmque et absolutum dominium in has tres Civitates et temporalia horum trium Episcoporum sibi asseruit, novúmque Senatum, seu, ut ajunt, Parlamentum in Civitate Metensi instituit, cui tres Civitates istas et Episcopatus unà cum adcompetentibus Dominiis subjecit; quod Collegium 26. Aug.

an. 1633. muneris sui functiones obire coepit. Dominium istud Ludovico XIV. in pace Westphalica an. 1648. confirmatum fuit.

Notatur hîc

1° Meta |: Metz :| antiquissima et munitissima Civitas Sedes Episcopalis q et Caput Agri et Episcopatus Metensis |: Pays Messin et l'Evechè de Metz :| quibus nomen tribuit, sita ad confluentem Salicæ |: la Seille :| et Mosellæ inter Tullum, Verodunum, et Trevirim, 6. leucis à Mussiponto, 10. a Nanceio ad Septentrionem, et totidem à Luxemburgo ad Meridiem. Vetera ejus nomina sunt Divodurus, Divodurum, Divodurum Mediomatricorum, Mediomatrici, Civitas Mediomatricorum, et per contractionem Genitivi pluralis numeri Civitas Mediomatricûm, quo nomine Cæsar et Ptolomæus usi sunt. Quidam Historiographi non adverten-tes Mediomatricum esse Genitivum Mediomatrii Nominativi pluralis numeri, ex eo Nominativum generis neutrius singularis numeri fecerunt, atque Civitatem hanc Mediomatricum dixerunt.

q Metropoli Trevirensi subjecta,

Ab aquarum fontibus, qui in illius fossis scaturiunt Divodurum dictam fuisse quidam arbitrantur ab antiquis Gallis nominibus Diu, quod fontem, et Dur quod aquam significat: alii volunt vocem Diu veteri gallorum linguâ Deum significare, adeoque Divodurum idem esse ac aquam divinam.

Quidquid hoc de re sit, Sæculo IV. populi sui nomen gestare cepit, atque ab Ammiano Marcellino Mediomatrici nuncupatur, quod nomen à Scriptoribus usque ad Sæculum XI. usurpatum invenitur; nihilominùs Statim Sæculi V. initio etiam Metis et Meta dicta fuit, cui verò nomen hoc in Notitia Imperii, quæ sub Honorio et Valentiniano Imperatoribus erat in usu, multoties legitur, idque adeò verum est, ut ab Idacio* in Chronico, quod eodem Sæculo edidit, Urbs hæc Metis vocetur.

Hujus nominis origo nascitur, quòd nullus fide dignus Scriptor illam nobis detexerit. Quidam enarrarunt illud à quodam Bellibure Romano, cui Metius nomen, provenisse; sic rem narrant: Cùm Civitas hæc Julio Cæsari se dedere remisset, tum ipse Marium Metium cum ingenti exercitu ad illam obsidendam

*Idacius Lamecæ |: Lamego :| in Lusitania natus floruit circa an. 445. sub Imperatore Valentiniano III. Chavæ |: Chaves :| in eodem regno Episcopus fuit, vivere desiit an.

468. Scripsit Chronicon, quod à Theodosio Imperatore orditur et usque ad an. 467. prorogatur protenditur.

misit, qui post longam diramque obsidionem eam tandem Deum obtinuit atque omnibus miseranter truncatis Civibus incendit: postmodùm loci opportunitate illectus, annuente Cæsare, Urbem hanc denuò magnificè ædificavit, nominéque suo Metiam seu, quod verisimilius videtur, Metiam dixit, unde postèa Metis et Meta effictum fuit: undique populis, ipsique Civibus, qui ante obsidionem se subduxerant, ad eam inolendam accedentibus; quibus ipse ig. annorum spatio dominatus est, post quos vivere desiit. At hæc vel ea eo videntur incerta, quòd Metis seu Meta nomen primùm Sæculo V. usurpari cœperit, ipseque Cæsar in suis Commentariis non Civitatem Mediomatricum, sed potiùs Metin aut Metas dixisset, si jam subipso tubs hæc nomen hoc adepta fuisset.

Civitas hæc sub Romano Imperio celeberrima fuit et apprimè spectabilis, utpotè quam Tacitus lib. 4. Hist. Sociam Civitatem, idest, Romanis fœdere junctam nuncupat. Eam Ammianus Marcellinus tanti fecit, ut illam Treviri Metropoli proponat.

Cùm vel maximè floreret, ab Hunnis sub Attila eorum Rege in Galliam irruentibus devastata penitùs fuit, adeò ut præter Ecclesiam seu Oratorium S. Stephani, quæ nunc Cathedralis Ecclesia est, nihil in ea remanserit, quod Francis, qui tempore Attilæ superfuit, testatur ubi de prælio in Campis Catalaunicis inito sermonem facit.

Franci sub Childerico Rege suo Metas ejusque agrum ac regionem facilè sibi subjecerunt. Post mortem Clodovæi divisis inter filios dominiis et statibus illius Civitas hæc Dieterico adscripta fuit, qui ibidem regiam fixit, sicque Francia Orientalis seu Austrasia regum sedes facta est, unde ob regum horum magnam potentiam, ut qui dominium suum in Saxoniam usque et confinia Pannoniæ et Illyrici potenderunt, spectabilior evasit, quàm Romanorum ætate fuerit.

Hujus Urbis Imola nullius præter Regum Francis et post illos Imperatorum Germanorum, qui Austrasiæ regnum obtinuerant, dominium agnovêre. Eqüidem magna apud ipsos erat Episcoporum suorum auctoritas, attamen supremo jure Civitati haud dominabantur aquè parum ac Comites, qui Præfecti hereditarii dictabat erant, hi Magistratui, penes quem omnis residebat auctoritas, præsidebant, illos antecedebant Episcopi, quin tamen dominium aliquod

exercerent. Mortuis Comitibus omnis potestas ad Scabinos devoluta est; Episcopi jus pertendebant Magistratum constituendi & eligendi, Cives obstiterunt, inde varii motus et tumultus frequenter civitati. Certum est Metas sub Imperio Caroli V. liberam Imperii Civitatem fuisse, quæ nullum Supremum Dominum præter Imperatorem agnoscebat. In eo statu res erant, cum Henricus II. Galliæ Rex an. 1552. urbem hanc per Supremum suorum exercituum Præfectum Monmorantium Civibus ex metu ultrò se dedentibus obtinuit; nec tamen illius Dominus, sed Protector duntaxat dici voluit; at hæc protectio postmodum transmutata est in absolutum et Supremum Dominium. Anno sequenti Carolus V. Imperat: amissam recuperaturus ingenti stipatus exercitu illam obsedit, nec tamen obtinere valuit, eam Ducis Guisii egregiè adversus ipsum tutante.

Cùm Romani longo tempore Metis demorati fuerint, non dubium, quin ibi Amphitheatrum habuerint; illius mentio fit in Codice MS. qui in Abbatia S. Symphoriani asservatur, et in quo vita S. Clementis describitur. Eorundem Romanorum ætate hîc etiam erat palatium, quod postèa Reges Austrasiæ per 170. circiter annos incoluêre: hujus palatii meminit Gregorius Turonensis lib. 8. Hist. c. 36. adfuêre etiam balnea publica, aquæductus, quorum ruderа adhuc supersunt. Antè 200. annos Civitas hæc tribus partibus major erat quàm nunc, quamvis adhuc ampla et spectabilis sit. Mœnium suorum ambitus est 2500. orgiarum seu, ut ajunt, perticarum, vicos habet rectos sed ædes vetustas. Ei insidet Castrum munitissimum, cui jam an. 1553. datum est initium. à Mosella in parte septentrionali et occidentali cingitur; agger Capitalis, qui 166. orgiis longus est et 7. usque 8. latus hujus fluvii cursum retinet ac in duos ramos seu canales dividit, quorum unus muros Civitatis adiit, alter ipsam ingreditur et perfluit. Salia illam ad partes ejus Meridionalem et Orientalem in duos divisa ramos adiit. Fossa ejus in illa parte, quæ campum respicit, aquarum scaturiginibus abundant, à quibus, ut supra memoravimus, Divodurum dicta arbitrantur. In 16. parochias divisa est, atque 22000. Incolas continet.

Episcopatus Metensis si quibusdam credulis fides, fundatus fuit à S. Clemente S. Petri Discipulo, quem

hic primum fuisse Episcopum dicunt. Id duntaxat certum est, scilicet jam an. 304. Metis Episcopum fuisse.

Ecclesia Cathedralis speciosissima est sed loco incommodo posita, scilicet in derexitate collis, ad quam proinde per multos gradus ascendi debet. In ea visitur crux lignea è qua Christi Servatoris nostri imago pendet aureis laminis contecta; item Baptisterium ex rarissimo et pulcherrimo porphyrite ultrà 10. pedes longum et ultra 4. latum, unóque densum ovalem fermè figuram referens. lapis hic è balneorum publicorum, quorum suprà meminimus, ruderibus ~~est~~ erutus, atque in hanc Cathedralem Ecclesiam translatus fuit, ut ibidem loco Baptisterii esset. In alio ejusdem materiæ vase sed paulò minore aqua benedicta asservatur.

Præter Ecclesiam Cathedralem Metis quam plurimæ aliæ numerantur Ecclesiæ tùm simplices, tùm parochiales, tùm Collegiatæ, ut et varia utriusque sexûs Monasteria et Abbatiæ, scilicet quatuor Benedictinorum, 1º S. Arnolphi, cujus Ecclesia omnium aliarum vetustissima dicitur, et aliquamdiu loco Cathedralis fuit; primò Ecclesia SS. Apostolorum dicta est, postmodùm nomen S. Arnolphi, qui in ea sepultus jacet, assumsit. q Illam longo tempore Canonici Regulares administrârunt, at ubi eorum fervor multùm defecisset, Adalbero Metensis Episcopus illis ejectis, eandem an. 942. Benedictinis tradidit. Abbatia hæc seu Monasterium usque ad an. 1552. extrà Civitatis muros fuit, illud Dux Guisius, quod illius defensioni obesse videretur, demoliri jussit; Monachi ad Prædicatorum Conventum intra Urbis moenia situm se receperunt, ubi hactenus perstiterunt. In ~~hujus~~ Archivis hujus Monasterii Annales Metenses in MS. originali asservantur: MS. istud est Extractus Annalium Franciæ ab Anonymo Auctore, qui an. 894. superfuit, editum. 2º Monasterium seu Abbatia S. Vincentii à Theodorico Metensi Antistite an. 908. in insula quadam extrà Urbem primò constructa fuit, postmodum verò etiam in Urbem translata est. 3º S. Clementis quæ antiquissima est. Olim 500. passibus ab Urbe sita erat, illámque Canonici sæculares incolebant; eorum loco Adalbero Monachos Benedictinos Luxovio accersitos in eam introduxit circà an. 938. 4º Denique Monasterium S. Symphoriani itidem ve-

q in illa quoque visitur tumulus Ludovici Pii Imperatoris.

tustissimum, ut quod S. Papolphum Metensem Episcopum pro fundatore agnoscat; extra Urbem erat, et à barbaris devastatum Albero restauravit. an. 1444. Cives sibi ab obsidione metuentes illud incenderunt, quod Civitatis defensioni obstare videretur, Monachi in Civitatem se receperunt.

Multa adhuc alia utriusque Sexus et variorum Ordinum Monasteria Metis numerantur, ut Coelestinorum, Capucinorum, Minimorum, Augustinianorum, Antonitarum, Prædicatorum, Trinitariorum, Carmelitarum, Recollectorum; item Benedictinarum, Urselinarum, Visitationis B. V. M. pp. Jesuitæ hîc quoque habent Collegium. modo eo carent, quòd indè pulsi fuerint, ~~atque~~ Eorum Collegium Benedictinis traditum fuit, qui ibidem Scholam tenent.

Anno 590. prima Synodus hîc celebrata fuit, in qua Ægidius Remensis Antistes, quòd adversus Regem proditionis consilia fovisset, Sede sua pulsus et in exilium amandatus fuit. an. 753. Hîc in Concilio Episcoporum Ludovicus Pius, qui priùs depositus fuerat, denuò à Pipino coronatus fuit. annis 859. 863. 888. seu 890. et 1272. p. variæ Synodi hîc celebratæ fuerunt.

Sub finem an. 1356. Metis publica Imperii Comitia celebrata fuerunt, quibus præter multos Imperii Principes et Comites septem Electores interfuêre, Carolus IV. Imperator præsedit. In iis Aurea Bulla priùs Norimbergæ edita additis eidem septem Capitulis, prout inscriptio vigesimi quarti illius Capituli indicat, executioni mandata, perfecta, et promulgata fuit.

Anno 1744. Civitas hæc præsentia Regis sui Ludovici XV. Reginæ, Delphini, p. decorata fuit. Ibi Rex vehementi febri correptus diutiùs, quàm statuerat, et donec ex morbo convaluisset, demorari compulsus fuit.

Metæ sola et unica totius Regni Franciæ Civitas est, in qua Judæi tolerantur. an. 1565. duæ tantùm eorum familiæ in eâ numerabantur, an. 1566. quatuor. Sub Henrico III. octo. Sub Henrico IV. viginti quatuor. an. 1614. quinquaginta octo. an. 1624. septuaginta sex. an. 1657. nonaginta sex. an. 1674. centum novemdecim. an. 1681. centum septuaginta quatuor. et an. 1698. ducentæ sexaginta quatuor. quæ universim 955. animas efficiebant, præter 32. familias, quæ è Palatinatu venientes hîc resederunt.

Usque ad an. 1614. Judæi hi per Civitatem dispersi erant, tum autem eis vicus, in quo habitarent, assignatus est, atque inhibitum alibi in Civitate habitationem suam figere.

Metis commercium non adeò celebre est; Ager ejus

frumenti, pabuli, vini, fongúmque diversi; hic
& seu rubeola avicula Tritachi dicta [: Rougesgorges :] ob eximium ibi-
rum saporem celebrantur.

2°. Marsalium [: Marsal :] Urbs munita posita ad
Saliam intra paludes accessu difficiles, septem le-
cis ad Eurs-aquilone-mesem à Vaneajo. Jam sa-
culo VIII. propter Salinarium, quod in ea est, celebris
fuit, tunc que Badalium nuncupabatur. Multi
arbitrantur nomen istud transmutatum fuisse
in Marsalium propter Sal, quod ibidem copiosè
elicatur: auctor Chronici Metensis in Spicilegio Mar-
salium vocat Marcellum et Marsellum, proinde veri-
simile est, eum hanc Etymologiam vel ignorasse, vel
non probasse.

Duces Lotharingiæ olim in partem hujus Urbis do-
minii veniebant; at saculo XI. Jacobus à Lotharin-
gia Episcopus Metensis, hanc, quo ipsi obvenerat,
Dominii partem Ecclesiæ suæ dono dedit, sicque ab
illo tempore Episcopi Metenses Marsalii et ejus Sa-
linarii Dominium directum et utile semper te-
nuerunt. Sub Friderico II. Imperatore an. 1240.
Episcopus Metensis Marsalium ita munivit, ut
totius Episcopatus præcipuum fuerit propugnacu-
lum. Postmodum Salinæ hæ Duci Lotha-
ringiæ in feudum traditæ fuerunt, remanente
tamen penes Episcopos Supremo et utili majori do-
minio.

Henricus II. qui, occupata Metensi Civitate, totius
Episcopatus Protectorem se dixit, sub hoc titulo præ-
sidium Marsalii collocavit; in ligâ seu fœderis sacri
inter Gallia Catholicos pacti tumultibus verò Carolus
Lotharingiæ Dux Urbem hanc occupavit, quæ in pace
apud S. Germanum in Lædia [: St. Germain en Laye :]
an. 1594. ~~anteà~~ ipsum inter et Henricum IV. Galliæ
Regem ~~ipso bello~~ ei relicta fuit. Princeps hic
à filio suo Cardinali à Lotharingia Metensi Episco-
po permutationis quæ Urbem hanc una cum ejus di-
strictu obtinuerat, hanc permutationem Clemens Pa-
pa VIII. ~~confirmavit~~ confirmavit, atque Archiepis-
copum Vesontionensem constituit, qui hanc suam con-
firmationis Bullam exequeretur: idque Henricus
IV. an. 1601. edicto ratam habuit.

Cum Ludovicus XIII. Lotharingiam subegisset, etiam
Marsalium occupavit; hanc Urbem deinde Lu-
dovicus XIV. an. 1661. Duci Carolo IV. restituit, at bre-
ves post annos Dux iste eidem Ludovico illam cessit,

rentis sibi duntaxat illius reditibus et Salinario; quæ
conventio etiamnum tenuit, ubi an. 1697. Leopoldo
Duci Lotharingiæ redita fuit.

3º. Medius seu Medianus Vicus |: Moyenvic :| Urbs
exigua à Vico |Vic :| lenca distans. In ea sunt Sa-
linaria, nullum tamen Sal ibidem elixatur. In-
tùm paludes sitam quidam Episcopatûs Metensis præ-
diorum usurpatores munierunt; at anno 700. et
quod excurrit, annos seculo scilicet XII. à Stephano
Metensi Episcopo et Comite Barensi occupata et ex-
cisa fuit, prout memorat vetus Chronicon Meten-
se, in quo Urbs ista Munitio inter Vicum et Mo-
sellam nuncupatur. An. 1630. Germani eam
munire cœperunt, quos Ludovicus XIII. an. 1631. ex-
pulit, urbémque occupavit, quæ Ludovico XIV. in
pace Vestphalica an. 1648. conclusa relicta fuit;
is Marsolio potitus eam, quòd inutilis videretur,
demoliri jussit.

4º. Tullum |: Toul seu Toull :| Urbs seu Civi-
tas Sedes Episcopalis Metropoli Trevirensi, ut
et Senonensi subjecta. Sita est ad ripam
Mosellæ s. Lenis ad occidentem à Nanejo in viâ,
quæ Argentorato Parisios ducit, 12. à Metis, in
planitie undique ferme circumdata montibus
et collibus vinetis superbientibus, quæ optimum
vinum copiosè proferunt. Antiquitùs ex popu-
li sui nomine Tullum Leucorum nuncupabatur
et gravius à Tullo Hostilio tertio Romanorum Re-
ge fundata haud fuerit, quod quidam in turpem lap-
si chronologiam falsò arbitrati sunt, cùm eo tem-
pore Romani intra fines Italiæ duntaxat adhuc con-
tinerentur; tamen negari haud potest illam esse
vetustissimam. Ptolomæus lib. 2. c. 9. eam Tul-
lum nominat, necnon Leucis populis tribuit, qui
Belgæ erant; quòd nomen usque nunc constan-
ter retinuit.

In Francorum potestatem venit quamprimùm hi
in Galliis residere cœperunt, atque sub Merovin-
gis et Carolingis Regibus Austrasiæ paruit. Se-
culo X. et post mortem Rudolphi ac sub Ludovico Ul-
tramarino Ottoni I. Imperatori se subjecit, nec-
non sub illius Successoribus mansit, atque libera
Imperii Civitas facta est, Comites constituti, qui
eidem Imperatorum nomine præessent; hi dignita-
tem hanc hereditariam sibi effecêre, necnon Succes-

ne per 200. annos tenuêre usque ad Fridericum, qui unicam filiam post se reliquit Matthiæ Lotharingiæ Duci nuptam, ex qua tamen nullam suscepit sobolem.

Extincta igitur horum Comitum prosapia, nulli amplius Tulli Comites fuêre præter Episcopum et Duces Lotharingiæ: hi quamvis quodammodo Comitibus hisce successerint, nunquam tamen Comitum titulum assumserunt, verùm jus advocatiæ et protectionis Juntanat iis suffecit, ujus investituram ab Imperatoribus acceperunt usque ad Carolum IV. qui an. 1627. illam ab Imperatore Ferdinando II. accepit. At uti Ludovicus XIII. supremum Dominium in hanc Civitatem totúmque illius Episcopatum an. 1631. sibi asserit, tum jus advocatiæ, quod Dux Lotharingiæ hactenus hic possederat, illiúsque investitura finem habuêre.

Ludovicus XIV. post restitutam vi pacis Ryswicensis Duci Leopoldo Nanceium, Tullum munitionibus instruere cepit; an. 1700. veteres ejus muri dejecti, noviqua erecti necnon variis propugnaculis instructi fuerunt. Per tres portas adeam patet aditus, ei duo junguntur Suburbia, quibus bina Ordinis S. Benedicti Monasteria S. Apri [: St. Evre :] scilicet, et S. Mansueti [: St. Mansuit :] nomina dederunt. In ea 6000. numerantur Incolæ, qui in novem parœchias et quatuor regiones divisi sunt.

Jam à multis sæculis Antistitum Tullensium satis exiguus fuit reditus, eorúmque temporale dominium angustis admodùm circumscriptum est limitibus; at vice versa illorum Spiritualis seu Episcopalis jurisdictio tantò major est eòque longiùs protenditur adhùc, ut totâ Franciâ hac amplior non occurrat Diœcesis, quippe in qua 1400. imò, quod scribunt alqui, 2000. parœchiæ numerantur.

Episcopi ~~Tullenses~~ Comites Tullenses et S. R. J. Principes salutantur.

Episcopatus iste antiquissimus est, et vel ex eo celebremus, quod multos Antistites habuerit sanctitate fulgidos. Primum Tulli Episcopum ~~fuisse~~ S. Mansuetum fuisse ajunt, ac inter illum et S. Auspicium, qui circà finem Sancti V. floruit, sex tantùm fuisse Episcopos Tullenses, undè concludi debet S. Mansuetum nonnisi sub Constantino Magno vel etiam sub ejus filio Constantio prodiisse; inter eos

recensent S. Aprum seu Asperum S. Paulini Nolæ Episcopi coætaneum et amicum, qui circa an. 410. Episcopatum adiisse dicitur; quòd si hoc ita sit, in ingentem achronologiam prolapsi sunt Catalogorum confectores illi, qui S. Aprum Urso S. Auspicii successori postponunt.

Præter Ecclesiam Cathedralem, quæ admodùm est magnifica, et S. Stephano dicata, multæ adhuc numerantur Tulli Ecclesiæ, et utriusque Sexûs Monasteria; Scilicet, Ecclesia Collegiata S. Gangolfi, Ecclesiæ parochiales S. Joannis, S. Petri, S. Genovevæ, S. Amandi, S. Agnani, hæc ad Canonicos Regulares pertinet; Ecclesia S. Spiritus Missionariorum, cui vicinum est Clericorum Seminarium, in quo non modò Theologia, Casus conscientiæ, et S. Scriptura, sed etiam Philosophia, et linguæ doctæ docentur. Capella S. Joannis Hierosolymitani Equitum Melitensium. Capella S. Vasti; Monasteria Monialium SS. Sacramenti, Dominicanarum, Congregationis B. V. M. et Tertii Ordinis S. Francisci, &c. Inter hæc Monasteria eminent Monasterium seu Abbatia S. Apri, in qua plerique Tullenses Episcopi quiesunt sepulti, et Monasterium seu Abbatia S. Mansueti q Benedictinorum, à quibus, quod jam dictum, bina Civitatis Tullensis Suburbia nomen habent. Item Abbatia S. Leonis Ordinis S. Augustini Civitatem inter et Monasterium S. Mansueti collocata: eam Ludolphus Ecclesiæ Tullensis Decanus in honorem Leonis Papæ IX. construxit et an. 1091. perfecit.

q ambæ

Tulli aliquot memorantur celebrata Concilia, ut an. 550. circa factum S. Niceti Trevirensis Antistitis, qui quosdam moribus dissolutos Nobiles anathemate perculerat; item an. 859. in quo Carolus Calvus conquestus est adversùs Genelonem Archiepiscopum Senonensem, quòd Ludovico dicti Caroli fratri sed inimico adhæsisset. et an. 860. in quo pax inita fuit inter Ludovicum Carolum et Lotharium fratres.

Tullum est patria S. Lupi Episcopi Trecensis et ejus fratris Vincentii, quem celebrem illum Vincentium Lerinensem fuisse communis fert opinio; necnon multorum aliorum celebrium virorum.

In hac etiam Civitate S. Leo Papa IX. q antea Bruno dictus, fuit educatus, hic Studiis operam dedit,

q è Comitum Egisheimensium prosapiâ oriundus

deinde adscriptus Clericatui hujus Ecclesiæ Canonicus, et tandem an. 1026. Episcopus factus est; postmodùm ad Papatum evectus tamen Tullensem Episcopatum retinuit, imò Roma hûc profectus est, ut, quemadmodùm anteà, Dioecesim hanc suam visitaret.

5º. Verodunum |: Verdun :| Civitas antiqua, populosa, opulenta, et bene munita, et jam ab an. 410. Sedes Episcopalis Metropoli Trevirensi subjecta, cujus Episcopus Comitis Verodunensis et S. R. I. Principis titulum sibi sumit. Sita est supra collem ad dexteram seu Orientalem Mosæ ripam, à qua bifariam dividitur, 12. leucis ad occasum à Metis, 17. ad Africum à Luxenburgo, et 19. ad Caurum à Nancejo.

Varia sunt ejus latina nomina, præter Verodunum enim etiam dicitur Verunum, Veronum, Vironum, Verodunensium Civitas, Civitas Veredunensium, Civitas Verdunensium, Verodonum, Verdunium, Verdunum, Veredunum, Urbs Vereduna, Viridunum, et Virdunum.

Quidam contendunt eam à Celtico vocabulo Ver quod vadum significat, sic dictam fuisse: quidquid ea de re sit, antiquam esse nemo dubitat, quamvis nec Cæsar in suis Commentariis, nec Strabo et Ptolomæus illius mentionem faciant; multi enim tunc erant in Galliis populi, quorum Cæsar non meminit, Strabo autem Ptolomæus vel memoriam vel scientiam haud habuerunt. Itinerarium Antonini primum monumentum est, in quo Veroduni fit mentio. Tabula Peutingeriana Verunum notat, ex quo habetur Civitatem hanc tunc primum celebrem factam fuisse, cùm Franci in Galliis resederunt; sub illis ipsa ejusque Ager semper pars fuêre Regni Austrasiæ sub Merovingis æque ac sub Carolingis Regibus. Tandem Otto I. Imperator Germanus eam obtinuit. Princeps hic et ejus in Imperio Successores constituerunt Comites seu Marchiones, qui Civitati et ejus Agro seu Comitatui sub ipsis et eorum nomine præessent. Fridericus, qui patri suo Godofredo in hocce Comitatu successerat, illum Haimoni Episcopo Verodunensi et ejus Ecclesiæ dono dedit, quam donationem Otto III. Imperator confirmavit necnon Episcopo huic et ejus Ecclesiæ Comitatûs et Marchionatûs Verodunensis investituram tribuit: huic donationi obstitêre Duces Lo-

tharingiæ, atque manu armata Verodunum occupaverunt. Tandem tamen ad Episcopos rediit in persona ~~Alberonis~~ Episcopi, cujus Successor Albertus an. 1186. ab Imperatore Friderico Barbarossa illius confirmationem obtinuit. Episcopi igitur obtento Verodunensis Civitatis Dominio, illius regimen ipsis Civibus tradiderunt, seu potiùs vendiderunt aut saltem oppignoraverunt, ea huntaxat lege ut quotannis in festo S. Joannis Baptistæ Episcopis fidem juravent; hac ratione factum ut Cives omnibus liberarum Imperii Civitatum juribus ac privilegiis gavisi deinceps fuerint. Hic Verodunensium rerum Status erat, cùm an. 1552. Cives tutelæ et protectioni Henrici II. Franciæ Regis se ipsos tradiderunt. Ludovicus XIII. an. 1627. frustrà obnitente Episcopo Francisco à Lotharingia, castrum hîc extrinsecùs curavit variis propugnaculis instructum; Franciscus Episcopus, qui vibratâ etiam in operarios excommunicatione opus istud impedire conatus fuit, solum vertere compulsus ad Imperatorem confugit, tandem post pacem Vestphalicam Sedibus restitutus fuit. 4 Adalberonis

Civitas hæc magni momenti esse videtur, ut quæ ingressum in Franciam ex parte Campaniæ tueatur, atque etiam in superiori Mosæ parte velut armorum area |: place d'armes :| sit. In ea 13000. sunt animæ.

Præter Ecclesiam Cathedralem aliæ adhuc Verodini numerantur Ecclesiæ, quarum novem sunt parochiales; item Ecclesia Collegiata S. Magdalenæ, ut et Monasteria; inter quæ eminent, 1° Monasterium S. Vitoni |: S. Vanne :| Ordinis S. Benedicti: quando fundatum fuerit ignoratur, id huntaxat compertum est, nempe an. 750. S. Madelbertum in eo Abbatem fuisse, atque tunc S. Petri nomen habuisse; postea Monasterium S. Vitoni dictum est, qui circà an. 998. Episcopus Verodunensis fuisse perhibetur. Olim in Civitatis Suburbio collocatum erat, modò autem inter sex Arcis propugnacula horum habet. In hoc Monasterio ultima Benedictini Ordinis in Gallia reformatio contigit fuit, et à Domno P. Desiderio à Curia |: Dom Didier de la Cour :| illius Priore primùm introducta, quod brevi post factum est Caput novæ Congregationis Benedictinæ, quæ SS. Vitoni et Hydulphi dicitur, quod per hujus S. Vitoni Monasterii cum Media-

no in Vasgovia /: Voge :/ Monasterio /: Moyen Moutier :/ cujus patronus est S. Hydulphus, conjunctionem sumsérit initia. 2º. Monasterium S. Ayrici /: S. Agry vel S. Ayric :/ etiam Ordinis S. Benedicti circa an. 1037. à Remberto Episcopo Verodunensi fundatum; in eo sex duntaxat numerantur Monachi. 3º. Abbatia S. Nicolai à pratis Ordinis S. Augustini. 4º. Monasterium S. Pauli an. 962. fundatum; olim ad Benedictinos pertinuit, sed ab an. 1136. illud inolunt Præmonstratenses ab Adalberone Episcopo in eo constituti. Denique Monasterium S. Mauri Monialium Ordinis S. Benedicti ab Haimone Episcopo fundatum. In eo, quod contò ædificatum est, quadraginta numerantur Moniales: à proprii commodi studio ita alienæ sunt, ut à virginibus, quas in suum Ordinem et Communitatem suscipiunt, nihil omninò accipiant, sed gratis prorsus illas in suam asciscant Societatem.

Ager Verodunensis equidem exigui admodùm est ambitûs, sed tamen populosissimus, amplisque oppidis et pagis abundat; nulla tamen in eo occurrit Civitas præter Verodunum, à quo ipse nomen habet.

187. ~~194.~~

Sectio IV.

De Alsatiâ.

Alsatia /: Elsaß, L'Alsace :/ olim Germaniæ et Circuli Rheni Superioris, nodò Franciæ provincia, limites habet ad Orientem Rhenum, ad Meridiem Principatum Brutrutanum, Comitatus Montis Belligardi et Pagus Helvetiæ Basileensem et Solodorensem, ad Occidentem Lotharingiam; et ad Septentrionem Palatinatum Rheni Sen Superiorem. Ejus longitudo est circiter 20. milliarium Germanicorum, latitudo autem sex duntaxat. Fertilissimis totius Europæ provinciis facilè annumerari potest; omnis generis frumenti, vini, pabuli, lignorum, lini, tabaci, leguminum, fructuum, &c. ferax. In ea etiam sunt fodinæ argenti, æris et plumbi, item aquæ minerales; amœnis clivis et montibus distinguitur, quos variarum Specierum arbores contegunt, et in quibus reperiuntur abietes 120. pedibus altæ, verbo, tùm propter illius fertilitatem, tùm situm jucundum, tùm denique po-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

e de ma grand
he de venir mo
ts et vous felicite
lgré moi que je p
'acquiter de ce de
plus sincere. et je

~~que j'ai~~
ait jusqu'a present,
mbler de ses saintes
res années servi fi
e, ~~et ma fesse a ...~~
j'ai l'honneur de vo
sacrifices, que j'offri
pas a vous faire a Cou
celui ci et je
, que ~~je vous prie~~

afin que vous me ra
ent
elle vous appartient
voir la bonté de me
mé qui vient, car
qu'a ce tems la
on gratieux Seigneu
d'etre avec un
tueux
sonderlich dran
gen die malefica

178

puli frequentiam omnibus aliis tam Galliæ quàm Germaniæ provinciis anteponi potest.

Undè Alsatia nuncupetur, non satis compertum est. Quidam illius germanicum nomen Elsass ab Ello seu Ella vel Ill fluvio, qui illius partem perfluit, et voce sass, quæ Latinè idem esse videtur ac Sessio seu Sedes veniant, adeò ut per vocabulum Elsass per ii populi denotentur, qui ad Illum seu Illam fluvium Sedes suas habent; verùm quia flumen istud totam provinciam non perfluit, sed illius partem duntaxat, non videtur cur tota provincia ab illo nomen habere debeat. Alii memorant, quòd Romanorum ætate hæc provincia Germaniæ primæ annumerata fuerit, ab Alemannis verò patria lingua Adelsass, idest, Sedes Nobilium dicta fuerit ob magnam Nobilium, qui in ea residêre, multitudinem, ex quo nomine postmodum per corruptionem vox Elsass facta sit; at etiam in aliis provinciis multi Nobiles fuerunt, nec tamen hoc nomine ipsa venerunt. Alii denique contendunt Pagum Alemannicum Almangaü seu Algaü in duas partes divisum fuisse, Superioremque illius partem dictam esse Suevium Schwabenland, Inferiorem verò, in qua veri Alemannii Sedes suas habuêre, patria lingua Almannsitz, idest, Sedem Alemannorum vocatam fuisse, unde postea germanicum nomen Alsass, dein Elsass per vocabuli contractionem enatum fuit, et ex eo Latinum Alsatia.

Quidquid de hujus nominis etymologia sit, nomen Latinum Alsatia satis novum est, illudque primùm tempore Caroli M. usurpari cœpit, quod Beatus Rhenanus* memorat. Apud Nithardum** et in Annalibus S. Bertini Sæculo IX. et in Chronico Flodoardi Sæculo X. legitur Elisatia seu Elisata vel Elizata. Auctor Annalium Fuldensium etiam hoc vocabulo utitur, atque etiam apud ipsum Alsatia legitur. Fredegarius, qui circà medium Sæculi VII. floruit, hujus provinciæ populos Adelsates, et Adesationes vocat.

Ante Romanorum in has plagas adventum, hæc provincia Mediomatricorum seu Metensium populorum fuit, qui, prout memorat Julius Cæsar, ad Rhenum usque porrigebantur. At Strabo lib. V. ait Triboccos Germanicæ populos Rheno trajecto illius ripam occupasse, neutron in Mediomatricorum regione sedem fixisse; Cæsar verò memorat, eos illic fuisse vicinos, aut saltem inter ipsos vixisse.

* Beatus Rhenanus Sæculi XVI. Scriptor celebris; natus perhibetur Scelestadii an. 1488. In religionis controversiis et tumultibus, qui ætate sua exortisunt, dicere solitus erat, Lutheranos equidem satis bonam habere causam, quam tamen pessimis modis tuerentur. Tertullianum, Plinium, Livium, Sedejum, Tacitum, et alios docte

res, Commentariis illustravit; Specialiter autem tribus libris Tractatum edidit de rebus Germaniæ, quem Jacobus Otto Urbis Ulmensis Consiliarius sub finem Sæculi XVII. Commentario auxit. Vivere desiit Beatus Rhenanus Argentinæ an. 1547. ætatis suæ 62.

** Nithardus celebris Historicus et Abbas S. Richarii in Picardia, Pronepos fuit Caroli M. ex Bertha filia sua. Post multas, quibus functus est, legationes, præclaraque bello gesta in Monasterium se recepit, ubi et vitam posuisse dicitur an. 853. Scripsit 4. libros de discordia inter filios Ludovici Pii Imperatoris, ab an. 814. usque ad an. 843.

Quinquaginta circiter ante Christi ortum annis provinciam hanc Romani occupaverunt, ipsisque Tribocci illius tunc temporis Incolæ subditi facti sunt. Sæculo V. Romanis Alemanni successêre, his verò Franci, penes quos tam sub Mærovingis quam Carolingis Regibus mansit usque ad an. 911. quo mortuus est Ludovicus cognomento Infans ultimus ex stirpe Caroli M. Germaniæ Rex; tunc equidem Carolus cognomento Simplex Franciæ Rex illam occupavit, at ab Imperatore Henrico I. Aucupe bello petitus eidem provinciam hanc inita an. 921. cum ipso Bonnæ conventione cedere coactus fuit, sicque Alsatia penes Imperium mansit, donec sæculo præterito Ludovicus XIII. inito cum Suecis, quos Protestantes adversus Imperatorem Ferdinandum II. in Germaniam vocaverant, foedere, junctisque viribus eam sibi asseruit, quæ an. 1648. in pace Monasteriensi Ludovico XIV. relicta fuit.

Sub primis Francis à Clodovæi M. Successoribus Alsatiæ Dux datus est, primus, cujus in actis extat memoria, fuit Ethico seu Athicus et etiam Adelricus S. Othiliæ pater. Tandem Ducatus Alsatiæ et Alemanniæ nomen evanuit, donec ab Imperatore Conrado I. in persona Burchardi Alemanniæ Ducis denuò erevixit: postmodùm itaque Duces Sueviæ usque ad Interregni tempora Alsatiæ quoque Duces fuêre. Post Interregnum Rudolphus I. Imperator Habsburgicus Ducatum Sueviæ ad suam familiam traduxit, ac se ipsum Alsatiæ Ducem scripsit. Posteà ab Imperatoribus huic provinciæ Præfecti dati fuêre, qui eidem ad dies vitæ dominarentur, actaque produnt Robertum Imperatorem ex stirpe Palatina Præfecturam hanc an. 1418. filio suo primogenito Ludovico tradidisse, penes cujus Successores permansit per 148. annos. Tandem Ferdinandus I. Caroli V. frater eandem Præfecturam an. 1558. Palatinis ablatam familiæ suæ adscripsit.

Præter Duces etiam Landgravii, id est, Provinciæ Comites in Alsatia fuêre, memoriæque proditum est inter alios etiam Comites Habsburgicos, Egisheimenses, et Episcopos Argentinenses Alsatiæ Landgravios dictos fuisse, quem titulum ad hunc usque diem servant Domus Austriaca et Episcopi; Stirps Egisheimensis jam diu defecit. Unde autem titulus iste obvenerit, et quæ illorum in Alsatia fuerit Auctoritas, id nos ignoramus, aliquam tamen fuisse certum est.

Fluvii, qui Alsatiam perfluunt hi praecipuè numerantur, Rhenus, Ellus seu Ella |: Ell seu Ill :| Bruscha |: Brüsch seu Brüsch :| Mussica |: Mussick :| Soora |: Soor :| Zinzela |: Zinzel :| Mottera |: Motter :| Sura |: Saur :| Selza |: Selz :| Lutra |: Lutter seu Lautter :| et Quissus |: die Quirze seu Quesse :|

Hujus provinciae commercium consistit in arboribus seu lignis ad navium constructionem; in vino, quod pro Rhenano distrahitur; in aquis vinariis; aceto; seminibus ceparum, papaveris, anisi, feniculi; in croco, terebintho, tartaro, cannabe, sebo, pulvere nitrato, frumento; pecoribus, et speciatim suibus; tabaco, castaneis et prunis, &c.

Alsatae boni sunt, dociles, consuetudinibus et usibus suis addicti, sine ambitione, et pacis amantes. omnes communiter germanicam loquuntur linguam, ut quae ipsis materna est, nec tamen gallicam ignorant. Religio dominans in Alsatia est Catholica, Protestantes tamen suae liberum habent exercitium.

Alsatia trifariam dividitur scilicet in Superiorem, Inferiorem, et Suntgoviam: Haec plagam illius meridionalem occupat, Superior medium, et Inferior plagam ejus septentrionalem. Eas modò singulis §§. expendimus.

§. I.

De Suntgovia.

Suntgovia seu Suntgavia |: Suntgau :| aliàs etiam Comitatus Ferretanus |: die Grafschaft Pfirt :| limites habet ad Septentrionem Alsatiam superiorem, ad Orientem Rhenum et Pagum Basiliensem, ad Meridiem Principatum Bruntrutanum, à quo Ellus illum separat, et partem Comitatuum Montis Belligardi et Burgundiae, et ad Occidentem Lotharingiam. Regio haec veterum Rauracorum inter Sequanos celebrium est, cujus vetus nomen Sugint fuit, undè in actis antiquis Sugintensis Pagus seu Comitatus legitur. Fredegarius in Chron. c. 37. eam Sugentensem nominat, et c. 35. omissa littera g. Suentensem.

Olim Suntgovia pars Regni Austrasiae fuit, post Burgundiae, denium ad Germanos pervenit, et ad domum Austriacam in persona Alberti Contracti, qui an. 1324. filiae ultimi Ferretani Comitis nupsit. Saeculo praeterito galli Suecis, qui germaniam vastabant, foedere juncti, re-

188.

gionem hanc occupaverunt, qua ipsis in pace Monasterienſi ſeu Weſtphalica an. 1648. comitia mea cum Supremo illius dominio relicta est. Oenorit in ea

1°. Masonis Monasterium ſ: Maſſmünſter, Moiſevaux :/ urbs exigua in confiniis Alsatiæ Superioris ad ripam Alsumæ ſeu Olsumæ ſ: Zolder ſeu Dolder :/ fluvii, moenibus et foſſis inſtructa. In ea est Principalis Abbatia Nobilium Virginum Ord. S. Augustini Canonicarum, à Mazone Duce et Crafato Alsatiæ fundata.

2°. Befortium, Befortia, et Beſordia ſ: Befort :/ urbs munitiſſima in pede montis poſita 4. leucis ad Euro-aquilonem meridiem à Monte Beligardo, 11. ad occasum à Basilea. Ei insidet Castrum etiam munitiſſimum in eminenti et præcipiti saxo positum.

Regionis propugnaculum ſuit ſemper fuit etiam propinquam ad eum, in quo nunc est, Statum pervenerit.

Olim Speciales Comites habuit, postea Austriacorum Principum facta est; Deinque post initium Saeculi proximi Rex Galliæ eam occupavit, et an. 1648. in pace Weſtphalica ei relicta fuit.

Cum Ludovicus XIV. animadverteret, quanti momenti urbs hæc eſſet, ut qua ambæ Burgundiæ protegerentur, eam optimis munimentis instruxit.

Deigna est, nec ultra 100. Domos, et 700. Incolas numerat. Varias obsidiones sustinuit: an. 1634. Suevi eam oppugnarunt: an. 1654. Gallicam obsederunt, nec tamen obtinuerunt, p.

3°. Lucelle, Luiſcella ſ: Lützel, Luelle :/ Celebris et opulenta Abbatia et Monasterium Ordinis Cisterciensis propè ejusdem nominis fluvium positum in Solitudine nemoris inter asperos montes quatuor circiter milliaribus germanicis ad Africum à Basilea, duobus circiter à Brunstuto ad Eurum. Circà annum 1124. à tribus Burgundiæ viris Nobilibus Hugone de Calmil, Amadeo de Neuchâtel, et Richardo de Montefalconis Monasterium hoc fundatum perhibetur, horum verò, in quo constructum est dedit Episcopus Basileensis Berchtoldus à Comitibus Neoburgensibus: fundationem hanc probavêre an. 1139. Conradus II. Imperator, et an. 1147. Eugenius Papa III. primum hujus Monasterii Capitem posuisse dicitur S. Bernardus.

Primus hic Abbas fuit S. Stephanus ex Monasterio Bella Villa dicto in Comitatu Burgundiæ

huc accitus.

Imperatorum nomine et sub ipsis ab an. 1180. Comites Habsburgici hujus Monasterii Advocati et Protectores fuerunt usque ad an. 1648. quo hæc Advocatia unà cum tota Suntgovia in pace Vestphalica Regi Franciæ cessa fuit. Ab hoc tempore hujus Monasterii Abbas titulo Consiliarii honorarii in supremo Alsatiæ Senatu seu Parlamento gloriatur.

4º Ferreta |: Pfirt, Ferrete :| urbs exigua unà cum Castello, et Caput Comitatûs ejusdem secum nominis, quo propriè tota Suntgovia continetur. Sita est in solo fertili prope Elli |: Ill :| fluminis scaturiginem, tribus circiter milliaribus germanicis ad Africum à Basilea, et decem ad orientem à Monte Belligardo, ad Jurassi montis promontorium, quod Cataracta |: Wassrw=fall :| nuncupatur.

Proprios habuit Comites, qui Imperii Clientes fiduciarii fuerunt usque ad an. 1271. quo Ulricus hunc Comitatum suum Henrico Neobugensi Basileensi Episcopo pro summa 850. Marcarum argenti vendidit ea lege, ut ipse illum sibi et suis ~~Episcopis~~ Successoribus masculis in feudum seu potiùs in subfeudum relinqueret quibus deficientibus ad Episcopum reverteretur. Ultimus Ferretæ Comes unicam post se reliquit filiam, Johannettam, quæ an. 1324. Alberto Sapienti seu contracto q nupsit; hujus filius Rudolphus Comitatum hunc ab Episcopo Basileensi Joanne de Sennen in feudum postulavit; ei abnuere feudum hoc non ausus fuit Episcopus, sed ultrò tradidit.

q Austriæ Archiduci

Ubi Galli Suntgoviam occupavêre, atque vi pacis Vestphalicæ retinuerunt, tùm simul Episcopi Basileensis dominium hujus Comitatus directum evanuit. Ludovicus XIV. dein magna sibi à Cardinali Mazarino præstita obsequia renumeraturus eidem et Successoribus suis, seu iis, quibus ipse jus suum cederet, hunc Comitatum donavit, servato sibi supremo duntaxat illius dominio; eundem Cardinalis iste Hortensiæ Mancini nepti suæ tradidit, quæ Carolo de porta nupsit, qui et Ducis Mazarini titulum assumsit, atque unorio nomine huic Comitatui dominatus est, eúmque ad posteros suos transmisit.

5º Altkirchium seu Vetus Ecclesia |: Altkirch :| urbs angusta cum Castello, duobus milliaribus germanicis ad Caurum à Ferreta, et totidem fermè ad Africum à Mulhusia. In hac urbe Officialis Episcopi Basileensis residet, propter eam Diœcesis Basileensis partem, quæ sub Regis Franciæ dominio est.

an. 1633. Urbs hæc modò à Suecis, modò ab Austriacis occupata fuit. an. 1637. Galli eam assultu obtinuerunt, anno autem 1641. Burgundiæ Rustici expilârunt.

6º Huninga |: Hünningen, Huningue :| Urbs exigua, sed admodùm munita prope Basileam versùs Septentrionem in confiniis Helvetiæ ad Sinistram Rheni ripam posita. Olim pagus duntaxat erat quidam Nobili Basileensi proprius, is, ut ære alieno, quo premebatur, se liberaret, pagum hunc suum Basileensibus emendum obtulit, ab ipsis repulsam passus Parisios se contulit, ubi illum Regi Ludovico XIV. vendidit; Rex, quanti momenti locus iste esset, advertens, ex eo Urbem fecit variis munitam propugnaculis, frustrà obnitentibus Pagis Helveticis; ea an. 1681. perfecta fuit, et 21. Augusti inaugurata. In ea 50. duntaxat ædes numerantur, Incolæ 500. 4000. hominum præsidium continere valet.

7º Mulhusia |: Müllhausen, Mulhouse :| Urbs ampla, venusta, populosa, et libera, necnon Protestantibus Helvetis Pagis foedere juncta. Sita est in amoena frumento, vino, ac frugibus fertili planitia propè Ellum |: Ill :| inter duos rivos, quibus velut Insula concluditur, 5. leucis cum dimidia ad Caurum à Basilea, 6. ad meridiem à Colmaria, et 8. ad Euronotum à Befortio. Quinque sunt illius portæ, quarum una modò obturata est. Nomen habere dicitur à magno Molarum suarum numero.

Quidam arbitrantur eam esse Veterum Asialbinum, eò quòd Itinerarium Antonini hujus nominis Urbem collocet Augustam Rauracorum, quæ nunc nonnisi pagus est, inter et Urencium, quod Ensishemium putatur. Alii verò tam remotam antiquitatem ei non tribuunt, sed contendunt illam ab Imperatoribus Germanis propriis sumtibus excitatam, ~~fuisse~~ nunon Alsatiæ Præfectis subjectam fuisse.

Cùm Imperatores Germanos inter et Summos Pontifices graves vigerent discordiæ et contentiones, Mulhusia Imperatoribus semper fidelis perstitit, hinc sibi vicinorum Ecclesiasticorum et Nobilium odium accersivit; inde an. 1246. quòd Friderici II. partes tueretur, à Berchtoldo à Teck Episcopo Argentinensi, sub cujus jurisdictione hæc Urbs erat, inclementer admodùm habita fuit, quam 15. post annis ab illius jugo liberavit Rudolphus Habsburgicus, atque adjuvantibus Civibus Castrum, quod ibidem ipse habebat, expugnavit, soloque æquavit, relictis duntaxat duabus illius turribus, quæ adhuc extant; et ~~cum~~ post 12. annos idem Rudolphus Imperator factus hujus urbis ergà Imperatores fidelitatem remuneraturus, eam liberam

Imperii Civitatem fecit, multisque privilegiis donavit, quæ an. 1347. Carolus IV. auxit data etiam Civibus facultate sibi Consules eligendi &c.

Olim Mulhusia non secus ac aliæ Imperiales Alsatiæ Civitates ab hujus provinciæ Landgraviis seu Præfectis et Advocatis multa mala perpessa est, ac tandem cum à vicinis Nobilibus continuò vexaretur, de sua libertate sollicita cum Helvetis foedus iniit, ac primùm an. 1465. cum Pagis Bernensi et Solodorensi ad 25. annos, dein an. 1506. etiam cum Basileensi ad 20. annos, demum inito cum omnibus Pagis foedere perpetuo Corpori Helvetico juncta fuit: Tum an. 1523. ad Protestantium sacra secessit, quam cùm Pagi Catholici ad Religionem Catholicam reducere frustrà conati fuissent, an. 1587. foedere suo ejecerunt, Protestantes verò in suo retinuerunt.

Hujus foederis beneficio Mulhusia inter bellorum, quæ à 200. annis Imperatores inter et Franciæ Reges vigerunt, tumultus semper quieta fuit, nec ab ulla belligerantium parte quidquam adversi passa est.

§. II.

De Alsatia Superiore.

Alsatia Superior |: Obr=Elsass, la Haute Alsace :| Sita est inter Vogesum montem ad Occidentem, et Rhenum ad Orientem, ad Septentrionem jungitur Alsatiæ Inferiori, et ad Meridiem Suntgoviæ.

Olim erat Rauracorum Sequanis populis annumeratorum Regio. Ammianus Marcellinus lib. 15. ait præcipuos inter Sequanos fuisse Vesontionenses et Rauracos. Occurrit

1º Ensishemium | Ensisheim: | Urbs venusta, optimo loco sita et eleganter ædificata, mediocriter magna, nec opulenta, unà cum Arce, ad Ellum flumen 3. milliaribus Germanicis à Colmaria ad Meridiem, 2. ad occidentem à Neoburgo, et totidem ad Septentrionem à Mulhusia, et tribus à Brisaco ad Meridiem. Alsatiæ q Caput habetur, quam prærogativam tamen ei Colmaria disputat. Inea ultra 200. ædes non numerantur, adsuntque 1200. familiæ, et 3200. Incolæ. Habet Ecclesiam parochialem amplam et speciosam, in qua S. Urbanus sepultus dicitur. Adest etiam Jesuitarum Collegium, in quo Humaniora et Philosophiam docent; * Moniales etiam tertii Ordinis S. Francisci hic habent Conventum ut et Capuccini, &c.

q Superioris

* Inde abierunt Rege ~~Jub~~ jubente.

Ajunt quòd jam circà an. 730. Sedes fuerit cujusdam Sueviæ et Alemanniæ Ducis; postmodùm ad Comites Egisheimenses Alsatiæ Præfectos devoluta est, quibus deficientibus unà cum Superioris Alsatiæ Landgravia-

tu seu Praefectura ad Comites Habsburgicos pervenit.

Ante 30. annorum bellum in hac Urbe Regimen seu Senatus Austriacus residebat, qui totâ Suntgovia, Brisgoja austriaca, urbibus Sylvatiis |: Waldstätt :| aliisque locis Jus dicebat.

An. 1636. mense Martio à Suecis oppugnata fuit, at brevi post Austriaci eam recuperavêre. an. 1637. mense Julii Galli eam obtinuerunt, à quibus inclementer tota habita fuit. an. 1638. Carolus III. alias IV. Dux Lotharingia pro Cæsare militans eam demùm obtinuit, at cum arcem oppugnare haud valuisset, reddere coactus fuit. Tandem in pace Monasteriensi an. 1648. conclusa Regi Galliæ relicta fuit: is in ea Senatum seu Parlamentum instituit, quod postea Brisaum, ac denique Colmariam translatum est.

2°. Murbachum seu Murbachium |: Münbach, Mourbac :| ~~reincignarpoita~~ ad fluvium, qui Lotbach dicitur, non procul à monte Vogeso, 3. Milliaribus germanicis ad Caurum à Mulhusia, et totidem ad Africum à Colmaria positum celebre Monasterium ordinis ~~Benedictini~~ S. Benedicti ~~Monasterium ordinis~~ eo loco, quod olim ob latrocinia frequenter patrata à voce germanica Mord=urg Mortwagium nuncupabatur, an. 726. seu, ut alii volunt, an. 724. ab Eberhardo Suevia et Alsatia seu Alemannia Duce ad instantiam S. Pirminii, qui tùm in Alsatia versabatur, fundatum in honorem S. Leodegarii Episcopi et Martyris; in quod Inokeum Monachos ab Augia Divite s. Rhenaugia seu Rinfmann: | accitos introduxit idem S. Pirminius. Illud confirmavit Gregorius Papa II. et an. 733. Widegernus Episcopus Argentinensis solemniter inauguravit.

Antehac Vivarium seu Hospitium peregrinorum dictum est, quòd ibidem ipsi cum multa charitate susciperentur. In ea etiam Dux Eberhardus istius fundator ipse Monachum induisse ac finisse vitam dicitur.

Monasterium istud opulentissimum fuit ac potentissimum, multosque Nobiles velut Clientes fiduciarios, seu, ut ajunt, Vasallos suos numeravit. In Helvetia quoque multa prædia possedit, ipsique Lucerna Urbs subjecta fuit, quam an. 1291. Albertus I. Archidux Austriæ et postea Imperator emtionis titulo acquisivit.

Idius Abbas S.R.I. Principis titulo fruitur, atque unus fuit ex quatuor Principali dignitate præditis S.R.I. Abbatibus Benedictinis* Vi Bullæ Pauli Papæ III. Datæ Abbati Rudolpho Stöhr seu Stohr

* Quatuor hi Abbates sunt, Fuldensis, Campidonensis,

de Stohrenburg, Monasterium Luderense in Comitatu Burgundiæ à Berchtilde Burgundiæ Regina ad instantiam S. Deicolæ ædificatum Monasterio Murbacensi adjunctum fuit, sicque idem Abbas Stohr non modò simul præfuit utrique huic Monasterio, sed et utriusque investituram à Carolo V. Imperatore obtinuit. De Abbatia Luderensi egimus in hac Appendice Sect. 2. §. 1. n. 335. et 3.

In pace Monasteriensi, ubi Superioris et Inferioris Alsatiæ Landgraviatus unà cum Suntgovia Galliæ Regi cessus fuit, Murbacensi Monasterio tamen Imperii, ut ajunt, immedietas reservata fuit, quam illud etiamnum tenuit usque ad an. 1680. quo Francisco Egone Fürstenbergico Argentinensi Episcopo ac tum temporis Abbate Murbacensi ultrò se submittente Ludovicus XIV. sibi supremum illius dominium et jurisdictionem asseruit.

Murbaci introducta consuetudo est, ut in illud Monasterium nonnisi antiquæ nobilitatis candidati suscipiantur, qui sexdecim* ex parte patris et matris simul stemmatum gradus exhibere tenentur. q

3º Rubeacum seu Rufacum |: Rüffach, Rufach, Roufac :| Urbs sita ad ripam fluvii Rothbach duabus leucis et dimidiâ ad Euronotum à Colmaria, et septem ad ad Euro-Aquilone-Mesem à Basilea in territorio, quod Mundatum |: Mundat*: | dicitur, cujus caput est.

Dagobertus Franciæ Rex Urbem hanc unà cum Mundato S. Arbogasto Argentoratensi Episcopo dono dedisse fertur. Supra montem Rubeaco impendentem cernuntur adhuc rudera Arcis Isenburg seu Eisenburg dictæ à Dagoberto excitatæ, eidem juncta est alia primùm seculo præterito ædificata sed non finita.

Frequentes populorum ad reliquias S. Valentini, quæ in hac Urbe asservantur, peregrinationes ad illius augmentum haud parum contulêre. An. 1068. illius Incolæ adversùs Imperatorem Henricum IV. rebellârunt ablatis ipsi etiam Corona, Sceptro, aliisque ornamentis Imperialibus, quæ ei reddere noluerunt, nisi priùs condonata rebellione sua illos denuò recepisset in gratiam; Imperator omnia spopondit, at urbem egressus, illam per copias suas occupavit, à quibus incensa fuit trucidatis illius Incolis. Aliàs etiam aliquoties expilata et igne consumta fuit; Philippus namque Imperator, injuriam à Conrado Episcopo Argentinensi acceptam ulturus illam incendit, partémque Castri Isenburg disjecit, et an. 1298. ab Imperatore Adolpho idem passa est infortunium. An. 1426. Angli eam oppugnaverunt, ρ. tot adversis fatis devastatam Guilielmus III. Argentinensis

Corbejensis, et Murbacensis.

* modò octo tantum ab anno 1766. abjecto cucullo Murbacenses facti sunt Canonici Sæculares.

* Mundat nomen germanicum: quidam illud à voce latina Mandatum seu Munus datum derivant, quòd Dagobertus Rex S. Arbogasto Argentinensi Episcopo territorium hoc dono dederit; alii volunt illud esse germanico-latinum Manthatum à voce Manni. id est, Männer qua significati sunt homines, quibus prædia in feudum seu emphyteusim tradita fuerunt, sub conditione illorum Dominis homagium et operas præstandi; vel ob immunitatem, qua hujus territorii Incolæ donati fuêre. Hæ variæ hujus nominis interpretatio-

nes probant illius veram ignorari originem.

Aliqui Mundatum hoc seu Districtum bifariam dividunt scilicet in Superiorem, in quo Rubeacum est, et Inferiorem, qui Argentina vicinior est: ambo pertinent ad Episcopum Argentinensem.

q te Situm est Marbacum |: Marbach :| Monasterium Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini, à Comitibus Egisheimensibus fundatum.

Antistes denuò restaurarit, novisque cinxit moenibus.

an. 1634. à Rhingravii copiis expugnata fuit, et mox à Caesareis recuperata; denique gallicalis admotis idem obtinuerunt. 350. in ea numerantur aedes et 2500. Incolae. Haud procul à Rubeaco in non- q

4º Brisacum Novum |: Neu Brisach, le Nouveau seu le Neuf Brisac :| Urbs munitissima à Ludovico XIV. post pacem Ryswicensem media leuca à Rheno è regione Brisaci veteris exstructa, duabus leucis ad Euronotum à Colmaria. Per quatuor portas sibi invicem directè oppositas ad eam patet aditus, vicos habet rectos et ad lineam ductos, neuron aequalis Symetria domos, viis in magnum et quadratum forum desinunt. In ea duae tantùm sunt Ecclesia, parochialis una, et altera Franciscanorum Discalceatorum.

Non procul ab hac Urbe ad ripam Rheni et etiam è regione Brisaci veteris positum est propugnaculum, lunatum, quod Mortarium |: le fort = Mortier :| dicitur.

5º Colmaria, Columbaria, et Columbraja |: Colmar :| Urbs sita ad ripam fluvii Lauch dicti, qui media infrà idam leuca in Ellum influit, 4. leucis ad occidentem à Brisaco novo, 9. ad Caurum à Basilea, et 14. ad Euronotum ab Argentina.

Conjectura est eam primitùs Columbariam fuisse nuncupatam, atque deletis ab hoc nomine u et b postmodum Colmariam. Aliqui eam Caput Alsatiae Superioris dicunt, quam prorogativam tamen Ensisheimio alii tribuunt. In amoena fertilique posita planitie totius Alsatiae centrum fermè occupat. Praeter Ellum Lucha |: Lauch, Turus |: Thur :| vecha |: Ill :| et Müflbach fluvii partim Urbem hanc partim ejus agrum perfluunt ac irrigant, neuron ad ejus fertilitatem haud parum conferunt.

Volunt aliqui eam ex ruderibus veteris Argentoratia, prope quam Gratianus Imperator an. 378. Germanos, qui Alsatiam et maximam Helvetiae partem subegerant, devicit, fuisse exstitatam; quando autem id factum fuerit, ignoratur. Quidam dicunt eam, cùm prius nonnisi oppidum esset, primùm sub Imperatore Friderico II. qui ab an. 1212. vel potiùs 1218. usque ad an. 1250. rebus Imperii praefuit, muris cinctam fuisse: imò Richer Monachus qui hujus Imperatoris aetate superfuit, Chron. lib. 4. c. 30. haec eloquitur: Wolfelinus Praefectus Alsatiae Columbariam in Episcopatu Basiliensi construxit. Verùm haec Ecclesiae restauratione potiùs quàm de prima illius funda-

tione intelligenda videntur; enimverò Urbs ista multoties devastata et itèrùm ædificata fuisse ~~memoratur~~, jamque ante Friderici II. tempora extitisse perhibetur. Quidam volunt eam Columbariam fuisse vocatam, quòd ipsa primùm non nisi Columbarium fuerit, at ex quorum augurio hanc suam opinionem hauserint, nescitur.

Quamvis Colmaria vigentibus intestinis provinciæ ipsius tumultibus à vicinis suis multùm afflicta fuerit, præsertim Rudolphi Habsburgii et Adolphi Nassauiensis temporibus, tamen libertatem suam semper retinuit, fuitque sub Austriacis Imperatoribus immediata ac libera Imperii Civitas, usque ad an. 1680. quo eam Rex Franciæ Ludovicus XIV. sibi vindicavit.

Anno 1575. Cives abdicata Religione Catholica Zwinglianismum amplexi sunt, at post Sauli præteriti initium et ante 30. annorum bellum cùm Cæsarei ubique legem darent, Catholica Religio denuò hîc introducta fuit, Magistratus Zwinglianus depositus et Catholicus institutus, ac præstantioris notæ Civibus Basileam, Mulhusium et aliò secedentibus, cæteris Sacra Zwingliana interdicta. At cùm an. 1632. præsidium Cæsareum inter et Cives gravis et cruentus exortus fuisset tumultus, hi Superiores offensi Cæsareos exturbârunt cum eorum aliquot, neenon Suecis Urbem tradiderunt, tùm in Civilibus æquè ac Ecclesiasticis omnia ad eum, quo an. 1626. fuerant, Statum reducta fuêre, excepto, quòd loco Zwinglianismi, cui hactenus plerique Cives adhæserant, Lutheranismus fuerit adoptatus.

Anno 1672. mense Augusto Urbs hæc Belidumi Gallo Marchioni de Louvois ultrò et absque ulla necessitate se dedidit, anno sequenti jussu Ludovici XIV. ædificia et mœnia solo æquata fuere, an. 1675. verò iterum restaurata. Post pacem an. 1679. Novimagi conclusam an. 1680. Colmaria, quod supra jam dictum, eandem sortem habuit ac cætera Imperiales Alsatiæ Urbes, quæ in pace Westphalica Imperio servata fuerant, nempè Rex Franciæ eam sibi subjecit: an. 1684. deinde ipsum inter et Imperium Justitium Bellum ad 20. annos initum fuit, interim eidem omnibus, quæ sibi in Alsatia asserebat, relictis. Tandem an. 1697. in pace Ryswicensi universa hæc provincia una cum omnibus aliis Imperialibus Urbibus ipsi cessa fuit.

Colmaria nunc prima est post Argentinam Alsatiæ Civitas. In ea 800. civitor ædes et 1078. familiæ, neenon 7142. incolæ numerantur, quorum

media pars Catholicam Religionem profitetur, altera Lutheranam.

In hac Urbe praeter Ecclesiam parochialem, S. Martino dicatam, et à Berhta Caroli M. matre fundatam, sunt adhuc aliquot Ecclesiæ et Monasteria, ut Collegiata S. Petri ab Adelheide dicti Caroli M. filia adificata, Ecclesia Nosocomii, Ecclesia S. Joannis, Ecclesia una cum Conventu SS. Minorum Conventualium, quæ ad Lutheranos pertinet; Conventus Eremitarum S. Augustini, & Capucinorum. bina Monialium Monasteria, et Collegium Jesuitarum, in quo ipsi humaniora docent. Abierunt. Præcipuus hujus Urbis ornamentum est Supremus Alsatiæ Senatus seu Parlamentum; illud post pacem Ryswicensem Ludovicus XIV. à Brisaco veteri, quod ab ipso Imperatori restitutum fuit, huc transtulit.

6° Scelestadium, Schelstadium, Schladistadium |: Schlettstadt Schlestadt, Selestat :| Urbs munita ad ripam Illi posita 5. leucis ad Septentrionem à Colmaria, et 8. vel 9. ad Meridiem ab Argentina. Veteri Urbi Helellæ |: Ell :| successit, cujus tabula Peutingeriana, et anonymus Ravenas meminerunt, et quæ in Antonini Itinerario Helvetum vocatur, apud Ptolomæum verò Helvetibus, quod ammanuensium errorem esse quidam arbitrantur. Helellum |: Ell :| nunc vilis pagus Suntaxat est non procul à Scelestadio. Hujus Urbis alia adhuc sunt nomina, quæ apud Scriptores quosdam leguntur, nempè Helvba, Selenca, Argentoria, et Arguentaria, qui tamen monumenta, è quibus illa enerint, nulla proferunt.

Scelestadium jam ætate Caroli M. famosa Urb fuit, in qua ipse palatium habuit multotias à se habitatum; memoria quoque proditum est, illum in ea an. 776. festa Domini natalitia navimque annum celebrasse. [illegible]

Ante et etiamnum post pacem Monasterien sem libera Imperii Civitas fuit usque ad an. 1673. quo Ludovicus XIV. eam occupavit, atque an. 1677. muninentis suis nudavit, quæ post 6. annos de

mò restituit non modò, sed et auxit.

In ea præter Ecclesiam parochialem, quæ satis magnifica est, adsunt adhuc variæ Ecclesiæ, et aliquot Monasteria, ut Prædicatorum, FF. Minorum de observantiâ, Capuccinorum, et Monialium Ordinis S. Dominici. Jesuitæ quoque Monasterium et Ecclesiam S. Fidei olim Monialium Ordinis S. Benedicti ab Archiduce Austriaco Leopoldo Episcopo Argentinensi obtentam occupant, in quo humaniora docent. Modò abierunt, quando reditura?

Scelestadium est patria Beati Rhenani, de quo superiùs locuti sumus, et Martini Buceri. Hic ex Prædicatorum Ordine, quem professus fuerat, apostata factus Luthero se adjunxit, nec tamen à Zwinglii doctrina cœnâ Eucharistiam abhorruit, sed quin potiùs eam fovere visus est; vir omni dolo plenus et aquivoris facundus, Sacramentarios seu Zwinglianos Lutheri, qui erant abominationi, reconciliare conatus est edita fidei professione adeò æquivoca, ut tàm Sacramentarii, quàm Lutherani subscribere ei posse viderentur, et tamen eorum quilibet opinionem suam liceat ea ipsa alteri penitùs contrariam retineret.

§. III.

De Alsatia Inferiore.

Alsatia Inferior |: Nieder Elsass, La Basse Alsace :| ea ditione continetur, quam Friburci possederunt, qui è Germania venientes Rhenotrajecto in Mediomatricorum regione consederunt, exceptâ parte illâ, quæ Palatinatui confinis est, hæc enim Nemetum erat, atque etiammum nunc pars est Spirensis Diœcesis.

Post pacem Monasteriensem Rex Galliæ, prout Norimbergæ conventum fuerat, hanc regionem evasit, adeò ut juribus, quæ priùs Domus Austriaca in ea competiverant, contentus nullum supremum jus ac dominium in illius Insolas haberet, verùm hi, ut antèà, immediatè sub Imperio starent; quod in pace Novionagi an. 1679. conclusa demùm confirmatum fuit. Verùm an. 1680. Regius Alsatiæ Senatus seu Parlamentum, quod tunc Brisaci sedebat, cunctos Inferioris Alsatiæ Principes, Ecclesiasticos et Sæculares Dominos, p. edicto citavit, ut viderent se condemnari ad præstandum Regi fidelitatis juramentum et homagium, neenon eumdem velut Su-

190.

N3 O
2o Andlavia |: Andlau seu Andlaw :| Olim Monialium Ordinis S. Benedicti Monasterium, nec verò celebre Nobilium Canonissarum Collegium; cujus Abbatissa Principis titulo gaudet, 2. milliaribus Germanicis versùs Occidentem ab Aprimonasterium Sichardo Scotia, ut festus, Principe et Imperatoris Caroli cognomento Crassi conjuge an. 880. fundatum, et in quod ipsa relicto marito suo, quiescit Ram eorum Imperii Principibus ac publicis Comitiis adhæsterii falsò insimulaverat, et ad posteam tempore nobis suam virginitatem, ut quoad hactenus ipse intacta reliquerat, adegerat, an. 887. se vitam finivit.

Urbem, quæ eidem jungitur, possident

* Armeniani dicti sunt veteres quidam milites, qui primùm sub Ludovico Gallia Delphino postèa Rege hujus nominis XI. an. 1444. propter dissipationem Comitiis Basileensis adversùs Helvetios militárunt.

Nobiles, qui ab ipsa

promum Summum Principem agnoscendum: iis nequiquam obsistentibus neque Vestphalicam pacem praetexentibus, eodem anno 9. Augusti ab eodem Palamento prodiit Decretum seu Sententia, qua declarabat universam Alsatiam Inferiorem sine ulla exceptione sub Supremo Regis Dominio esse, simulque omnibus et singulis illius Incolis injungebat, ut eidem tanquam Supremo Principi suo et Monarchæ fidelitatis juramentum præstarent: huic Decreto an. 1681. Nobiles paruerunt, Argentinensis Episcopus et illius Cathedralis Ecclesiæ Capitulum una cum omnibus suis Subditis idem præstiterunt, tandémque ipsa Argentina mense Octobri Ludovico XIV. portas suas aperuit. Tum hac de re graves querelæ Viennæ et Ratisbonæ in Comitiis à S. Richardis mota fuerunt, ut ea loca, quæ Rex Galliæ in Alsatia occupaverat, per 20. annos penes ipsum remanerent; denique in pace Ryswicensi omnia, quæ Superiori et Inferiori Alsatiâ continentur, Galliæ relicta fuerunt, adeò ut ea de re nulla amplius extet controversia, finémque Inferioris Alsatiæ ea ratione designati sint, ut quæ à Palatinatu avulsa fuerant, Electori, Duci Bipontino, et Episcopo Spirensi restituta fuerint.

Obiit

3o Aprimonasterium seu Novientum |: Ebrobrunn, Münster, Ebrobrim, Ebrobrim = Ebrob = Brim = Ebrobrim = Münster, et olim etiam Ebrobrim, seu Eborobrim :| celebre Ordinis S. Benedicti Monasterium et Abbatia, una cum exigua urbe infrà Scelestadium in Insula, quam Ellus |: Ill :| efficit. Fundatum dicitur ab Etticone Duce Alsatiæ an. 700. an. 810. Illius Abbas Diebaldus seu Theobaldus à Carolo M. privilegium obtinuit, quo ab omni jurisdictione eximebatur. an. 1444. Urbem obsederunt Armeniani *; at Argentinensibus suppetias ferentibus repulsi fuêre. an. 1640. muris ipsius dejecti fuerunt, et Monasterium in cineres redactum. Modo Urbs muris cingit, atque fossis similis est.

NB O.

3o Rhinovia |: Rhinau seu Rhinaw :| Urbs exigua sine muris ad Rhenum et infrà Aprimonasterium, non procul ab eo loco, ubi Ilzacher fluvius Rheno immergitur. Benè nonnisi memoria est majoris Urbis, quam Rhenus abduxit.

4o Benefeldia |: Brunfeldt, Brinfeldt, et Bonafeldon :| Urbs exigua posita ad ripam Elli in planitie duabus leucis et semi ad Boream à Scelestadio, et quinque ad Euronotum ab Argentina.

Eam an. 1331. Ulricus Comes Virtembergicus, cum portæ non custodirentur et Magistratus in Oratorio jus diceret, intercepit et expilavit, atque post aliquot hebdomades Berchtoldo Argentinensi Episcopo iterum restituit.

An. 1592. exorto de Episcopatu Argentinensi Cardinalem Carolum à Lotharingia, quem Catholici Ecclesiæ Cathedralis Canonici in Episcopum elegerant, inter et Georgium Marchionem Brandeburgicum à Lutheranis Canonicis eidem oppositum bello Urbem hanc occupaverunt Lotharingi atque anno sequenti munire coeperunt. an. 1621. Leopoldus Austriacus itidem Argentinensis Episcopus illius munitiones auxit. an. 1632. Sueci pactis conditionibus eam obtinuerunt, illiusque munitionibus quædam adhuc addiderunt propugnacula. In pace Vestphalica munimentis nudata Episcopo restituta fuit.

5º Enheimum, Enheimia Superior, seu Obernæa |: Ehsunsrim, Obronsrim, seu Obrvensrim:| Urbs exigua ad Ergelum |: Ergel:| fluvium sita, tribus milliaribus germanicis ad Africum ab Argentina. Olim Urbs Imperialis fuit. an. 1260. cum muris nondum circta esset, ab Argentinensibus pene combusta fuit. an. 1632. Sueci eam occupaverunt, et an. 1643. Galli; ac aliàs durante 30. annorum bello multis calamitatibus obnoxia fuit. Dicitur Enheimia Superior ad distinctionem Oppidi, quod Ehenheimia Inferior nuncupatur, atque media circiter leuca ab ipsa dissitum est.

6º Molshemium seu Molseinum |: Molsheim seu Molzheim; item Molzen, et antiquitùs Mollesheim:| Urbs angusta ad Bruscham |: Brüsch, seu Brüsch:| fluvium 3. leucis ad occidentem ab Argentina. Inter vetustissima Ecclesiæ ac Episcopatûs Argentinensis prædia recensetur.

Sæculo XIII. Philippus Suevus Imperator, ut Conradum Episcopum Argentinensem, qui partes Ottonis Brunsvicensis competitoris sui tuebatur, ulcisceretur, Molshemium expugnavit et incendit. Joannes Episcopus Aichstadiensis et Alberti I. Imperatoris Cancellarius Episcopatum Argentinensem à Clemente V. adeptus, hujus Urbis moenia restauravit, necnon Arcem et Xenodochium an. 1318. è fundamentis erexit.

An. 1560. Capitula Ecclesiarum Cathedralis, SS. Petri Junioris et Senioris Collegiatarum Argentinensium in hanc Urbem se receperunt. Joannes de Manderscheid Episcopus Argentinensis ibidem Scholas et Academiam seu Universitatem fundavit et Jesuitis tradidit, ut Catholicam Religionem adversùs Protestantes, et specialiter contrà

Domini de Andlavia vocantur, tanquam dictæ Abbatiæ seu Collegii feudum masculinum.

Universitatem Argentinensem, quæ tunc celebris erat, tuerentur. Postquam Ludovicus XIV. Argentina potitus est, tum Episcopus et Canonici illam repetierunt, id an. 1681. factum. Molshemii magnificum est Carthusianorum Coenobium, illud et Jesuitarum Collegium totam fermè Urbem occupant, adeò ut in ea pauci numerentur Incolæ*. An. 1677. Cæsarei Molshemium incenderunt, quod posteà restauratum fuit.

* Jesuitæ non amplius adsunt

7.° Argentina, Argentoratum, Argentora, Strateburgum |: Straßburg, Strasbourg :| Civitas totius Alsatiæ Metropolis; munitissima est simul et amplissima, atque una ex spectatissimis totius Franciæ Civitatibus, necnon Sedes Episcopi Moguntinensis Archiepiscopi Suffraganei. Ei impendet Castrum munitissimum à Ludovico XIV. excitatum. Sita est in planitie media leuca ad occidentem à Rheno, ad Ellum, qui illam perfluit, 6. leucis ab Hagenoa ad meridiem, et 18. ad Septentrionem à Colmaria.

Vetus ipsius nomen est Argentoratum, quòd eo loco, quo Argentorate seu Argentorum Urbs à Romanis, quò illorum Imperii versùs Germaniam propugnaculum esset excitata steterat, ædificata fuerit, atque Strateburgum |: Straßburg :| dicta, quòd in Itinerario Antonini ipsa locus ille fuerit, in quem multæ Romanorum publicæ viæ desinebant, unde habetur illam initio Sæculi V. spectabilem fuisse Civitatem.

Quando vel à quo ædificata fuerit, ignotum est, quòd nullus Auctor ducentorum post Julium Cæsarem annorum spatio illius meminerit. Equidem eam annotavit Ptolomæus, verùm adeò mancam illius habuit notitiam, ut eam Vangionibus adscripserit, cùm tamen hi populi nequidem ei vicini fuerint, ipsáque procul dubio ad Triboccos pertinuerit. Sæculo IV. jam admodùm celebris fuit. Ammianus Marcellinus lib. 16. eam cladibus Barbarorum notam asserit, hicque Julianus Imperator Germanos eorúmque Regem Chonodomarum devicit: hujus Civitatis ipse meminit Epist. ad Athenienses, eámque Argentoram vocat. Ex Notitia Imperii habetur Argentoratem omnis generis armorum fuisse Opificium.

Sæculo V. Barbari trajecto Rheno eam an. 407. expilârunt, quod refert S. Hieronymus Ep. ad Argeruchium; brevi post restaurata fuit; in Notitia namque Imperii, quæ sub finem Imperii Honorii et initio Valentiniani III. facta fuit, non solùm Argentorate, sed et Armorum, quod in ea Urbe erat, Opificium notatur. Postmodùm Attila Hunnorum Rex eam penitùs

excidit, adeo ut multorum annorum spatio deserta et incolis vacua permanserit. Traditio est, sed incerta admodum, Clodovaeum M. Francorum Regem ejus restaurationi dedisse initium; id duntaxat certum habetur, nempe illius filios ad Ellum haud procul à veteris Argentorates ruinis novam Civitatem in via publica, quae circà medium latinitatis aevum Strata dicebatur, aedificasse, quae Strateburgum dicta fuit, quo nomine eam Gregorius Turonensis lib. 9. c. 36. et lib. 10. c. 19. nuncupat, ex quo vulgari tunc Francorum lingua Strateburg ac demum Straßburg factum est, quod hactenus retinuit, vetus verò latinum denuò assumsit, necnon Argentoratum vocata est, ex quo recentioribus saeculis Argentina prodiit.

Olim ergo Argentoratum Regia Regni Austrasiae Civitas fuit, aegreque Ottoni M. qui Regnum istud sibi asseruit, parere visa est, at posteà illius successoribus fidelis semper fuit, specialibusque prae aliis Imperii Civitatibus privilegiis et immunitatibus ab ipsis donata fuit.

Rhenum, à quo, ut jam dictum, Argentoratum media duntaxat leuca distat, et quem hic variae Insulae in plures ramos dividunt, pons ligneus ultrà leucae quadrantem protensus tegit. an. 1428. Ludovicus Comes de Lichtenberg illum occupavit. an. 1672. mense octobri Galli illum dejecerunt, quod damnum an. 1674. reparatum fuit. Wenceslaus Imperator illius proprietatem Civitati adscripsit, et Maximilianus II. eidem jus tribuit ab iis, qui per illum transirent, vectigal exigendi, quo jure etiamnum adhuc ipsa fruitur.

Olim Argentinae Nobiles imperabant, at posteà illius regimen cives magna sui parte obtinuerunt. Modò Magistratus ex decreto Ludovici XIV. media sui parte Catholicus est, et altera Lutheranus, eidem Praetor praeest à Rege constitutus, unde et Praetor Regius vocatur.

Ubi post initium saeculi XVI. Martinus Lutherus adversus Papam et Episcopos Ecclesiamque Catholicam debacchari coepit, idem Zwinglius in Helvetia, et Capito, Hedio, Cellius, et Bucerus Argentinae praestiterunt, multisque hujus civitatis Clericis, quorum depravatos mores corrigere Wilhelmus ab Hohnstein Comes Thuringiae tunc temporis Argentinensis Episcopus conabatur, ad ipsos deficientibus, cives quoque horum novorum Praedicatorum partes amplexi communi consilio Missae Sacrificium omniaque Catholicae Religionis divina offi-

cia aboleverunt, simúlque Monachos, Moniales omnes cæterósque Catholicos Ecclesiasticos Urbe ejecerunt. Id ~~ad Magistratus~~ an. 1529. factum.

Magistratus postmodum, scilicet anno 1538. Gymnasium seu Academiam Scientiarum erexit, eique et ejus Professoribus Capituli et Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Thomam dictæ, aliarúmque in Urbe et ipsius ditione sitarum reditus assignavit. Hæc prima sua privilegia an. 1566. ab Imperatore Maximiliano II. obtinuit, quibus ei facultas data fuit Baccalaureos et Magistros creandi; ea Ferdinandus II. an. 1621. auxit, illique potestatem dedit Licentiatos ac Doctores in omnibus facultatibus creandi. constat quatuor Facultatibus, in eáque linguæ doctæ docentur.

Mortuo Tabernis Alsaticis an. 1542. Wilhelmo Episcopo successit Erasmus à Limburgo; hic an. 1550. Argentinenses eò adegit, ut ipsi Cathedralem, necnon Collegiatas S. Petri Junioris et Senioris Ecclesias restituerint, retenta tamen Collegiata S. Thomæ, quod illius reditus Universitas possideret. At cum postmodum harum Ecclesiarum Canonici inter tantam populi sibi adversantis et sacra sua abhorrentis multitudinem haud satis tutos se fore censerent, relicta Civitate Molshemium se receperunt, id factum an. 1560. tùm Cives harum Ecclesiarum possessionem denuò arripuerunt.

Inter eos Clericos, qui Argentinæ Lutheranismum amplexi fuerunt, etiam numerati sunt aliqui Ecclesiæ Cathedralis Canonici; hinc evenit, ut cùm Joannes Episcopus an. 1592. fatis functus fuisset hi Joannem Georgium Principem Brandeburgicum in Episcopatûs Administratorem elegerint, Catholici verò Tabernis congregati Cardinalem Carolum à Lotharingia Ducis Caroli II. filium Episcopum salutârint; undè inter hos duos Principes bellum exortum, quod tandem finitum fuit data Brandeburgico ingenti pecuniæ summa, et penes Carolum Episcopatu remanente.

In hoc statu res Argentinensium permanserunt, usque ad an. 1681. tum enim omnibus pacem jam in pace constitutis Ludovicus XIV. quorumdam Civium proditione Civitatem hanc ne quidem obsessam per suum Belliducem de Montclas 30. Septembris obtinuit, cujus possessionem Rex ipse cepit

illam 13. octobris ejusdem anni solemni pompâ ingressus; tunc enim Episcopo et Canonicis omnibus restitutæ Ecclesiæ, Religioque Catholica denuò introducta. Civitas hæc deinde in pace Ryswicensi Franciæ penitus asserta fuit, penes quam hactenùs remansit.

Argentoratensis Episcopatûs origo æquè obscura est ac ipsius Civitatis. S. Irenæus qui sub finem Sæculi II. scripsit Ecclesiarum in Germania fundatarum puritatem ~~commendat~~ fidei commendat, ~~[illegible]~~ quod de Romana Germania, cujus Argentoratum ex præcipuis Civitatibus una erat, intelligendum est; at quia postmodùm Ecclesia hæc unà cum Civitate penitus excisa fuit, nec Inventorum annorum spatio ullus in ea Antistes ~~fuerit~~ extitit, nulla quoque Episcoporum, qui sub Romanis Imperatoribus Ecclesiæ huic præfuerint, extat memoria, quamvis omninò verisimile sit hîc Episcopos fuisse. Equidem opinio est S. Amandum Tungrensium Episcopum illius primum fuisse Antistitem. Memoriæ proditum est jam an. 346. S. Amandum Argentinensem Episcopum Concilio Coloniensi interfuisse, illius etiam meminit Synodus Sardicensis an. 347. sub Imperatoribus Constantio et Constante habita. an. 638. S. Arbogastus in hujus Civitatis Episcopum assumtus est, Successorémque habuit S. Florentium. p.

Capitulum Cathedrale est totius Ecclesiæ Catholicæ nobilissimus, ut in quod jam à Sæculo XII. nonnisi summæ nobilitatis viri Principes et S. R. I. Comites, qui octo Stemmatum gradus ex parte patrum suorum et ~~todo~~ totidem ex parte Matrum suarum probare tenentur, suscipiantur.

Ecclesia Cathedralis sive ejus ~~[illegible]~~ amplitudo sive magnificentia spectatur, nulli in tota Europa cedere videtur. Quidam arbitrantur illam à quodam Idolorum Templo originem ducere, cujus rudera post Attilæ devastationem adhuc superfuerint. B. V. Mariæ dicata est, et in ea ædificanda centum anni fuerunt impensi. An. 769. Pipinus Chorum ædificare coepit, quem Carolus M. ejus filius perfecit. an. 1003. ab Ermando Sueviæ Duce adversùs Imperatorem Henricum II. rebelli incensa fuit; is enim, cùm Urbem assultu cepisset, nec eos, qui in hanc Ecclesiam se receperant, vincere ~~[illegible]~~ valeret, admoto igne eam succendit, flammæ tamen illius Choro pepercerunt, qui adhuc extat.

Wernherus hujus Civitatis Episcopus novum illius aedificium molitus est, illiusque fundamenta jecit an. 1005. necnon quatuordecim ultimos vitae suae annos in prosequendo pretioso hoc opere ac aedificio impendit, ejus Successores illud continuarunt et perfecerunt usque ad turrim, cui primùm an. 1229. initium datum est, atque an. 1449. perfecta fuit. Sunt qui dicant, Ecclesiam hanc primùm an. 1140. devastatam fuisse, ac an. 1275. denuò ~~perfecta~~ suam perfectionem attigisse. turrim verò an. 1377. aedificari coepisse, et an. 1444. finitam fuisse. Ego, quantum adhuc memini, ante 32. annos numisma aureum vidi ovalis figurae, ex una parte hujus Ecclesiae typum, ex altera verò effigiem Werkheri Episcopi cum hac inscriptione Wernherus Episcopus Argentinensis. an. 1005. referens.

Turris haec est altissima totius Europae et Asiae Pyramis; ejus altitudo est 594. pedum, ac per 695. gradus usque ad ejus summitatem ascenditur.

In Ecclesia est Horologium Astronomiae et Mechanicae perfectum Opus. Isaacus et Josias Haberecht Horologiorum Artifices Scaphusiani unà cum Conrado Dasypodio celebri Mathematico et Davide Wolckenstein Breslaviensi ab an. 1571. usque ad an. 1574. confecisse dicuntur, illudque Thomas Stimmer pinxit.

Praeter Ecclesiam Cathedralem non adeò multae Argentorati numerantur Ecclesiae et Monasteria: adsunt quippe sex parochiales Ecclesiae, scilicet S. Laurentii, quae est Cathedralis seu potiùs à Capella S. Laurentii, quae in illa est, sic dicta; S. Petri Junioris, et S. Petri Senioris, quae simul sunt Collegiatae; S. Stephani, quam administrant Religiosi Antonitae nuncupati; S. Ludovici, quae est Canonicorum Regularium S. Augustini; et S. Marci, quae etiam est Collegiata. Capucini hic binos habent Conventus, ac ante aliquot annos etiam introducti fuere SS. Minores S. Francisci de observantia seu Discalceati. Religiosi S. Joannis Hierosolymitani seu Melitenses hic quoque habent Monasterium; et Jesuitae Collegium, q Adsunt etiam tria Monialium Monasteria, nempe Visitationis B. V. Mariae ad S. Stephanum, quae loco nobilium puellarum Canonicarum Lutheranarum an. 1699. hic constitutae fuerunt; Congregationis B. V. Mariae, et Dominicanarum. Lutherani inter alias Ecclesias retinuerunt Ecle-

q unde anno 1766. non secus ac caeteri omnes Jesuitae è tota Gallia, expulsi sunt.

siam Collegiatam S. Thomæ post Cathedralem præcipuam et cujus reditus à Magistratu, quod suprà retulimus, an. 1538. Universitatis noviter erectæ Professoribus attributi fuêre; item Ecclesiam olim Prædicatorum, quæ Nova dicitur, et illorum Monasterium, quod est Seminarium pro suis juvenibus Clericis; naves etiam Ecclesiarum S. Petri Junioris, et S. Petri Senioris, &c.

Adest etiam Seminarium pro Clericis Catholicis, cui præsunt Jesuitæ; hi quoque habent Universitatem huc Molshemio translatam; in qua Philosophiam, Theologiam, et Jus Canonicum, ~~docentes~~ Humaniora quoque docent. Hanc Universitatem modò administrant Presbyteri sæculares Jesuitis absentibus.

Adsunt duo Nosocomia pro Civibus unum, quod an. 1717. igne consumtum fuit, et brevi post magnificè reædificatum; alterum Regium pro militibus, quo vix æquè magnificum totâ Franciâ reperitur à Ludovico XIV. è fundamentis erectum. Item binæ domus pro orphanis, una Catholicorum altera Lutheranorum. item ergastulum pro profligatæ vitæ utriusque sexûs personis.

Argentinæ 3200. circiter Ædes numerantur, quarum multæ magnificæ sunt et venustæ, ut et varia palatia, inter quæ eminet Episcopale à Cardinali de Rohan p.m. constructum Regiæ cuidam haud multùm absimile. Adsunt etiam 4300. familiæ et 28000. Incolæ, quorum pars media Catholicis ritibus utitur.

Episcopus Argentinensis est S. R. J. Princeps, atque propter dominia, quæ cis Rhenum in Imperio possidet, votum et Sessionem habet in Comitiis Imperii.

8º Mauri-Monasterium |: Maur= Münster seu Maurs= Münster, Marmoutier vel Maurmoutier:| Urbs exigua distans à Tabernis una leuca versùs Meridiem, Montibus et collibus cincta. Muri ejus 18. vel 20. pedes alti sunt, fossæ ejus multis in locis oppletæ.

Nomen et ortum debet celebri Ordinis S. Benedicti Monasterio, quod illius tertiam partem occupat. A S. Firmiano circà an. 725. fundatum dicitur. Ludovicus Pius illud S. Benedicto ab Aniana* tradidit habitandum, hicque secum multos ex suis Discipulis huc adduxit; Celsus, qui an. 828. huic Monasterio præfuit unus ex illis fuisse creditur. Sub ipso Monasterium istud conflagravit; sed opem ferente Metensi Episcopo brevi restauratum est, hic Episcopus eidem Celso corpora SS. Cælestis et Auctoris donavit, quæ in ipsius Monasterii Ecclesia reposita fuêre. Initio Monasterium seu Abbatia ista et Urbs Leutwartzel nuncupatæ fuerunt, at

* Aniana |: Aniane:| rivus est in Languedocia Inferiore, prope quem idem S. Benedictus Monasterium construxit ejusdem nominis.

cùm posteà Monasterium nomen unius ex Abbatibus suis, qui Maurus dicebatur, assumsisset, tùm et Urbs ipsa Monasterii nomine vocata fuit. q

9°. Tabernæ Alsaticæ seu Alsatiæ |: Zabron seu Elsass=Zabron, Saverne:| Urbs vetustissima, et antehac celeberrima et munitissima, sita in confiniis Lotharingiæ ad pedem ~~montis~~ Vogesi Saltûs 4 milliaribus germanicis ab Argentorato ad Caurum, uno ad Euronotum à Chalseburgo, et medio milliari ad Aquilonem à Mauri=Monasterio.

Illius nominis hæc origo esse dicitur: cùm sub Imperatore Augusto Drusus cum ingenti exercitu adversus Germanos movisset, illum ad Rheni ripam hyemare fecit, præcipua illius hybernorum loca hisce nominibus insignita fuêre, Tabernæ montis |: Brogzabron:| in Ducatu Bipontino; Tabernæ Rheni |: Rhinzabron:| in Palatinatu Inferiori; et denique Tabernæ Alsatiæ |: Elsassbzabron:| de qua Urbe hic nobis sermo.

Quando autem ædificata fuerit, pro certo affirmari non potest, profectò jam diu ante Christi adventum Romanorum propugnaculum fuit adversùs quotidianas fermè Germanorum incursiones; ab his sæpiùs excisa, et ab illis restaurata, nempè 50. circiter ante æram Christianam annis à Julio Cæsare, et denique ejus æræ an. 366. à Juliano Apostata.

Anno 1525. Dux Lotharingiæ aliquot millia rebellantium Rusticorum propè hanc Urbem trium horarum spatio internecione delevit. an. 1552. Henricus II. Franciæ Rex Protestantibus Germaniæ adversùs Imperatorem Carolum V. suppetias allaturus, cùm hic aliquot diebus substitisset, viam, qua venerat, denuò relegit. an. 1574. 4. Jan. Galli egregium Comitem Embsiensem |: Von Emb:| Chiliarcham Cæsareum unà cum legione pedestri, quam in Brabantiam ducebat, cæciderunt. an. 1622. Comes Mansfeldius Friderici Electoris Palatini tum Bohemiæ Regis* Bellidux eam obsedit, nec tamen obtinere valuit. an. 1634. Lotharingi pactis conditionibus ea potiti sunt, quam postmodùm Gallis cedere debuerunt. an. 1635. 16. novemb. Cæsarei illam obtinuerunt; an. 1636. 5. Julii à Bernardo Duce Veimariensi occupata fuit; et in pace Westphalica Episcopo restituta. an. 1674. Galli sub Marescallo Turinensi |: Le Maréchal de Turene:| eam sibi asseruerunt ejecto Episcopi præsidio. an. 1675. Cæsarei 12. Septemb. advenientes explosis in eam tormentis bellicis injectisque pyrobolis et igniariis bolis tertia die recesserunt. an. 1676. ad Urbis hujus

q Verùm ex Diplomate Theoderici Francorum Regis edito Kalend. Maji. an. 724. Indict. III. et in quo omnia bona à Childeberto Francorum Rege Clodovæi I. filio huic Monasterio tradita confirmantur, eidem longè antiquior ætas tribui debere videtur. Ibi enim a Beato Leobardo constructum fuisse dicitur. Fuit autem Leobardus S. Benedicti Abbatis Cassinensis et Ordinis Benedictini fundatoris Discipulus, qui hinc ex Italia veniens Cœnobium hoc construxit circa an. Chr. 583. Inter ipsius Successores emicuit Maurus S. Pirminii Discipulus, à cujus nomine Monasterium hoc deinceps appellatum est. Is confirmationis diploma à Rege Theoderico impetravit.

* Fridericus iste oblatam à Bohemiæ Hussitis hujus Regni coronam nonnisi unius hyemis spatio tenuit, post quam non modò Bohemia sed et toto Electoratu suo exactus fuit à Cæsareis et Hispanis, atque in Belgio Foederato exilium habuit,

moenia grave prælium initum fuit Cæsareos inter et Gallos. tandem Moguntiæ vitam posuit an. 1632.
an. 1744. 1. Augusti à præsidio Gallico derelictam occupaverunt Austriaci sub Carolo Lotharingiæ Principe.

In hac Urbe ordinariè residet Episcopus Argentinensis in qua superbum habet palatium. In ea præter Ecclesiam parochialem, quæ simul est Collegiata, adsunt Monasteria FF: Minorum S. Francisci Recollectorum, et Monialium Congregationis B. V. Mariæ. &c.

Celebris est callis seu semita ipsius Urbis nomine insignita |: Dir Zabron: Strig:| quod prope illam sumat initium, et qua per montem patet in Lotharingiam via. Adeò angusta est, ut vel armatorum cuneus integrum exercitum ab illius transitu arcere valeat. Semita hæc à Wilhelmo III. Episcopo Argentinensi an. 1541. confecta est.

10º Hagenoa, Haganoa, seu Haganoja |: Hagnaū, Haguenau:| Urbs olim Imperialis et Sedes Præfecti Alsatiæ, sita ad Motteram |: dir Mottro:| fluvium, qui illam in binas dividit partes, propè magnam sylvam ad duo Milliaria germanica porrectam, quæ et ipsius nomen refert, 5. leucis ad Septentrionem ab Argentina, 6. ad occidentem à Badena, et totidem ad Africum à Vissenburgo.

Olim nonnisi pagus fuit, quem circa an. 1164. Imperator Fridericus Ænobardus Civitatem fecit, atque in ea palatium Imperiale construxit, in quo ornamenta Imperatoria, ut Corona, Sceptrum, Globus Imperii, et Ensis Caroli M. asservarentur; illámque magnis privilegiis donavit, quæ subinde à suis Successoribus aucta fuêre, ipsaque libera Imperii Civitas facta est. In illa Archiduces Austriæ sæpiùs resedêre, quòd loco ad venationem opportuno sita foret, undè et magnificis ac sumtuosis ædificiis ab ipsis ornata fuit.

An. 1673. Ludovicus XIV. Franciæ Rex illam occupavit. an. 1675. Cæsarei eam incenderunt ac munitionibus nudârunt. an. 1702. Cæsareis, an. 1703. Gallis et an. 1704. denuò Cæsareis cessit; anno 1706. autem iterum Gallorum facta est. An. 1744. Hîc exercitus Austriacus sub Carolo Principe Lotharingico castra metatus est, cui Magistratus Urbis claves tradidit.

Fata adversa et calamitates, quæ repetitis vicibus perpessa est, omni suo veteri splendore eam exuerunt. Catholicam Religionem semper retinuit; 350. circiter ædes, et 2600. incolas continet. Adsunt in ea, præter Ecclesiam Parochialem, in qua modò sunt Canonici Surburgo huc ante aliquot annos translati, item Monasteria Præmonstratensium, Eremitarum S. Augustini, &c. necnon Jesuitarum Collegium, &c.

11º Arx Ludovicia, seu Fortalitium Ludovici, vel Ludovicianum |: Le Fort-Louis :| Urbs exigua et munitissima an. 1686. à Ludovico XIV. recens excitata in Rheni Insula octo leucis ab Argentorato ad Euro-Aquilone-Mesem, quinque ad Orientem ab Hagenoa, et Septem à Vissenburgo ad meridiem. vicos habet rectos ejusdemque Symmetriæ domos, necnon 800. circiter variarum nationum Incolas continet. Magni momenti esse videtur, ut quæ, in illa plaga, ubi posita est, transitum Rheni facilè præbeat aut impediat. In pace Ryswicensi an. 1697. conclusa Regi franciæ relicta fuit. an. 1744. Carolus à Lotharingia illam circumclusit, dumque illius obsidionem meditabatur, ab Exercitu Borusso, qui in Bohemiam irruperat, illò vocatus est.

12º Latatiburgum, Lutraburgum, seu Lutræ Castrum |: Lauterburg seu Lutterburg :| Urbs et castrum ad Lutram fluvium |: dir Lauter :| media leuca à Rheno, ubi Lutram recipit. 2. milliaribus germanicis à Tabernis Rhenanis seu Rheni, 6. à Spira, et 8. ab Argentina.

Vallum, quod ejus nomen refert, in historia notum est. an. 1705. illud, quod Cæsarei erexerant, adhuc stetit. an. 1709. Galli illud perfecerunt et ad 7. milliaria protenderunt. In ultimo Austriacæ Successionis bello an. 1744. 3. Julii urbs hæc pactis conditionibus Valdeciano |: Waldeck :| Principi se dedidit, postquam Bellidux Nadasti vallum oppugnasset.

13º Vissenburgum, Weissenburgum, album Castrum, Weissenburgum Rhenanum seu Sebusiorum, et Alba Sebusiana |: Wrissenburg Cron-Wrissenburg, Wrissenburgam Ehrenstrohm, item Wrissemburg, Vissenbourg :| Urbs satis ampla, olim una ex decem Imperialibus Alsatiæ Civitatibus et Caput ejusdem secum nominis Præfecturæ. Sita est ad Lutram |: Lauter :| fluvium, qui omnes illius plateas perfluit, in Vasgovia et confiniis Palatinatûs Inferioris. 4. leucis à Landavia, 9. à Philippopoli, utrique ad Africum, et 13. ad Euro-Aquilone-Mesem ab Argentina, Veterum Sebusiorum Sedes, quorum nomine etiam dicta fuit.

Certum est eam antiquam esse necnon jam Sæculo VII. cognitam fuisse, tum enim ibidem Dagobertus Magnus an. 624. Monasterium Benedictinum fundavit, in quo ejus filia Irmine sepulta fuit, illudque opulenter dotavit, tradita ei inter alia prædia et Urbes etiam ipsamet Civitate Vissenburgo: illi quoque artificiosè elaboratam argenteam et inauratam coronam dono dedit, cujus ambitus 24. pedum erat; dicunt quidam argenteam non fuisse sed ex ignoto metallo confectam; fertur etiam quòd postmodum similis ex cupro fabrefacta fuerit et in Ecclesiâ sus-

pensa, quæ ibidem adhuc visitur.

Hujus Monasterii Abbas Imperii Principibus à Carolo IV. Imperatore annumeratus fuit, necnon Imperialis throni seu Cathedræ Abbas declaratus.

An. 1262. Urbem hanc Abbas Fridericus moenibus cinxit, ipsius Successor Edelinus ei fossam circumdedit, necon aliquot propugnaculis illam instruxit. Cùm posteà Incolæ eximia ab Imperatoribus obtinuissent privilegia Abbatum dominio se subtraxêre, eorumque Urbs Sæculo XV. decem Hagenoensis Præfecturæ liberis Imperii Urbibus annumerata est, nequicquam obnitentibus et longo tempore reclamantibus Monasterii Abbatibus.

Sub id tempus depravatos mores Monachi induere coeperunt 20000. florenorum ære alieno pressi, omnia fermè Monasterii sui prædia et reditus aut oppignorarunt, aut vendiderunt, tum accersiti duo ejusdem Ordinis Abbates qui eos ad frugem revocarent, pristinamque regularem observantiam apud ipsos restituerent, id illi detrectantes se subduxerunt, tùm alii meliores Monachi ipsorum loco substituti, at cives iis exturbatis priores denuò receperunt, &c. Tandem an. 1526. Rudiger Ultimus hujus Monasterii Abbas unà cum Monachis suis annuente Clemente Papa VII. ad Statum Sæcularem transivit, atque Abbatialem dignitatem in Præposituræ titulum et Monasterium in Capitulum mutavit: eo fatis functo Florentius à Flersheim Episcopus Spirensis hanc Præposituram obtinuit, atque annuentibus Paulo Papa III. et Carolo V. Imperatore mensæ suæ Episcopali in perpetum adjunxit.

In variorum bellorum tumultibus Urbs hæc varias calamitates passa est; an. 1469. à Comite Palatino Friderico obsessa fuit. an. 1525. fervescentibus rusticorum tumultibus ab Imperii Fiscali in jus vocata fuit, necnon Electori Palatino in eam executio demandata est, quiillam ad frugem reduxit. In 30. annorum bello multum quoque afflicta fuit: eo finito an. 1673. Galli illam occupaverunt ac miseranter devastaverunt, cives captivi abducti, ac nonnisi magno lytri pretio redempti, moenia ejus et propugnacula solo æquata; posteà illam denuò munierunt, ut an. 1677. iterum expilare possent, tum etiam Prætorium, Molæ, Pharmacopolia, Pistorum, Cauponum, et mercatorum ædes combustæ. Demùm an. 1680. ab ipsis denuò occupata fuit, atque Franciæ adjecta. In pace Ryswicensi dein Ludovico XIV. relicta.

In Successionis Hispanicæ bello an. 1702. foederati illam occupaverunt, et munitionibus auxerunt. Cùm anno 1744. Princeps Carolus à Lotharingia Rhenum transgressus bellum in Alsatiam traduxisset, hanc Urbem 5. Julii deditione accepit, at brevi post Galli eam assultu obtinuerunt, monque deseruerunt, tùm Magistratus Principis Caroli denuò implorata protectione ab eo præsidium obtinuit. At sub idem tempus facta à Rege Borussiæ in Bohemiam irruptione Austriaci non modò Urbem hanc sed et totam Alsatiam deseruêre Regno Bohemiæ suppetias allaturi.

Præter Ecclesiam parochialem, quæ simul Collegiata est et ex cujus Chori fornice pendet Corona illa, quam supra memoravimus, adest Ecclesia, quæ S. Petri dicitur, item Conventus Augustinianorum. Circa eam multæ sunt Sylvæ; solum habet variis frugum speciebus fertile, vinumque profert satis elegans, præsertim autem castaneas, quæ in varias regiones transferuntur, et undè multi cives et Inoppidati compendium faciunt. q

q in ea præcipuè vigent Religiones Catholica et Lutherana. Adsunt etiam Calvinistæ et Hebræi q seu Quiech

14.º Landavia, Landavium, seu Landavum |: Landau seu Landau :| Urbs antiqua et munitissima, olim Imperialis, sita in amoena et fertili regione ad Quissum |: Queiss :| fluvium 3. leucis et dimidia à Neapoli Nemetum seu Neostadio ad Meridiem, 5. ad Occidentem à Philippopoli, et totidem ad Africum à Spira, et 15. ad Euro-Aquilone-Mesem ab Argentina. Quamvis propriè in Alsatia sita non sit sed in Palatinatu Inferiori, tamen eidem adjuncta est, quòd Hagenoensi Præfecturæ incorporata sit.

Ab Attila Hunnorum Rege devastata fuisse dicitur, et posteà circà an. 750. ab Allemanico Duce Landfredo |: Landfried :| quem Pipinus devicit, restaurata et ampliata. Ab isto Landfredo illam nomen suum habere quidam autumant; at alii censent nomen hoc inde ei inditum fuisse, quòd à densis et nemorosis Vasgoviæ |: Wasgau :| montibus in amoenam, jucundam et amplam planitiem, germanicè Aur, in qua collocata est, fiat descensus, enimverò plana hac regio solum habet adeo fertile, ut ante præteriti sæculi 30. annorum bellum duorum milliarium Germanicorum spatio circum Landaviam 350. oppida et Pagi numerati fuerint.

Ante 700. et quod excurrit, annos sub Ducum Gramoniæ Dominio eam fuisse ajunt, ac tandem immediatam et liberam Imperii Urbem evasisse. Ei Rudolphus I. Imperator easdem prærogativas et immunita-

tes an. 1291. tribuit, quibus Hagenoa fruebatur. In bello Fridericum Austriacum inter et Ludovicum Bavarum de Imperii Corona inter sese certantes Friderici partes tenuit, undè Ludovicus Imperium Friderico devicto et capto adeptus eam primò Civitati Spirensi deinde illius Episcopo pro 5500. obolorum libris oppignoravit; at an. 1511. eam Imperator Maximilianus I. redemit atque Alsatiæ Præfecturæ adjunxit, necnon ab omni erga hunc Episcopum obligatione liberam declaravit. quod an. 1521. ab Imperatore Carolo V. confirmatum est.

In bello, quod sæculo præterito Germaniam afflixit, Landavia multa adversa et calamitates est experta. An. 1639. eam possedêre Veimarenses, quos brevi post expulerunt Cæsarei. An. 1680. decreto Regii Alsatiæ Senatûs seu Parlamenti Franciæ Coronæ adjecta fuit; eam posteà Ludovicus XIV. novis iisque validissimis munitionibus auxit, adeò ut an. 1702. diutinam obsidionem adversùs Josephum Romanorum Regem sustinuerit. an. 1703. Galli iterum eam obtinuerunt, et an. 1704. post prælium Hochstetense Cæsarei, penes quos remansit usque ad an. 1713. quo exercitus Gallicus sub Supremo Castrorum Præfecto seu Marescallo de Villars illam expugnavit, ac ab eo tempore penes Franciæ Coronam remansit.

Landaviæ plerique Cives Lutheranismum sectantur. In ea 700. ædes numerantur 900. familiæ et circiter 4000. Incolæ, quorum plerique Mercatores sunt et Caupones. Quatuor habet Ecclesias. In Parochiali Catholici et Lutherani simultaneum servant. Augustiniani hic habent Monasterium. Calvinistis, qui in hac Urbe sunt, publicum suæ Religionis exercitium non permittitur.

Sectio V.

De Artesia.

Artesia, seu Artesiæ, vel etiam Atrebatensis Comitatus (: L'Artois :) Germaniæ Inferioris Regio, et olim una ex septemdecim Belgii provinciis. Limites ejus sunt ad Septentrionem Flandria, ad Orientem Hannoniæ pars et Cambresium seu Ager Cameracensis, ad Meridiem et Occidentem Picardia. Inter pulcherrimas et optimas Franciæ provincias recensetur; ac olim duodecim Urbes, viginti octo Abbatias, et octingentos quadraginta quatuor Pagos numerabat. Ejus

longitudo est 25. leucarum ab Audomaropoli |: St. Omer :| usque ad Scaldim |: L'Escaut :| fluvium, et latitudo 13. circiter, scilicet ab Hesdinio |: Hesdin :| usque ad Bassorum Oppidum |: La Bassée.

Illius Imolæ sinceritate, probitate, et fidelitate cæteros populos facilè superant, laboriosi sunt et in adimplendis muneribus suis solliciti, necnon Religioni Catholicæ addictissimi, ad sua privilegia et consuetudines vigilantissimi, adeo, ut qualibet novitas, etsi nullius etiamnum momenti, apud eos motus cieat.

Artesia longo tempore pars fuit Flandriæ Occidentalis. Carolus Calvus Imperator an. 863. illam ab ea avulsit, ut filiæ suæ Judithæ, quæ Balduino Flandriæ Comiti, cui Ferreus cognomen, nupsit, in dotem traderet. an. 1180. iterum coronæ adjuncta fuit per Isabellam Balduini V. filiam, quam Philippus Augustus duxit in uxorem. an. 1236. Ludovicus IX. cognomento Sanctus eam fratri suo Roberto cessit, atque in ipsius gratiam Comitatum fecit; tùm successione materna ad Duces Burgundiæ pervenit usque ad Carolum Audacem, quo an. 1477. propè Nancejum interfecto Ludovicus XI. hanc provinciam sibi asseruit nequicquam obnitente Maria unica Caroli filia et herede: at an. 1493. in pace Sylvanectensi |: Senlis :| Carolus VIII. Franciæ Rex illam Imperatori Maximiliano I. hujus Mariæ marito iterùm restituit, atque penes domum Austriacam remansit, donec Ludovicus XIII. an. 1640. Atrebatum occupavit, ac an. 1659. vi pacis pyrenææ potior illius pars à Philippo IV. Rege Hispaniæ Ludovico XIV. cessa fuit, qui deinde in pace Noviomagensi an. 1679. conclusâ integram obtinuit.

Provincia hæc nomen sortita est ab Atrebatibus Belgii populis, qui ætate Julii Cæsaris celebres fuerunt; postmodum nomen hoc Atrebates in Adertes seu Adrates mutatum fuit, regióque Pagus Adertisus nuncupata; et ab his nominibus facta est vox latina Artesia, et gallica Artois, item Arras totius provinciæ Metropolis.

Artesia Status habet, qui singulis annis agunt Comitia in quibus omnia provinciæ negotia discutiuntur ac definiuntur. Commercium illius consistit in frumento, linteo, lupulo, lana, oleo, et pannis, qui Bethuniæ, Aëriæ, Bapalmæ, in Fano S. Venantii, et aliis locis conficiuntur. Occurrit

1.º Atrebatum, Atrebates |: Arras, Dietrichst :| vetus Atrebatium populorum Civitas. ampla est, munitissima et opulentum Emporium, necnon totius Artesiæ Caput sita ad Scarpam |: Scarpe :| 5. leucis ad Euronotum à Duaco, 9. ad Caurum à Cameraco, et 14. ad Euro-Aquilone-me-

sem ab Ambiano, cum Castello fortissimo, Sedésque Episcopi Metropolitæ Cameracensis Suffraganei. Ptolomæus illam Origiacum vocat, verùm nomen hoc jam diu antiquatum est, ut quod post hujus Geographi ætatem nullibi amplius inveniatur. Quidam arbitrantur Atrebatum esse Nemetocennam, cujus in Cæsaris Commentaris fit mentio, seu Nemetacum, quod in Itinerario Antonini et in tabula Peutingeri legitur, verùm id sufficienti fundamento non probant, nudè quo loco Nemetocenna, seu Nemetacum Urbs sita fuerit ignoratur, neque etiam in Antonini Itinerario hæc Civitas aliter quam Atrebates nuncupatur. Plinius Atrebatium meminit quin eorum Metropolim memoret; at S. Hieronymus Ep. ad ad Agerucium Atrebatem inter præcipuas Galliæ Urbes, quæ sua ætate à Barbaris devastatæ fuerunt, recenset, et lib. 2. adversus Jovinianum celebria hujus Urbis textilium opificia celebrat.

Franci sub Clodio Rege suo Atrebatium regionem occupaverunt, et quamvis in ea à Romanis devicti fuerint, quod Sidonius Apollinaris memorat, tamen in ea sedem fixerunt, omnemque regionem ~~quæ~~ versùs Orientem ad Somonam |: La Somme :| fluvium sitam tenuerunt. Certè Clodovæus itidem Francorum Rex hanc Urbem possedit, et post ipsum ejus Successores.

Atrebatum in binas dividitur Civitates forti muro ab invicem distinctas, quarum una satis vetus et angustior Civitas |: la Cité :| altera nova et amplior Urbs |: la ville :| nuncupantur. Veteri seu Civitati absoluto imperio non sub Flandriæ et Artesiæ Comitibus, sed sub Franciæ Regibus duntaxat dominati sunt Episcopi usque ad Carolum V. Imperatorem, qui Artesiæ Principatum adeptus eos sibi fecit subditos.

Equidem ignotum est, quis Christianam Religionem Atrebati primùm invexerit, id duntaxat compertum, ibidem nempè Ethnicismum serò satis penitùs desiisse. S. Vedastus |: St. Waast :| unus ex Christianis Clodovæi Magni Magistris ab Antistite Remensi S. Remigio circà an. 486. Atrebati Episcopus constitutus, Incolas nondum plenè ad fidem conversos Christianam edocuit Religionem, vitaque functus extra Urbem sepultus est eo loco, ubi Theodoricus Rex sub finem sæculi VII. celebre ordinis S. Benedicti Monasterium excitavit, quod hujus sancti viri nomen refert. brevi post circà illud permultæ ædes ædificatæ fuerunt, ex quibus tandem Urbs, quæ nova dicitur facta, atque moenibus cincta fuit. Locus iste olim Nobilia-

cum vocabatur.

Ecclesia Cathedralis optimè constructa est. In ea vetus quædam cista est, in qua, ut dicitur, lana asservatur, quæ juxtà antiquam traditionem auctoritate S. Hieronymi firmatam, ~~[illegible]~~ cum magna Sterilitas Artesiam affligeret, una cum copiosa pluvia è cœlo delapsa est, necnon terram adeo pinguem et fœcundam efecit, ut exemplo Mannæ, qua Deus populum suum in deserto pavit, eodem nomine nuncupata fuerit; in hujus miraculi memoriam singulis annis Dominica secunda post Pascha hîc solemnis gratiarum actio celebratur.

Bina sunt in ea fora publica, majus amplitudo et magnificæ domus, quæ illud ambiunt, inter quas est etiam palatium Gubernatoris, spectabile faciunt; minus verò Prætorium et opulentiorum Mercatorum ædes commendant, centrum illius occupat Capella Sanctæ Candelæ |: La Chapelle de la Ste. Chandelle :| hanc candelam à B. V. Maria huc allatam fuisse ajunt, ut Incolæ ab vehementi viscerum ardore, qui illos consumebat, liberarentur.

Ecclesia S. Vedasti speciosissima est, illiusque Monasterium apprimè commendat celebris et vasta Bibliotheca. Insuper Atrebati undecim numerantur Ecclesiæ Parochiales, Seminarium, et Jesuitarum Collegium, in quo Scholas tenent, multáque alia utriusque sexûs Monasteria. Hîc quoque annis 1490. 1570. et 1588. speciales habiti sunt Ecclesiasticorum Conventus.

Carolo Audaco Burgundiæ Duce 5. Jan. an. 1447. propè Nancejum occiso Ludovicus XI. Franciæ Rex Atrebatum occupavit; an. 1493. ad Maximilianum Imperatorem rediit; at an. 1640. hanc urbem Galli obsederunt, ac post devictum Cardinalem Infantem, qui illam ab obsidione liberaturus vencerat, obtinuerunt; an. 1654 frustrà ab Hispanis obsessa fuit; tam in pace pyrenæa Franciæ relicta ~~fuit~~ est. q

2°. Audomaropolis, Fanum S. Audomari seu Ottomari et Otmari |: St. Omer seu St. Omar :| Civitas munitissima cum Castello: posita est ad Aam |: Aa :| rivum, qui ibidem magnam paludem efformat, qua munitiones ejus admodùm augentur, tribus leucis ad Caurum ab Aëria, sex ad Austrum à Bergis S. Vinoci |: Vinox Berg :| octo itidem ad Austrum à Dunikerca, et totidem ad Euronotum à Calesio. Sedes Episcopalis an. 1556. à Paulo Papa IV. erecta et Metropolitanæ

q Atrebatum patria fuit Francisci Roberti Damiani |: Damien :| qui 5. Jan. 1757. Ludovico XV. Franciæ Regis mortem intentans cultro ventri illius infixo vulnus inflixit.

Cameracensi Subjecta.

Audomaropolis olim non erat nisi pagus Sithiu dictus, ubi S. Audomarus Tarvannæ Episcopus et Morinorum Apostolus circa an. 648. q construxit, cui primùm Mommolinum præfecit Abbatem, huic an. 659. ad Episcopatum Noviomensem (: Noyon:) assumto Successit S. Bertinus, cumque pagus iste populorum multitudine, quos Monachorum probitas et vitæ Sanctitas huc adduxerat, magna sumsisset incrementa, tùm muris cinctus Civitas factus est, atque post obitum S. Audomari, qui ibidem sepultus fuit, et quem Incolæ in patronum elegerunt, mutato veteri nomine, ab eo Audomaropolis seu Fanum S. Audomari nuncupata est. Monasterium quoque, quòd à S. Bertino demò è fundamentis excitatum fuisset, deinceps etiam illius nomen assumsit, atque Monasterium S. Bertini dictum est.

q Monasterium

Ecclesia Cathedralis S. Audomarum patronum habet et magnifica est, à S. Bertino ædificata perhibetur sub nomine B. V. Mariæ. Præter celebre S. Bertini Monasterium, Capucini, FF. Minores S. Francisci Recollecti, Prædicatores, Carmelitæ Discalceati, suos hîc habent Conventus, ut et variorum Ordinum Moniales: adsunt etiam Nosocomia, unum commune pro pauperibus, bina pro pupillis utriusque sexûs, item aliud pro duodecim pauperibus senibus in memoriam et honorem duodecim Christi Discipulorum et Apostolorum.

Ei contiguum est venustum Suburbium Pons altus (: Haut Pont:) nuncupatum, 300. ædes in eo numerantur, quas variæ Belgii familiæ, quæ jam pridem hîc resedêre, habitant.

An. 1677. 11. Aprilis Dux Aurelianensis Ludovici XIV. frater Urbem hanc, postquam Hispanicum exercitum sub Principe Auriaco fudisset, obtinuit, quæ in pace Noviomagensi an. 1679. conclusâ Franciæ relicta fuit.

Haud procul ab Audomaropoli visuntur celebres Insulæ super aquam seu lacum fluctuantes, quæ non secus ac naves hinc inde agi possunt; pascuis divites ad laci ripam Incolæ trahunt, ut pecora sua in eas immittant, tum eas, quò placet, inflectunt.

3º Tarvanna, Tarvenna, Tarvennæ, Tervana, Tervanna, Teravana (: Terouane, Terouenne, Teroanne, Terovene, Tervane:) Urbs antiquissima, olim Morinorum populorum Caput, undè etiam in quibusdam Notitiis provinciarum et urbium Galliæ Civitas Morinorum vocatur. Sita est ad Lizam (: Lys seu Lisse:) fluvium, duabus

formè Lewis ab Audomaropoli ad Euronotum, et mâ ad Caurum ab Aëria |: Aire :| Olim Sedes Episcopalis, portquam Silisret S. Remigius Remensis Antistes baptizato Clodoveo Francorum Rege S. Authemundum illuc misit, quò illius Insulis et finitimis populis Christum annuntiaret; nec tamen regio haec plenè fidem Christianam amplexa est, nisi primùm sub Seto Audomaro, de quo numero praecedenti agimus.

Urbs haec etsi in Flandriae et Artesiae Comitum ditione collocata, minimè tamen ab ipsis pendebat, nec alium Principem nisi Regem Franciae unquam agnovit, unde et ejus illius districtus Regalia |: La Regale :| appellatus est; ac quamvis aliquoties ab hostibus capta fuerit, tamen corona Franciae semper restituta fuit. an. 1513. Henricus VIII. Angliae Rex tum Maximiliani I. Imperatoris adversus Franciam foederatus illam expugnavit, moenibusque denudavit. Carolus V. Imperator in tractatu Madritensi sibi eam cedi postulavit, nec impetravit; at an. 1553. indignatus, quòd Metarum obsidionem solvere coactus fuisset, illam oppugnavit atque penitus solo aequavit, adeò ut modò etiam nonnisi illius ruina et domus aliquot supersint. Episcopus Bononiam, ubi antecessores sui perpetuò residerant, unde et modò Bononienses modò Tarvannenses Episcopi dicti fuêre, secessit. Demùm an. 1559. Paulus Papa IV. nequicquam obsistente Bononiensi Episcopo, hinc Sedem Episcopalem Audomaropolim transtulit. Eodem an. 1559. in Tractatu Cameracensis Castri |: Chateau en Cambresis :| Tarvannense territorium Franciae relictum fuit, et demùm in pace pyrenaea an. 1659. ea tamen conditione, ut Tarvanna nequaquam restauraretur.

Extrà Tarvannam visitur Abbatia S. Augustini ad ripam Lizae posita; haec pariter una cum Urbe à Carolo V. devastata fuit, at postmodum restaurata.

4ª Aëria |: Aire Arien :| Urbs munitissima cum Castello ad Lizam, 9. leucis ad Austrum à Dunikerca, 3. ad Euronotum ab Audomaropoli, 11. ad aquilonem ab Atrebato, et totidem ad Eurum à Bononia. Mediocriter ampla est sed informis, Liza et Deula |: Deule :| quae ibidem conjunguntur illam in tres multùm inaequales partes dividunt. Tria fora publica habet; vici ejus nec pulchri sunt nec fordi, at inelegantes admodùm permulti. Jam Saeculo XI. Stetit, jamque tum momentosa fuit.

An. 1641. Galli eam oppugnarunt, et brevi post Hispani recuperavêre. An. 1676. demùm quinta ab aperto castrensi vallo die Gallis cessit, ipsisque in pace Noviomagensi relicta fuit. Demum an. 1710. 10. Novembris post 6. hebdomadum obsidionem pactis conditionibus Foederatis Caesareis se dedidit, at an. 1713. in pace Ultrajectensi Franciae reddita fuit.

Præter Collegiatam S. Petri Ecclesiam à veteribus Flandriæ Comitibus an. 1064. et 1186. fundatam et auctam occurrunt hic varia Monachorum et Monialium Monasteria, ut et Jesuitarum Collegium. Aëriæ 4829. circiter animæ numerantur.

5º. Fanum Sti. Venantii |: St. Venant :| Urbs posita ad Lizam in confiniis Flandriæ 2. leucis ad Eurum ab Aëria, 11. ad Euronotum à Dunikerca, et 9. ad Caurum ab Atrebato. præcipuam illius munitionem seu defensionem constituunt inundationes, quas ibidem duo rivi Robecus |: Robeck :| et Garbecus |: Garbeck :| efficiunt. Hic unica est Ecclesia, cujus S. Venantius est patronus. Floruit Sanctus hic vir circa an. 762. ætate Pipini Franciæ Regis; primùm in ipsius exercitu militavit, postea se totum Deo daturus in Sylvam haud procul ab Aëria concessit in solitudine piam acturus vitam; ibi à Sicario, qui ingentem pecuniarum vim apud ipsum inventurum se sperabat, occisus est. Miracula, quæ Deus ad illius sepulchrum operatus est, illuc populos multos attraxerunt, atque hujus Urbis, quæ ipsius nomine insignita est, ædificandæ fuerunt occasio.

Urbs hæc ante hac optimis munimentis instructa fuit. an. 1657. Galli eam oppugnarunt, quibus et duobus post annis in pace pyrenæa relicta fuit. an. 1710. 29. octob. Foederati Cæsarei eam obtinuerunt, at an. 1713. in pace Ultrajectensi Franciæ restituta fuit.

6º. Bethunia |: Bethune :| Urbs exigua sed bene munita cum Castello suprà rupem posito, ad ripam Biettæ |: Biette :| rivi 3. leucis ad Euronotum ab Aëria, 8. itidem ad Euronotum ab Audomaropoli, et 6. ad Caurum ab Atrebato posita. ædes habet inelegantes, vicos malè stratos, publicum tamen ejus forum, quod quadratum exhibet, amplissimum est pulcherrimúmque.

In ea multæ numerantur Ecclesiæ; ante illarum unam hujus Urbis Matronæ ~~[illegible]~~ montis Calvariæ typum erigi curârunt, quò passionis Servatoris nostri Jesu Christi memoriam semper præ oculis haberent mentis et corporis.

Anno 1645. Galli Urbem hanc expugnârunt, eisque in pace pyrenæa relicta est. an. 1710. Foederatis Cæsareis cessit, at an. 1712. Galli eam recuperârunt, atque servarunt.

Jam ab an. 1188. Specialis est hic Charitatis Confraternitas à S. Eligio Flandriæ Apostolo Charitas Eligiana Bethuniensis dicta, cujus alumni egenos et præsertim ex peste aut alio morbo contagioso defunctos efferunt in sepulchrum. omninò contendunt Incolæ nullum horum sandapilariorum.

ex hoc charitatis Christianæ officio morbo aliquo correptum fuisse. 2500. hîc numerantur animæ.

7º Bapalma seu Balma |: Bapaume :| Urbs munitissima cum castro loco arido et aqua destituto sita, 5. leucis ad Euronotum ab Atrebato, 6. ad Africum à Cameraco, 4. ad Aquilonem à Perona. Duæ duntaxat sunt illius portæ sibi è diametro oppositæ. In ea omnia recto ordine disposita, plateæ satis bene stratæ, duo sunt fora publica unum sub castro, alterum in medio urbis, et quatuor aut quinque Ecclesiæ.

Bapalma initio nonnisi Oppidum fuit cum Castello, in quod an. 1090. quidam latronum turmæ Dux et Caput Beranger nomine se receperat, è quo ægrè exturbari potuit. Ab eo tempore Castrum hoc semper Flandriæ simul et Artesiæ Comitum fuit. Eudes Burgundiæ Dux et Comes Artesiæ illud una cum Oppido an. 1335. muris cinxit, atque sic Urbem fecit. Ubi Artesia ad Austriacos Principes devoluta fuit, tum Carolus V. Imperator Urbem hanc munivit, ut quæ momentosa esse videretur, quòd è regione Peronæ Picardiæ propugnaculi posita foret. an. 1641. Galli sub Ludovico XIII. illam occupaverunt, quæ ipsis an. 1659. in pace pyrenæa relicta fuit.

8º Hesdinium, Hedena, et Hisdinium |: Hesdin seu Hedin :| Urbs sita ad ripam Cantii seu Quentiæ |: Canche :| fluvii, in confiniis Picardiæ, 10. leucis ad Africum ab Audomaropoli, 12. ad Euro-Aquilone-mesem ab Atrebato.

Urbs hæc confundi haud debet cum veteri Hesdinio quod an. 1553. ab exercitu Caroli V. Imperatoris sub Philiberto Sabaudiæ Duce occupatum et penitus devastatum fuit. Igitur Hesdinium Urbs, de qua hîc nobis sermo, una leuca à veteri distat, necnon ab eodem Philiberto loco illius noviter excitata fuit, atque munitionibus instructa. An. 1639. Ludovicus XIII. Franciæ Rex eam occupavit, et an. 1659. in pace pyrenæa Ludovico XIV. relicta fuit.

9º Rentica |: Renti :| Urbs exigua seu Oppidum positum ad ripam rivi Aæ |: Aa :| in confiniis Picardiæ 5. leucis ad Africum ab Aëria, 4. itidem ad Africum ab Audomaropoli, et 12. ad Caurum ab Atrebato. cum titulo Marchionatûs a Carolo V. an. 1533. erecti.

Oppidum istud nomen dedit cuidam veteri familiæ, cujus ultimorum Baronum unus in odore sanctitatis vitam posuit. Hîc an. 1554. Hispani à Gallis fusi fuêre. 292. in eo numerantur Incolæ.

Index
Rerum omnium hoc Libro contentarum.

A.

Abbatisvilla, Abbaville | Abbeville | urbs. c.6.§.3.70.i.

Abealardus Monachus. c.7.§.7.83. in Not.

Abrincæ | Avranches | urbs. c.5.§.5.63.3.

Acqs urbs. c.12.tit.2.§.7.165.3.

Acutus | L'Agout | fluvius. c.11.§.4.131.3.

Ado Monachus Sanctus IX. Scriptor. c.9.§.7.§.1. in Not.

Adour fluvius. Vid. Aturus.

Aëria | Aire | urbs. c.13.Sect.5.191.4.

Agatha, Agathopolis | Agde | urbs. c.11.tit.1.§.3.135.1.

Agathensis Tractus | Le Vicomté vel Diocese d'Agde | c.11.tit.2.§.3.135.

Agen, urbs. Vid. Aginnum.

Agenna | L'Agenne | fluvius. c.11.§.4.131.

Aginensis Tractus | L'Agenois | c.12.tit.1.§.7.152.

Aginnum, Aginnum Argen | urbs. ibid.

Agostius, Agustius flumen. Vid. Acutus.

Aigans, Deans | Aigue | flumen. c.10.§.8.124.

Aire urbs. Vid. Artesium.

Aix, urbs. c.10.§.1.110.1.

Albamala, Albamarca | Aumale | urbs. c.5.§.3.62.4.

Albetta | Aubette | fluvius. c.5.§.1.60.1.

Albiga, Albia | Albi, Alby | urbs. c.11.§.5.137.1.

Albigenses hæretici. c.11.127.

Albigensis Tractus | L'Albigeois | c.11.§.5.132.

Albis | L'Elbe, die Elbe | flumius. Prooem.2.3.

Albret, urbs. Vid. Lebretum.

Alenconianse Territorium | Le Païs d'Alençon | c.5.§.6.64.

Alenconium | Alençon | urbs. c.5.§.6.64.1.

Alenconius | Alençon | flumen. c.2.§.8.36.1.

Alesia, Alexium | Alais | urbs. c.11.tit.3.§.2.142.2.

Alesiensis, Alexiensis Pagus seu Tractus | L'Auxois, Auxois | Aulxois | c.8.§.5.9.

Alexander V. Papa, P. c.10.§.1.110.1.

Alexandria, urbs. Prooem.2.3. in Not.

Alsia, Alsiensis, Alsiensis Tractus | L'Aulnois, Le Païs d'Aunis | c.2.§.13.41.

Alsuna, Olsuna | Solre, Dolre | fluvius. c.13.Sect.4.§.1.188.1.

Alsatia | L'Alsace, Elsaß | c.13.Sect.4.187.

Alsatia Superior | La Haute Alsace Ober Elsaß | c.13.Sect.4.§.2.189.

Alsatia Inferior | La Basse Alsace, Nider Elsaß | c.13.Sect.4.§.3.190.

Altissiorensis Ager | L'Auxerois | c.8.§.6.91.

Altissiodorum | Auxerre | urbs. c.8.§.6.91.

Altkirchium, Vetus Ecclesia | Altkirc, Altkirch | urbs. c.13.Sect.4.§.1.188.5.

Alvernia, Arvernia | Auvergne | c.3.§.2.43.

Amabilis | Amable | fluvius. c.2.§.11.39.2.

Amatissa | Amasse | fluvius. c.2.§.4.32.2.

Ambacia, Ambasia, Castrum Ambacianum | Amboise | urbs. c.2.§.4.32.2.

Ambianensis Ager | L'Amienois | c.6.§.5.72.

Ambianum | Amiens | urbs. c.6.§.5.72.1.

Ambron. Vid. Ebrodunum.

Amicium urbs. Vid. Portus.

Ammianus Marcellinus celebris sæculi V. Historiographus. c.5.§.5.63.1.

Amontium | Amont | seu Grajensis Præfectura | La Prevoté de Gray | c.13.Sect.2.§.1.178.

Andegavia, seu Tractus Andegaviensis | Anjou | c.2.§.10.38.

Andegavum, Andegavi, Andecavis | Anger | urbs. c.2.§.10.38.1.

Andalla | Andelle | fluvius. c.5.59.

Andlavia | Andlau, Andlach | urbs. c.13.Sect.4.§.3.190.2.

Angoulesme urbs. Vid. Engolisma.

L'Angumois. Vid. Engolismensis provincia.

Anta | Ante | fluvius. c.5.59.

Antipolis | Antibe, Antibes | urbs. c.10.§.9.118.2.

Aortensis, seu Ortensis Tractus, vel Vicecomitatus | Le Vicomté d'Aort, seu Ort | c.12.tit.2.§.7.165.4.

Apamia. Vid. Bamia.

Appendix. De regionibus à Francia Regibus Gallo partis. 172. Vid. c.13.

Aprimonasterium | Abbé Münster | celebre Monasterium unacum urbe seu Oppido. c.13.Sect.4.§.3.190.1.

Apta | Apt | urbs. c.10.§.13.122.

Aptensis Diœcesis | Le Diocese d'Apt | ibid.

Aquæ Sextiæ, Civitas Aquensis | Aix | urbs. c.10.§.1.110.1.

Aquæ Tabellicæ, Aquensis civitas, Aquarum Oppidum | Acqs, Dax, Dacqs | urbs. c.12.tit.2.§.7.165.3.

Aquense Territorium, seu Diœcesis Aquensis. | La Viguerie d'Aix | c.10.§.1.118.

Aquitania, seu Guienna | L'Aquitaine, seu La Guienne | provinia. c.12.144.

Araris, seu Sorcona | La Saone | fluvius. c.8.§.9.94.

Arausio | Orange | urbs. c.10.§.15.124.

Arausionensis Principatus | La Principauté d'Orange | ibid.

Arbona | Arbois | urbs. c.13.Sect.2.§.4.181.2.

Arcus | Les Arcs | Oppidum. c.10.§.8.117.2.

Arcus | Arc | fluvius. c.10.109. et §.5.114.3.

Ardrenum, Arda | Ardres | urbs. c.6.§.1.68.3.

Arduenna | Ardenne | Sylva. c.7.§.8.84.3.

Arena urbs. Vid. Hieronymus.

Arelatense Territorium seu Diœcesis | Le Diocese d'Arles | c.10.§.5.114.

Arelatum, Arelate | Arles | urbs. c.10.§.5.114.1.

Argentens | Argens | fluvius. c.10.109.

Argentina, Argentoratum, Strasburgum | Strasbourg, Strasburg | urbs. c.13.Sect.3.§.3.190.1.

Argentorum, Argentomagum | Argentan | Argenten | urbs. c.5.§.5.64.3.

Ariega fluvius. c.11.§.4.131.

Armanicus Ager, Armeniacensis, seu Armeniacensis Ager seu Tractus | L'Armagnac | c.12.tit.2.§.3.158.

Armorica provincia. Vid. Britannia minor.

Arrosius | Arroux | fluvius. c.8.§.7.92.

Arteria | L'Artois | c.13. t.5.191.

Arturum | Aire | urbs. c.12. tit.2. §.6. 164.1.

Arverna urbs. Vid. Claromontum.

Astarensis Comitatus | Le Comté d'Astarac, seu Estarac | c.12. tit.2. §.3. 161.

Ator | Aude | fluvius. c.11. 127.

Athenaeus Sauli II. Scriptor. c.10. §.6. 115. in Not.

Atrebatum, Atrebatae | Arras, Artoist | urbs. c.13. Sect.5. 191.1.

Aturus | Adour | fluvius. c.12. tit.2. §.6. 164.

Avallensis Praefectura | Le Bailliage d'Aval | c.13. Sect.2. §.4. 181.

Avara | Aure | fluvius c.5. 59.

Audomaropolis | Saint Omer | urbs. c.13. Sect.5. 191.2.

Avenio | Avignon | urbs. c.10. §.14. 123.1.

Averonius | L'Aveiron, L'Aveiron | fluvius. c.12. tit.1. §.6. 151.

Augustodunensis Regio | L'Autonois | c.8. §.2. 87.

Augustodunum | Autun | urbs. c.8. §.2. 87.

Avienus Festus Orata Latinus. c.13. Sect.1. 173.

Aura | Aure | fluvius. c.5. §.7. 69.2.

Avranches urbs. Vid. Abrincae.

Aurelia, Aurelianum | Orleans | urbs. c.2. §.1. 28.

Aurelianensis provincia | L'Orleanois | ibid.

Auri | Auch, Auch | urbs. c.12. tit.2. §.3, 157.1.

Ausonius p. Sauli IV. Orata. c.2. §.12. 40.1. in Not.

Autura | Eure | fluvius. c.2. §.7. 35.1.

B.

Bajocae | Bajoux | urbs. c.5. §.7. 69.2.

Bajocense Territorium. Vid. Cadomense Territorium.

Bajona | Bajone | urbs. c.12. tit.2. §.8. 167.1.

Baltium, Baucum: Les Baux | Oppidum. c.10. §.6. 114.4.

Bapalma, Balma | Bapaume | urbs. c.13. Sect.5. 191.7.

Barinona, Barkinona, Barilona | Barcellone, Barelonette | urbs. c.10. §.17. 126.

Barensis Ducatus | Le Duché de Bar, seu le Barrois | c.13. Sect.3. §.2. 185.

Baronatus, seu Baronatuum Tractus | Les Baronies | c.9. §.6. 104.

Barroduum | Bar-le Duc | urbs. c.13. Sect.3. §.2. 185.1.

Bartia, seu Ducatus Bituricensis | Le Berry | c.2. §.3. 31.

Basques | Le Païs des | Vid. Vasconia.

Bassiniacus Ager | Le Bassigni | c.7. §.6. 82.

Les Baux urbs. Vid. Baltium.

Le Bazadois. Vid. Vasatensis Ager.

Bazas urbs. Vid. Vasates.

Beamia | Beam | provincia. c.12. tit.2. §.9. 170.

Beatus Rhenanus Seculo XVI. Scriptor celebris. c.13. Sect.4. 187. in Not.

Beaucaire urbs. c.11. tit.2. §.6. 138.2.

Beaune provincia. c.2. §.7. 35.

Beaujon urbs. c.3. §.4. 45.2.

Beaujolois provincia. c.3. §.4. 45.

Beaumont le Roger urbs. c.5. §.2. 61.2.

Beauvais urbs. c.1. §.7. 24.

Le Beauvaisi provincia. c.1. §.7. 24.

Beccense Monasterium | Bec | c.5. §.2. 61.2.

Befortium | Befort | urbs. c.13. Sect.4. §.1. 188.2.

Bergeracum | Bergerac | urbs. c.12. tit.1. §.3. 148.3.

Belle Isle. Vid. Calonasus.

Bellica, Bellicum | Belley seu Bellay | urbs. c.8. §.11. 96.

Bellicardensis Montis Comitatus seu Principatus | La Principauté de Montbeliard | c.13. Sect.2. §.5. 182.

Bellojoviensis Ager | Le Beaujolois | c.3. §.4. 45.

Bellojovium, Bellicum | Beaujeu | urbs. c.3. §.4. 45.2.

Bellomontium Rogerii | Beaumont le Roger | urbs. c.5. §.2. 61.2.

Belloquadra | Beaucaire | urbs. c.5. §.2. 61.2.

Bellovacensis Ager | Le Beauvaisi | c.1. §.7. 24.

Bellovacum | Beauvais | urbs. c.1. §.7. 24.

Belsia | Beauce | c.2. §.7. 35.

Benfeldia | Benfeldt | urbs. c.13. Sect.4. §.3. 190.4.

Berengarius Arabiae comes Andegavensis. Ejus haeresis. c.2. §.4. 32.1. item §.10. 38.1.

Bera | Berri | urbs. c.10. §.5. 114.3.

Berry Ducatus. Vid. Bartia.

Saint Bertrand de Comminges, urbs. Vid. Convena.

Besançon urbs. Vid. Vesuntio.

Le Bestin | Cadomense, seu Bajocense territorium | c.5. §.7. 69.

Bethunia | Bethune | urbs. c.13. Sect.5. 191.6.

Bougesia | Le Bugei | Bugey | c.8. §.11. 96.

Bigorrensis Ager seu Comitatus | La Bigorre | c.12. tit.2. §.10. 171.

Biorensis Dioecesis | La Diocese de St. Brieu, Brieuc, Brieux | c.4. §.8. 93.

Bitarra, Betarra | Beziers | urbs. c.11. tit.2. §.2. 134.

Bitarrensis Tractus, seu Vice Comitatus | Le Vicomté de Beziers | c.11. tit.2. §.2. 134.

Bituricensis Ducatus | Le Berry | Vid. Bartia.

Bituris, Bituriga, Biturica, Bituriges | Bourges | urbs. c.2. §.3. 31.

Bivata Portus. Vid. Brestia.

Blamontium | Blamont | urbs. c.13. Sect.2. §.5. 182.2.

Blavetum, Blavia | Blavet | urbs. c.4. §.9. 57.2.

Blavetus | Blavet | flumen. ibid.

Blavia, Blavium | Blaye, Blaje | urbs. c.12. tit.1. §.1. 146.2.

Blesa | Blois | urbs. c.2. §.5. 33.1.

Blesensis Ager | Le Blaisois | c.2. §.5. 33.

Blois, urbs. Vid. Blesa.

Le Bois de Vicennes. Vid. Vicenna.

Bolonia, Bononia | Boulogne, Bologne | urbs. c.6. §.2. 69.

Bolonienſis Ager seu Comitatus | Le Boulenois, vel Boulonois | c.6. §.2. 69.

Bonavallis | Bonneval | urbs. c.2. §.7. 32.2.

Bononiensis Comitatus. Vid. Bolonienſis Ager.

Bonvallius | Comes | Le Comte de Bonneval | c.2. §.7. 35.2.

Borbonensis Tractus, seu provincia | Le Bourbonnois | c.3. §.3. 44.

Bosnet | Jacobus Benignus | c.8. §.1. 85.1.

Botzberg. Vid. Vocetus.

Boulogne urbs. Vid. Bolonia.

Le Boulonois. Vid. Bolonienſis Ager.

Bourbon, urbs. Vid. Burbo Erkambaldi.

Le Bourbonois | Borbonensis Tractus. c.13. §.3. 44.

Le Bourdelois. Vid. Jovenna in Specie.

Bourg-Sur-Mer, urbs. Vid. Burgueta.

Bourges, urbs. Vid. Bituris.

La Bourbonne fluvius. c.12. tit.1. §.2. 147.

Brecia | Bresle | fluvius. c.5. 59.

Brestia | La Brosse | c.9. §.9. 94.

Brestia | Brest | urbs et maris portus. c.4. §.7. 55.2.

Bria Campana | La Bria | c.7. §.8. 84.

Bria Francica | La Brie Françoise | c.i. §.2. 19.

Briatius | Philippus | Jesuita celebris Historiographus. c.5. §.9. 63.i. in Not. ***.

Brigantiensis Tractus | Le Briançonnois | c.9. §.2. 100.

Brigantium | Brion-con | urbs. c.9. §.2. 100.

Briocense Oppidum | St. Brieu | c.4. §.5. 53.

Brisacum norum | le neuf Brisac | urbs. c.3. Sect. 4. §.2. 189.4.

Britannia minor, seu Armorica | La Bretagne | c.4. 48.

Brivates, urbs. Vid. Brestia.

Le Bugey. Vid. Bugesia.

Burbo Erchenbaldi, seu Archembaldi. | Bourbon l'Archambaud | urbs. c.3. §.3. 44.2.

Burdegala | Bourdeaux | urbs. c.12. tit.1. §.1. 146.i.

Burgundia, seu Ducatus Burgundiae | La Bourgogne, ou le Duché de Bourgogne | c.8. 85.

Burgundia, Comitatus | La Franche Comté, ou le Comté de Bourgogne. c.13. Sect.2. 177.

Burgus Bressica | Bourg en Bresse | urbs. c.8. §.9. 94.

Burgus-in-Mari | urbs. c.12. tit.1. §.1. 146.3.

Buxium | Buis | urbs. c.9. §.6. 104.

C.

Cabellio | Cavaillon | urbs. c.10. §.14. 123.§.

Cabilo, Cabilonum | Chalon | urbs. c.8. §.3. 88.i.

Cabillonensis Ager | Le Chalonois | c.8. §.3. 88.

Cadomense seu Bajocense Territorium | Le Bessin | c.5. §.7. 65.

Cadomum, Cadomus | Caën | urbs. c.5. §.7. 65.i.

Cadurcensis Tractus, vel Cadurcinus Pagus | Le Querci, Quercy | c.12. tit.1. §.5. 150.

Caduri | Cahors | urbs. c.12. tit.1. §.5. 150.i.

Caën. Vid. Cadomum urbs.

Caesarea | Jersey, Jersey | Insula. c.5. §.8. 66.3.

Cahors, urbs. Vid. Caduri.

Caletense Territorium | Le Païs de Caux | c.5. §.3. 62.

Caletum | Calais | urbs. c.6. §.1. 68.i.

Calonenus | Belle Isle | Insula. c.4. §.10. 58.3.

Calseja | Chausey | Insulae. c.5. §.8. 66.5.

Camborium | Chambort | Palatium Regium. c.12. §.9. 33.

Camisarde, Camisards. c.11. tit.3. 141. in Not.

Campania | La Champagne | c.7. 76.

Campania propria. | La Champagne propre | Ou la vraye Champagne | c.7. §.1. 77.

Canigus | Canigou | Mons. c.13. Sect.1. 175.

Cap de Sette. Vid. Setina.

Capitularia Caroli Magni. c.8. §.10. 95. in Not.

Caput 13. Vid. Appendix.

Carantonus | La Charante | fluvius. Broem. ii.

Carcassor | Carcassonne | urbs. c.11. §.3. 130.

Carcassonensis Comitatus seu Pagus | Le Carcassonois, le Carcassois | c.11. §.3. 130.

Carente | Carentone | fluvius. c.5. 59.

Carentonus | La Charante | c.12. §.12. 40. item c.12. tit.1. §.2. 147.

Carnutensis Ager, seu Beltia | Beauce | c.12. §.7. 35.

Carnutum | Chartres | urbs. c.12. §.7. 35. i.

Caroburgus | Cherbourg | urbs. c.5. §.9. 63.2.

Carolesium, seu Pagus Quadrigadensis | Charolois | c.8. §.7. 92.

Carolia, Carolia | Charolles | urbs. ibid.

Carlopolis | Charleville | urbs. c.7. §.4. 80.3.

Carpentoracte | Carpentras | urbs. c.10. §.4. 123.3.

Carthusia Magna | La grande Chartreuse | c.9. §.1. 99.2.

Carus | Cher | flumen. c.12. §.4. 32.i.

Castellana | Castellane | urbs. c.10. §.3. 112.2.

Castellio ad Lupiam | Chatillon sur Loing | urbs. c.1. §.4. 21.3.

Castellio ad Sequanam | Chatillon sur Seine | urbs. c.8. §.4. 89.

Castellum Arianorum | Castelnaudary | urbs. c.11. §.4. 131.i.

Castra | Castres | urbs. c.11. §.5. 132.2.

Castrum Theodorici | Chateau Thiery | urbs. c.7. §.8. 84.3.

Catalaunum | Chaalons, Chalons sur Marne | urbs. c.7. §.1. 77.2.

Cavaillon, urbs. Vid. Cabellio.

Caux, le Païs de Caux. Vid. Caletense Territorium.

Cebennicus Tractus | Les Cevennes | c.11. tit.3. 140.

Celtae populi Broem. 2.

Celtica. Broem. i.

Cemmenicus seu Cebennicus Tractus | Les Cevenner, Les Sevennes | c.11. tit. 3. 140.

Cenomania, Cenomanensis Ager | Le Maine | c.2. §.9. 37.i.

Cenomanum | Mans | urbs. c.2. §.9. 37.i.

Cerdania, Ceretania Gallica | La Cerdagne, La Cerdaigne Françoise | c.13. Sect.1. §.3. 176.

Chalon, urbs. Vid. Cabillo.

Le Chalonois. Vid. Cabillonensis Ager.

Chalons, urbs. Vid. Catalaunum.

Chalossia, seu Vasconia propria | La Chalosse, la Gascogne propre | c.12. tit.2. §.6. 164.

Chambort. Vid. Camborium.

La Champagne. Vid. Campania.

La Charante fluvius. Vid. Carantonus, Carentonus.

Charleville, urbs. Vid. Carlopolis.

Charolles, urbs. Vid. Carolia.

Charolois Pagus. Vid. Carolesium.

Chartres, urbs. Vid. Carnutum.

Chartreuse | La grande | Vid. Carthusia Magna.

Chateau Thiery. Vid. Castrum Theodorici.

Chatillon sur Loing. Vid. Castellio ad Lupiam.

Chatillon sur Seine. Vid. Castellio ad Sequanam.

Chausey Insula. Vid. Calseja.

Cher, fluvius. Vid. Carus.

Cherbourg, urbs. Vid. Caroburgus.

Cistertium | Cisteaux | celebre Monasterium. c.8. §.1. 86.3.

Clairvaux. Vid. Clerovia.

Claromontum, seu Arverna Civitas | Clairmont, Clermont | urbs. c.3. §.2. 43.i.

Sancti Claudii, seu Sancti Eugenii Fanum | Saint Claude, Saint Oyen, Saint Oyant | urbs, at Monasterium c.13. Sect.2. §.4. 181.6.

Sancti Claudii Mons | Le Mont Saint Claude | Broem. 12.

Clerovia | Clervaux | Clairvaux | urbs. c.13. Sect.2. §.5. 182.4.

Sancti Clodoaldi Fanum | St. Clou | c.1. §.1. 18.§.

Cluniacum | Cluny

bini, Cluny / urbs et monasterium. c. 8. §. 8. 3. 2.

Colmaria / Colmar / urbs. c. 13. Sect. 4. §. 2. 189. 5.

Comminges. Vid. Convenarum Tractus.

Compendium / Compiegne / urbs. c. 1. §. 8. 25. 3.

Condomensis Tractus seu Ager / Le Condomois / c. 12. tit. 2. §. 4. 162.

Condomus / Condom / urbs. c. 12. tit. 2. §. 4. 162.

Confluentinum Territorium / La Viguerie de Conflans seu Conflent / c. 13. Sect. 1. §. 2. 175.

Conserannensis Ager / Conserans / c. 12. tit. 2. 154.

Constantia / Constance, Contanus / urbs. c. 5. §. 5. 63. 1.

Constantiense Territorium / Le Constantin, Le Contantin / c. 5. §. 5. 63.

Contiacum, Contium / Conti, Couty / Oppidum. c. 8. §. 5. 72. 3.

Convena, seu Fanum Sancti Bertrandi Convenarum / S. Bertrand de Comminges / urbs. c. 12. tit. 2. §. 2. 155. 1.

Convenensis Tractus / Comminges / c. 12. tit. 2. §. 2. 155.

Corbolium, seu Joredum / Corbeil / urbs. c. 1. §. 3. 20. 2.

Corentinopolis, Cornubia, Corisopitum / Quimper, Quimper Corentin / urbs. c. 4. §. 8. 56.

Cornubiensis seu Corisopitanis Diœcesis / Le Diocese de Quimper / c. 4. §. 8. 56.

Cornubia urbs. Vid. Corentinopolis.

Cortiniacum / Courtenay / urbs. c. 1. §. 4. 21. 2.

Cosio, Cosium urbs. Vid. Vasates.

Courtenay, urbs. Vid. Cortiniacum.

Coussion amnis. Vid. Cussianus.

Crociacum, Crociacum / Crevi, Crecy / urbs. c. 6. §. 3. 70. 3.

Crepiacum, Crespi, Crepy / urbs. c. 1. §. 8. 25. 1.

Cussianus / Coussion / amnis. c. 2. §. 5. 38. 2.

D.

Damius / Dain / fluvius. Broem. 12.

Dacqs, Dax, urbs. Vid. Aquæ Tarbellicæ.

Dolphinatus / le Dauphiné / c. 9. 98.

Demosthenes, Historicus. c. 11. tit. 2. §. 3. 135. 1. in Not.

Deppa, Dieppa / Dieppe / urbs cum portu maris. c. 8. §. 3. 62. 1.

S. Desiderii Castrum seu Fanum / St. Dizier / urbs. Vid. Dominicopolis.

Dia, Dea Vocontiorum Dia / urbs. c. 9. §. 9. 107.

Diensis Tractus seu Pagus / Le Diois / c. 9. §. 9. 107.

Dieppa / Dieppe / Vid. Deppa.

Digna / Digne / urbs. c. 10. §. 4. 113.

Dignense seu Dinense Territorium seu Diœcesis / Le Diocese de Digne / c. 10. §. 4. 113.

Diodorus Siculus Historicus. c. 11. tit. 2. §. 2. 137. 1. in Not.

Dionysiopolis seu Fanum S. Dionysii / St. Denis / urbs. et Monasterium. c. 1. §. 1. 18. 3.

Divio ramperata / Le Païs ravaugois / c. 6. §. 1. 68.

Diva, Deva / Dive / fluvius. c. 5. 59.

Divio / Dijon / urbs. c. 8. §. 1. 86. 1.

Divionensis Tractus / Le Dijonnois / c. 8. §. 1. 86.

St. Dizier, Dizier. Vid. Dominicopolis.

Dola / Dol / urbs. c. 4. §. 4. 52.

Dolensis Diœcesis / Le diocese de Dol / c. 4. §. 4. 52.

Dolder fluvius. Vid. Alnma.

Dolum, Dola Sequanorum / Dole / urbs c. 13. Sect. 2. §. 3. 130.

Dolensis Præfectura / la Prevôté de Dole / ibid.

Dombensis Pagus / Dombes / c. 8. §. 10. 95.

Dominicopolis, S. Desiderii Fanum / St. Dizier / urbs. c. 7. §. 5. 81. 1.

Dordone Fluvius. Vid. Duranius.

Dordonia / Dordogne / fluvius. c. 12. tit. 1. §. 3. 148.

Don fluvius. Vid. Dubis

Draguinianum, Dracona, Dracanum / Draguignan / urbs. c. 10. §. 8. 117. 2.

Druentia, Durantia / Durance / fluvius. c. 10. 109.

Druides Galliarum Sacerdotes et Doctores / Les Druides / c. 8. §. 2. 87. in Not.

Druna / Drome / fluvius. c. 5. 59.

Dubis / le Doubs / fluvius. Broem. 11.

Dubrinensis seu Vindocinensis Ager / Le Vendomois / c. 2. §. 6. 34.

Durantius / Dordone / fluvius. Broem. 11.

E.

Elusa urbs. Vid. Elusa.

Ebroica, Ebroicum, Ebrocium / Evreux / urbs. c. 5. §. 2. 61. 1.

Ebricense Territorium / Le Païs d'Evreux. c. 5. §. 2. 61.

Ebrodunensis Ager seu Tractus / L'Embrunois / c. 9. §. 3. 101.

Ebrodunum / Embrun, Ambrun / urbs. ibid.

Ebura / Eure / fluvius. c. 5. 59.

Eginhardus, Einhartus Seculi IX. Scriptor. c. 4. §. 9. 57. 1.

Elaver / Allier / fluvius. c. 11. 127.

Elbe fluvius. Vid. Albis.

Elna, Helena, urbs, / Elne / c. 13. Sect. 1. §. 1. 174. 2.

Elsass. Vid. Alsatia.

Elsass-Zabern. Vid. Taberna Alsatica.

Elusa, Elusatium / Eause, Euse / urbs. c. 12. tit. 2. §. 3. 157. 2.

Embrun, Ambrun, urbs. Vid. Ebrodunum.

L'Embrunois. Vid. Ebrodunensis Ager.

Engolisma / Angoulême / urbs. c. 2. §. 12. 40. 1.

Engolismensis provincia / L'Angoumois / urbs. c. 2. §. 12. 40.

Enkeinum, Obernaya / Ehrenheim, Ober-Ehnheim / urbs. c. 13. Sect. 4. §. 2. 190. 5.

Ensikeimum / Ensisheim / urbs. c. 13. Sect. 4. §. 2. 189. 1.

Epta / Epte / fluvius. c. 1. §. 6. 23.

L'Evrant. Vid. Sralbis.

Epinal urbs. Vid. Spinalium.

Estarac. Vid. Astarac. is Comitatus.

St. Estienne de Tirens, urbs. Vid. Turnum.

Eure fluvius. Vid. Ebura.

Evreux, urbs. Vid. Ebroica.

Le Païs d'Evreux. Vid. Ebricense Territorium.

Euse urbs. Vid. Elusa.

Eusebius Pamphili c. 11. tit. 2. §. 6. 134. 1. in Not.

F.

Fanum S. Bertrandi Convenæ.

Fanum S. Briocii. Vid. Briocense Oppidum.

Fanum S. Claudii. S. Claudii Fanum.

Fanum S. Desiderii Vid. S. Desiderii Castrum.

Fanum S. Germani seu S. Germanus in Lede Sylva unum Palatiis Regiis / St. Germain en Laye c. 1. §. 5. 22.

Fanum trium Mariarum, Oppidum / Les trois Maries / c. 10. §. 9. 114. 6.

Fanum S. Pauli ad tria castra, Fanum S. Pauli Tricastini / St. Paul Tricastin, St. Paul trois Chateaux / urbs c. 9. §. 10. 108.

Ferreta, Ffiat, Ferrete / urbs. c. 13. Sect. 4. §. 1. 188.

Feurs urbs. Vid. Forum Segusianorum.

Filexia / La Flèche / urbs. c. 2. §. 10. 38. 3.

Floboardus Abbas c. 7. §. 8. 84. 3. in Not.

Floriopolis, Florus, Fanum S. Flori / Saint Flour / urbs. c. 3. §. 2. 43. 2.

Foederati Catholici Vid. Ligistes.

Foix urbs. Vid. Fuxeum.

Le Comté de Foix. Vid. Fuxensis Comitatus.

Fons Blaudi seu Blaudi, vel Bleaudi / Fontainebleau / Oppidum c. 1. §. 3. 20. 3.

Fontes / Fontaines / ...ius. c.8. §.1. 86.2.

Forensis provincia / le Forez / c.3. §.5. 46.

Foro-Juliensis Diœcesis / Le Diocese de Frejus / c.10. §.3. 117.

Forum Calcarium Foncalier / urbs. c.10. .12. 121.2.

Forum Julii / Frejus / urbs. c.10. §.8. 117.1.

Forum Segusiano...um / Feurs / urbs. c.3. §. 46.2.

Frainet Castrum. Vid. Fraxinetum.

Franci populi. Brocm. 3. 8

Francia à Francis ...dicta. Broem. 3. Vid. Gallia.

Francopolis Ruthenensis / Ville Franche Rouergue, c.12. tit.1. 6. 151.3.

Fraxinetum / Frainet / Castrum. c.10. 109. ...Not.

Fredegarius antiquus ...riptor Gallicus. c.12. ...t.2. §.8. 169. in Not.

Frejus, Frejuls, urbs. Vid. Forum Julii.

Le Diocese de Frejus. / Vid. Foro-Juliensis Diocesis.

Frontinianum Frontinian / urbs. c.11. ...t.2. §.5. 137.2.

Furanum, seu Franum S. Stephani / St Etienne de Furens / urbs. ...3. §.5.46.1.

Furensis Comitatus Le Comté de Foix / c.11. 2. 129.

Furum, Furium Foix / urbs. c.11. §.2. 129.1.

G.

Gabalensis Ager seu ...rovincia / Le Gevaudan / ...ii. tit.3. §.1. 141.

Gabarus Sozionis / Gave de Suzon / fluvius. ...12. tit.2. §.8. 169.

Gallia unde dicta sit Francia p. Broem. 3. ...seq.

Gallia Transalpina. Broem. 4. et 16.

Galli, unde sic dicti. ...orum mores et religio p. Broem. 2. 14. 15.

Gap. urbs. Vid. Vapincum.

Garnoseja / Garnesey / Insula. c.5. §.8. 66.2.

Garumna / La Garonne / fluvius. Broem. ii. et c.ii. 127.

Garunda / Gironde / fluvius. c.12. tit.1. §.1. 146.1. in Not.

La Gascogne / Vasconia / c.12. tit.2. 153.

La Gascogne propre. Vid. Chalosia.

Gassendus / Petrus / celebris Philosophus. c.10. §.4. 113.

Gave de Suzon, fluvius. Vid. Gabarus Sozionis.

Gauvensis Comitatus / Le Païs de Gauve / c.12. tit.2. §.3. 159.

Gebena, Gebennici Montes / Les Montagnes de Sevennes / Broem. 12.

Geliza / Gelise / fluvius. c.12. tit.2. §.4. 162.

Genève / Le Lac de / Vid. Lemanus Lacus.

S. Germani Fanum, seu S. Germanus in Letia Sylva. urbs. c.1. §.2. 22.

Gesia, Gessia, Gajum / Gex / urbs. c.8. §.12. 97.

Gessia, Gesia / La Seigneurie de Gex / ibid.

Gironde fluvius. Vid. Garunda.

Gironde / Girunna / fluvius. Broem. ii.

Gisna / Guines / urbs. vid. Guina.

Grisortium / Gisors / urbs. c.5. §.4. 63.

Glanatica / Glandeves / urbs. c.10. §.11. 120.

Glanaticensis, seu Glanatevensis Diœcesis / Le Diocese de Glandeves / c.10. §.11. 120.

Goltzius / Hubertus / celebris Antiquarius. c.9. §.7. 105.1. in Not.

Grajensis Præfectura / La Prevôté de Gray / Vid. Amontium.

Le Graisivaudan. Vid. Gratianopolitanus Ager.

Grajum, Grosum, Gradium / Gray / Greÿ / urbs. c.13. Sect.2. §.1. 178.1.

Grandimontensis Ordo Monasticus / L'Ordre de Grandmont / c.3. §.6. 47. 2.

Grandis Mons, Grandimontium / Grand Mont, Grammont / urbs. c.3. §.6. 47.2.

Grassa, Grimmicum / Grasse / urbs. c.10. §.9. 118.1.

Grassensis Diœceris / Le Diocese de Grasse / c.10. §.9. 118.

Gratianopolis / Grenoble / urbs. c.9. §.1. 99.1.

Gratianopolitanus Tractus seu Pagus / Le Graisivaudan / c.9. §.1. 99.

Grenoble, urbs. Vid. Gratianopolis.

Greÿ, urbs. Vid. Grajum.

Grimmicum urbs. Vid. Grassa.

Gueretum / Gueret / urbs. c.3. §.6. 47.1.

Guienna / La Guienne / c.12. 144.

Guienna propriè dicta / La Guienne propre / c.12. tit.1. 148.

Guienna in Specie, seu Burdigalensis Tractus / La Guienne particulier, seu Le Bourdelois / c.12. tit.1. §.1. 146.

Guina, Guinea, Gisnea / Guines / urbs. c.6. §.1. 68.2.

Guisia / Guise / urbs. c.8. §.8. 78.1.

H

Hagenoa / Hagenau / Hagenaw / urbs. c.13. Sect.4. 190.10.

Harburgum / Harburg / Oppidum. Vid. Horburgum.

Havre de Grace / Portus Gratiæ / urbs et portus maris. c.5. §.3. 62.2.

Herbipolis, Wirtzburgum / Wirtzburg / urbs. Broem. 3. in Not.

Herdinum / Herdin / urbs. c.13. Sect.5. 191.8.

Hieres / Hieres / Insula. c.10. §.7. 116.3.

Hiernum, Olbia, Arel / Hieres, Hyeres / urbs. c.1 §.7. 116.2.

Horatius / Q. Flaccus / Poëta Latinus. c.9. §.7. 105.1. in Not.

Horburgum, Harburgum / Horburg / Harburg / Oppidum. c.13. Sect.2. §.5. 182.5.

La Hougue, La Hogue / Vid. Oga.

Huetius / Daniel / vir eruditissimus. c.5. §.7. 65.1.

Hugenoti / Huguenots / unde sic dicti. Broem. 15. in Not.

Huina / L'Huisne / fluvius. c.2. §.9. 37.

Humbertus à Burgundia. c.9. §.1. 99.2.

Huminga / Hüningen, Huningue / urbs. c.13. Sect. 4. §.1. 188.5.

Hurepolium / L'Hurepoix / Tractus. c.1. §.3. 20.

I.

Icauna / Yonne / fluvius. c.7. §.7. 83.

Idacius Lamecæ / Lamego / Chronographus. c.13. Sect.3. §.3. 186.1. in Not.

St Jean de Luze. Vid. Luisium.

Iluro, Eluro, Olero, ...o. / Oleron / urbs. c.12. tit.2. §.9. 170.3.

Insula / L'Isle / fluvius. c.12. tit.1. §.3. 148.

Insula Francia / L'Isle de France / provincia. c.1. 17.

Insulæ ad Normanniæ littora collocatæ quarum plerasque Angli possident. c.5. §.8. 66.

Septem Insulæ / Les Sept Isles / c.4. §.10. 58.1.

Joanna de Arca / Jeanne d'Arc / Puella Aurelianensis / La

Insula d'Orleans | c.i. §.i. 18.3. in Not. item c.5. §.i. 60.i.

S. Joannes Angeriacus | St. Jean d'Angeri | urbs. c.12. tit.i. §.2. 147.3.

S. Joannes de pede portûs | St. Jean pied de port | urbs. c.12. tit.2. §.8. 168.

Joanvilla, Jovila | Joinville | urbs. c.7. §.5. 81.2.

Jodelus | Stephanus | celebris sæculi XVI. fo. ëta et Orator. c.10. §.5. 114.2. in Not.

Jovius Mons | Montjoux | Broocm. 12.

Isara | Oise | fluvius. c.6. §.8. 75.i.

L'Isle fluvius c.12. tit. i. §.3. 148.

L'Isle de Francia. Vid. Insula Francia.

Les Isles sur les cotes de Normandie, dont la plus part appartien aux Anglois. c.5. §.8. 66.

Les Sept Isles. c.4. §.10. 58.i.

Ito, Itona | L'Iton | fluvius. c.8. 59.

Ivetotum, Yvetotum | Ivetot, Yvetot | Oppidum. c.5. §.3. 62.3.

Jenna | La Jaune | fluvius. c.8. §.3. 62.3.

Juratus Mons | Le Mont Jura. Broocm. 12.

L.

Labrit, urbs. Vid. Lebretum.

Le Labour. Vid. Lapurdensis Tractus.

Lacrymæ Vindonienses | Les Larmes de Vendome | c.2. §.6. 34.

Lactora | Leitoure, Letoure | urbs. c.12. tit. 2. §.3. 188.

Lagny, urbs. Vid. Latiniacum.

Lamego. Vid. Jamecus Lamecæ.

Landaria, Landarium, Landavum | Landau, Landaw, Landaw | urbs. c.13. Sect.4. §.3. 190. 14.

Landæ Burdigalenses, seu Tractus Landarum | Les Landes de Bourdeaux, vel du Bourdelois | c.12. tit.2. §.7. 165.

Langres, urbs. Vid. Lingones.

Laon, urbs. Vid. Laudunum.

Le Laonnois. Vid. Laudunensis Tractus.

Lapurdensis Tractus | Le Labour, seu Le Lapourdan | c.12. tit.2 | §.8. 167.

Les Larmes de Vendome. c.2. §.6. 34.

Lascara Bearnensium, Lasnois, Lasnra, Lasnum | Lescar | urbs. c.12. tit.2. §.9. 170.2.

Latatiburgum | Lautenbourg | urbs. c.3. Sect.4. §.3. 190. 12.

Latiniacum | Lagny | urbs. c.i. §.2. 19.

Lavallium | Laval | urbs. c.2. §.9. 37.3.

Lavaur. Vid. Vaurana Diœcesis. et Vaurum.

Laudunensis Tractus | Le Laonnois | c.i. §.10. 27.

Laudunum seu Lodunum | Laon | urbs. c.i. §.10. 27.i.

Launojus | Launois | Joannes | Jean | Sauli parisiensis Criticus. c.10. 109. in Not.

Lauriacensis Ager, seu Comitatus | Le Lauragais | c.ii. §.4. 131.

Lebretana Regio | Le païs d'Albret, vel de Lebret | c.12. tit.2. §.7. 165.

Labretum, seu Leporetum | Albret, Labrit, Alebret, Lebret | urbs. c.12. tit.2. §.7. 165.i.

Ladum | Lez | fluvius. c.ii. tit.2. §.5. 137.i.

Legio, Leona, S. Pauli Leonini Tractus | St. Paul de Leon | urbs. c.4. §.7. 55.i.

Leitoure, Letoure. Vid Lactora.

Lemanus Lacus | Le Lac de Geneve | Broocm. ii.

Lemba | La Lembe | fluvius. c.ii. §.4. 131.2.

Lemovica, Lemovicina, Lemoviam | Limoges | urbs. c.12. tit.i. §.4. 149.i.

Lemovicensis provincia | Le Limosin, Le Limousin | c.12. tit.i. §.4. 149.

Leonania | La Lomagne | c.12. tit.2. §.3. 158.

Leona urbs. Vid. Legio.

Leporetum, urbs. Vid. Lebretum.

Lera, Ledus | Le Loir | fluvius. c.2. §.9. 37.

Lerina Insula | Les Isles de Lerins | c.10. §.9. 118.3.

Lescar, urbs. Vid. Lascara.

Letour, urbs. Vid. Lactora.

Lex Salica | La Loix Salique | Broocm. 3.

Lexovium, Lixovium | Lizieux | urbs. c.5. §.i. 60. 2.

Lez fluvius. Vid. Ladum.

S. Licerius, S. Licarii Franum | Saint Lizier | urbs. c.12. tit.2. §.i. 154.

Ligeris | Loire | fluvius. Broocm. ii.

Liguistes | Foederati Catholici adversus Hugenotos. c.i. §.8. 25.2.

Limoges, urbs. Vid. Lemovica.

Le Limosin, Le Limousin. Vid. Lemovicensis provincia.

Lingones | Langres | urbs. c.7. §.6. 82.

Lion, urbs. Vid. Lugdunum.

Le Lionnois. Vid. Lugdunensis Ager.

Lizieux urbs. Vid. Lexovium.

Lisona | La Lisone | fluvius. c.12. Sect.2. §.4. 181.6.

St. Lizier, urbs. Vid. S. Licerius.

Lodeve, urbs. Vid. Lutevа, et Diœceris Lutevensis.

Loing, fluvius. Vid. Lupia.

Loire, fluvius. Vid. Ligeris.

La Lomagne. Vid. Leonania.

Lombarium | Lombez | urbs. c.12. tit.2. §.2. 155.2.

Longa villa | Longue ville | Oppidum. c.5. §.3. 62.5.

Le Long Credo, Mons. Longum Credo | Broocm. 12.

Lotharingia | La Lorraine | c.13. Sect.3. 183.

Lotharingia Ducatus | Le Duché de Lorraine | c.13. Sect.3. §.i. 184.

Lotus | Le Lot | fluvius. c.12. tit.i. §.6. 151.

Lucella, Luinella | Lützel, Luelle | Monasterium. c.13. Sect.4. §.i. 188.3.

Luciona, Lucionum | Lucon, Luson | urbs. c.2. §.ii. 39.7.

Ludera, Luthara | Lure, Leure | urbs et Monasterium, cujus Monachi, abjecto cuculto fastu sunt Canonici. c.13. Sect.2. §.i. 178.3.

Ludovicia Arx, seu Ludovicianum | Fort Louis | urbs. c.13. Sect.4. §.3. 190. ii.

Lugdunensis provincia | Le Lionnois | c.3. 42.

Lugdunensis Ager in specie | Le Lionnois particulier | ibid.

Lugdunum | Lion, Lyon urbs c.3. §.i. 42.

Luisium, Luinus, Franum S. Joannis Luisii | St. Jean de Luze | urbs. c.12. tit.2. §.8. 167.2.

Luna Villa, Lunaris Villa | Luneville | urbs. c.13. Sect.3. §.i. 184.

Lupia | Le Loing | fluvius. c.i. §.4. 21.

Lure p. urbs. Vid. Ludera.

Lusignanum, Lusinianum | Lusignan | urbs et Castrum. c.2. §.ii. 39.3.

Lutava | Lodeve | urbs. c.ii. tit.2. §.4. 136.

Luxovium, Luxodunum | Luxeu, Luxeul | urbs et Monasterium. c.13. Sect.2. §.i. 178.4.

Luza | St. Jean de Luze. Vid. Luisium.

M.

Maclovicensis Diœcesis | Le Diocese de St. Malo. c.4. §.3. 51.

Maclovium, Sancti Maclovii Fanum / St. Malo / urbs. c.4. §.3. 51. Mâcon. Vid. Matisco.
Magalo Laus. c.ii. tit.2. §.5. 137. i2 in Not. *.
Magalona urbs. c.ii. tit.2. §.5. 137. in Not.
Le Mains / Cenomania / c.2. §.9.37.
Maine, fluvius. Vid. Medrana.
Mallesolium / Manleon, Manleon de Soule / urbs. c.i2. tit. 2. §.8. 169.
S. Malo, urbs. Vid. Maclovium
Mande, Mandes, urbs. Vid. Mimata.
Manduria / Mandeure / urbs. c.i3. Sect. 2. §.5. 182. 3.
Mans, urbs. Vid. Cenomanum.
Le Mantois. Vid. Medruntinus Tractus.
Marcellinus Comes Seculi VI. Scriptor. c.7. 76. in Not.
Marchia Gallica / La Marche /
Trium Marianum Fanum / Les trois Maries / Oppidum. c.10. §.5. 114. 6.
Marlia, Marlium / Marly / palatium Regium. c.i. §.i. 18.7.
Marne, fluvius. Vid. Matrona.
Marsolium / Marsal / urbs. c.i3. Sect. 3. §.3. 186.2.
Marsilia / Marseille / Vid. Massilia.
Ad Lamum Martigii / Martegues / tres urbecula. c.10. §.5. 114. 5.
Martialis / Marcus Valerius / Poëta Latinus. c.9. §.7. 108. i. in Not.
Martiniani Mons. / Le Mont de Marsan / Vid. Mons Martiani.
Martianum, Martianus Ager / Le Païs de Marsan / c.i2. tit. 2. §.7. 168. 2.
Mascon, Mâcon, urbs. Vid. Matisco.
Massanus Mons / Massan / c.i3. Sect. i. 173.
Massilia, Massilia / Marseille / urbs. c.10. §.6. 115.
Massiliense Territorium seu Diocesis / La Diocese de Marseille / c.10. §.6. 115.
Massonis Monasterium / Masmünster, Moiseveaux / urbs. c.i3. Sect. 4. §.i. 188. i.
Matisco, Matiscona / Mascon, Mâcon / urbs. c.8. §.8. 93. i.
Matisconensis Ager / Le Masconois, le Mâconois / c.8. §.8. 93.
Matrona / Marne / fluvius. Groem. ii. item c.7. §.3.79.
Mauleon, urbs. Vid. Mallesolium.
Mauri Monasterium / Maüer-Münster, Maurmoutier / urbs et Monasterium. c.i3. Sect. 4. §.3. 190. 8.
S. Maximini Fanum / St Maximin / urbs. c.10. §.i. 110.2.
Mayene, fluvius. Vid. Medrana.
Mayençe, urbs. Vid. Medrana.
Mazarinum urbs. Vid. Rothelium.

Meaux, urbs. Vid. Meldæ.
Medius, Medianus Vicus / Moyenvic / urbs. c.i3. Sect. 3. §.3. 186.2.
Medrana / Mayenne / urbs. c.2. §.9. 37.2.
Maduana, fluvius. c.10. §.15. 124.
Medruntinus Tractus. / Le Mantois / c.i. §.5. 22.
Meldæ / Meaux / urbs. c.7. §.8. 84. i.
Melodunum / Melun / urbs. c.i. §.3. 20.i.
Menagius / Menage / Æ. gidius / celebris praeteriti Seculi Scriptor. c.2. §.10. 38.i.
Monde, urbs. Vid. Mimata.
Merva / Merve / fluvius. Groem. ii.
Meta / Metz / urbs. c.i3. Sect. 3. §.3. 186. i.
Metensis Episcopatus / L'Evêché de Metz / c.i3. Sect. 3. §.3. 186.
Meuse fluvius. Vid. Mosa.
Midorius / Le Midre / fluvius, c.i2. tit. 2. §.7. 168. 2.

Miliadum / Milhaud / Milland / urbs. c.i2. tit. i. §.6. 151. 4.
Mimata, Mimate / Monde, Mande / urbs. c.ii. tit.2. §.3. 161.
Mirapium / Mirepoix / c.ii. §.2. 129.3.
Moiseveaux, urbs. Vid. Massonis Monasterium.
Molinum, Molina, Molinæ, Moulinæ, Moulina / Moulins / urbs. c.3. §.3. 44. i.
Molsheimium, Molsheim / urbs. c.i3. Sect. 4. §.3. 190.6.
Mombrisonium / Monbrison / urbs. c.3. §.5. 46.3.
Monasteriolum, Monstrolium / Moustiers, Moutiers, Moustiers / urbs. c.10. §.2. iii. 2.,
Mons Albanus, Montalbanum / Montauban / urbs. c.i2. tit. i. §.5. 150.2.
Mons Bellicardus, Mons Belgardus / Montbelliard, Mümpelgard / urbs. c.i3. Sect. 2. §.5. 182. i.
Mons Brusonis, Mons Bruso, Mombrisonium / Monbrison / urbs. c.3. §.5. 46.3.
Mons S. Claudii / Le Mont St. Claude. Groem. i2.
Mons Jovius / Mont Joux / Groem. i2.
Mons Jurassus / Le Mont Jura / Groem. i2.
Mons Ludovici, Lodoici / Mont Louis / urbs. c.i3. Sect. i. §.3. 176.
Mons Martiani / Le Mont de Marsan / urbs. c.i2. tit. 2. §.7. 165.2.
Mons Belgardus / Montbelliard / urbs. Vid. Mons Bellicardus.
Monspeliensis Diocesis, seu Tractus / Le Diocese de Montpelier / c.ii. tit.2. §.5. 137.
Mons pessulus, pessulanus, Mons paterius / Monspelium / Montpelier, Monpellier / urbs. c.ii. tit.2. §.5. 137. i.
Montanus Tractus / Le Païs de la Montagne / c.8. §.4. 89.
Montalban, urbs. Vid. Mons Albanus.

Montes Gebenna, seu Gebennici / Les Montagnes de Sevennes / Groem. i2.
[illegible] Vid.
Montes Pyrenæi / Les Pyrenées / Groem. i2.
Montmorantium / Montmorency / urbs. c.i. §.i. 18.4.
Montreüil, Montreuil, urbs. c.6. §.3.2.
Morlanus / Morlais / flumen. c.4. §.6. 54.
Mortarium / Le Fort Mortier / c.i3. Sect. 4. §.2. 189. 4.
Moritonia / Mortagne, Mortaigne / urbs. c.2. §.8. 36. i.
Mortier, Le Fort Mortier. Vid. Mortarium.
Mosa / La Meuse / fluvius. Groem. ii. et c.7. §.4. 80.2.
Mosella / La Moselle / fluvius. c.i3. Sect. 3. §.i. 184.7.
Moulins, urbs. Vid. Molinum.
Moutiers, Moutiers, urbs. Vid. Monasterium.
Moyenvic, urbs. Vid. Medius, Medianus Vicus.
[illegible]
Mulhusia / Mülfaüpon, Mulhouse / urbs. c.i3. Sect. 4. §.i. 188.7.
Mundat, vox Teutonum Germanum. Quid Significet. c.i3. Sect. 4. §.2. 189.3. in Not.
Murbacum, Murbachium / Murbach, Murbac / olim celebre Monasterium. c.i3. Sect. 4 §.2. 189.2.
Muretus / Marcus Antonius / celebris Orator. c.3. §.6. 47.2.
Mussipontium / Pont à Mousson / urbs. c.i3. Sect. 3. §.i. 184.2.

N.

Nanceium, Nanceium, Nantium | Nancy | urbs. c. 13. Sect. 3. §. 1. 184. 1.

Nannetensis Episcopatus seu Diocesis. | Le Diocese de Nantes, ou Le Nantois | c. 4. §. 2. 50.

Nannetum, Nannetes | Nantes | urbs. c. 4. §. 2. 50.

Narbo, Narbona | Narbonne | urbs. c. ii. tit. 2. §. 1. 133. 1.

Narbonense Territorium | Le Païs de Narbonne | c. ii. tit. 2. §. 1. 133.

Navarra Inferior | La Basse Navarre | c. 12. tit. 2. §. 8. 168.

Nemausensis Tractus seu Diocesis | Le Nemosez | c. ii. tit. 2. §. 6. 138.

Nemausus, Nemausium | Nismes | urbs. c. ii. tit. 2. §. 6. 138. 1.

Le Nemosez. Vid. Nemausensis Tractus.

Nemosium, Nemosinum, Nemosum | Nemours | urbs. c. 1. §. 4. 21. 1.

Neracum | Nerac | urbs. c. 12. tit. 2. §. 7. 165. 1.

Nevers, urbs. Vid. Nivernum.

Nevidunum | Nion | urbs. c. 9. §. 6. 104.

S. Nicolai Fanum | St. Nicolas | urbs. c. 13. Sect. 3. §. 1. 184. ii.

Nicolaus | Petrus | Pierre Nicole | c. 2. §. 7. 35. 1.

Nicopolis urbs Mœsiæ. c. 13. Sect. 2. §. 5. 182. in Not.

Nicotius | Nicot | Ab ipso planta, quam Tabacum vocamus, Nicotiana dicta est. c. ii. tit. 2. §. 6. 138. 1. subfinem.

Ninetta | Ninette | fluvius. c. 12. tit. 2. §. 8. 167. 2.

Nion, urbs. Vid. Nevidunum.

Niemas, urbs. Vid. Nemausus.

Niva | Nive | fluvius. c. 12. tit. 2. §. 8. 167. 1.

Nivalatus | Nivelet | fluvius. c. 12. tit. 2. §. 8. 167. 1.

Nivernensis Tractus | Le Nivernois | c. 2. §. 2. 30.

Nivernum | Nevers | urbs. c. 2. §. 2. 30.

Noailla, Oppidum. Vid. Noviliacum.

Nobiliacum | Noblac, St. Leonard le Noblet | urbs. c. 12. tit. 1. §. 4. 149. 2.

Nonicentum, Noginentum | Nogent le Rotrou | Oppidum. c. 2. §. 8. 36. 2.

Normanni | Les Normans | eorum mores. c. 5. 59.

Normannia, Normandia | La Normandie | provincia. ibid.

Nostradamus | Michaël | celebris sæculi XVI. Astrologus. c. 10. §. 5. 114. 2. in Not.

Noviliacum | Noaille | oppidum. c. 2. §. 11. 39. 6.

Noviodunum | Noyon | urbs. c. 1. §. 10. 27. 2.

Noviodunum Mediomatricum, urbs. Vid. Dominicopolis.

Noyon urbs. Vid. Noviodunum.

O.

Obernæa | Obernheim | urbs. Vid. Enheimum.

Oblia, urbs. Vid. Hiersum.

Oga | La Hougue, la Hogue | Promontorium et maris portus. c. 5. §. 8. 63. 4.

Oise, Oyse, fluvius. Vid. Isara.

Olbia, urbs. Vid. Hiersum.

Oleron, urbs. Vid. Fluvo.

Olonna. Vid. Alonna.

St. Omer, urbs. Vid. Audomaropolis.

Ordo Grandimontensis | L'Ordre de Grandmont | c. 3. §. 6. 47. 2.

Orgeletum, Orgelium | Orgelet, Orgelet | urbs. c. 13. Sect. 2. §. 4. 181. 5.

Orniacum, Auriniacum | Origni, Aurigni, Anfis: Aldernay | Insula. c. 5. §. 8. 66.

Orne | Orne | fluvius. c. 5. 59.

[illegible] | Isula.
[illegible]. Vid. Uranton. c. 9. 99.
Oweza, fluvius. Vid. Uweza.
Oyse, fluvius. Vid. Isara.

P.

Le Païs reconquis | Patria recuperata | c. 6. §. 1. 64.

Palum, Paulum | Pau | urbs. c. 12. tit. 2. §. 9. 170. 1.

Lamia, Apamia, Apamia | Lamiers, Lamiac | urbs. c. 11. §. 2. 129. 2.

S. Papuli Diocesis | St. Papoul | c. 11. §. 4. 131.

Papulum, S. Papuli Fanum | St. Papoul | urbs. c. 11. §. 4. 131. 2.

Paperianum | Perpignan | urbs. c. 13. Sect. 1. §. 1. 174. 1.

Parisii, Lutetia Parisiorum | Paris | urbs. c. 1. §. 1. 18. 1.

Pau, urbs. Vid. Palum.

S. Pauli Fanum | St. Paul ou le Comté de St. Paul | urbs. c. 10. §. 10. 119. 2.

S. Pauli Fanum ad tria Castra | S. Paul trois Chateaux | Vid. Fanum S. Pauli ad tria Castra.

S. Pauli Leonini Fanum | St. Paul de Leon | urbs. c. 4. §. 7. 55. 1.

S. Pauli Leonini Diocesis | St. Paul, St. Pol de Leon | c. 4. §. 7. 55.

Paulum, urbs. Vid. Palum.

Pausanias Historiographus. Boeotic. 2. in Not.

Pequiniacum, Piquiniacum | Pequigni | urbs. c. 6. §. 5. 72. 2.

Perche. Vid. Pertius.

Le Perigord. Vid. Petricoriensis Ager.

Perigueux, urbs. Vid. Petricorium.

Peronna | Peronne | urbs. c. 6. §. 6. 73.

Perpiniacense Territorium | La Viguerie de Perpignan | c. 13. Sect. 1. §. 1. 174.

Perpiniacum, Paperianum | Perpignan | urbs. c. 13. Sect. 1. §. 1. 174. 1.

Pertius, Perticensis regio | Le Perche | c. 2. §. 7. 36.

Pertis | Perte | Oppidum. c. 7. §. 3. 79.

Pertius, seu Pertensis Ager | Le Pertois | c. 7. §. 3. 79.

Petra forata | Pierre Chourade | urbs. c. 12. tit. 2. §. 7. 168. 4.

Petricoriensis Ager, seu provincia | Le Perigord | c. 12. tit. 1. §. 3. 148.

Petricorium | Perigueux | urbs. c. 12. tit. 1. §. 3. 148. 1.

Phalsburgum | Chebourg | urbs. c. 13. Sect. 3. §. 184. 6.

Phorai, seu Phoenopuli. c. 10. §. 6. 115. in Not.

Picardia | La Picardie | c. 6. 67.

Pictavia | Le Poitou | c. 2. §. 11. 39.

Pictavium | Poitiers | urbs. c. 2. §. 11. 39. 1.

Pierre Chourade. Vid. Petra forata.

Pierre Port. Vid. Petrus.

Piquiniacum. Vid. Pequiniacum.

Plombaria | Plombieres | urbs cum Thermis celebribus. c. 13. Sect. 3. §. 1. 184. 9.

Podium, Anicium | Puy | urbs. c. 11. tit. 3. 143.

Poitiers, Poitiers, urbs. Vid. Pictavium.

Le Poitou. Vid. Pictavia.

St. Pol de Leon. Vid. S. Pauli Leonini Diocesis.

Polignacum | Polignac | urbs. c. 13. Sect. 2. §. 4. 188. 3.

Polybius Historiographus Graecus. c. 2. §. 9. 37.

Pons Clavensis | Pont Arlier | urbs. c. 13. Sect. 2. §. 4. 181. 4.

Pons Royani | Pont de Royan | urbs. c. 9. §. 9. 103. Vid. Royanensis Tractus.

Pons Saravi | Parbin | urbs. c. 13. Sect. 2. §. 1. 184.

Pons, seu Fanum Spiritus Sancti | Pont St. Esprit | urbs. c. 11. tit. 2. §. 7. 139.

Pontius Comitatus | Le Ponthieu | c. 6. §. 3. 70.

Pontiopolis Tomeriæ Fanum S. Pontii Tomeriani | St. Pons de Tomieres | urbs. c. 11. tit. 2. §. 1. 133. 2.

Pontisara | Pontoise | urbs. c. 1. §. 6. 23.

Portus gratiæ | Havre de Grace | urbs et portus maris. c. 5. §. 3. 62. 2.

Portus Ludovici | Port Louis | c. 4. §. 9. 57. 2.

Priscillianus Sanctus Hyspanus. Trevirensis. c. 12. tit. 1. §. 3. 146. 1. in Not.

Procquin Historiographum. c.ii.§.3.130. in Not.
Prosper / Tiro / Aquitanus. p. c.ii.tit.2.§.5. 37. i. in Not.
Provincia / Provence / Regio. c.10.109.
Provinum, Provinum Provins / urbs. c.7.§.8. 4.2.
Puella Aurelionensis La Pucelle d'Orleans / i.§.i.18.3. in Not. item 5.§.i.60.i.
Pulverium. Vid. Setia.
Puy, urbs. Vid. Podium.
Pyrenæi Montes / Les Pyrenées / Broam. 12.

Q.

Quadrigallensis Pagus / Le Charolois / c.8. 7.92.
Le Quercy, Le Querey. Vid. Cadurcensis Pagus.
Quimper urbs. Vid. Corentinopolis.
Quintinum, Quintinopolis, Fanum S. Quintini / St. Quintin, St. Quentin / urbs. c.6.§.7.74.

R.

Rabelais / Franciscus / Medicus Monspeliensis. ii.tit.2.§.5.137.i. in Not.
Rancomnetus / Rima / vir Sæculi XVI. eruditissimus. Primùm Senator Curiæ Burdegalensis, post Præses Cameræ Inquisitionum Parisiis. Infelix et tristissimus ejus et familiæ ipsius interitus. 12. tit. i.§.3.148.i. Sub finem.
Rea, Insula / L'Isle de Ré / c.2.§.3.41.2.
Recorius / Recarte / fluvius. c.8.§.7.92.
Redonensis Episcopatus / L'Evêché de Rennes / c.4. i.49.
Redones, Redona. Vid. Rennes / urbs. c.4.§.i.49.
Rejensis Diœcesis / Le Diocese de Riez / c.10.§.2. ii.
Reji Apollinarii / Riez / urbs. c.10.§.2.iii.i.
Religio Gallorum Broem. 18.
Remensis Ager / Le Remois / c.12.§.2.78.
Remi / Reims / urbs. c.7. §.2.78.
S. Remigii Fanum / St. Remy / urbs. c.10.§.16.125.2.
Remiremont, urbs. Vid. Romarius Mons.
Le Remois. Vid. Remensis Ager.
Rennes, L'Evêché de Rennes. Vid. Redones, et Redonensis Episcopatus.
Rentica / Renti / urbs. c.13. Sect.§.191.9.
Rethelensis Ager / Le Rethelois / c.7.§.4.80.
Rethelium, Mazarinum / Rethel, Mazarin / urbs. c.7.§.4.80.i.
Rhedonensis Diœcesis. Vid. Redonensis Episcopatus.
Rhedones, urbs. Vid. Redones.
Rhenensis Ager / Le Rhenois. c.7.§.2.78.
Rhemi / Rheims / urbs. c.7.§.2.78.
Rhinovia / Rhinau? / urbs. c.13. Sect.4.§.3.190.3.
Rhodanus / Le Rhone / fluvius. c.ii.127. item Broem. ii.
Richenovilla / Riefenwiflar / urbs. c.13. Sect.2. §.5.182.6.
Richolous, Richelium / Richelieu / urbs. c.2.§.ii. 39.2.
Riez territorium et urbs. Vid. Rejensis Diœcesis et Reji Apollinarii urbs.
Rigela, Risla, Riseta / Rille / fluvius. c.5.59.
Rivi, Rivena / Riom / urbs. c.ii.§.i.128.2.
Riviera Viridunensis / Riviere-Verdun / regio. c.12. tit.2.§.3.160.
Robee rivus. Vid. Rotobaum.
Robertus de Monte, celebris Sæculi XII. Scriptor. c.7.§.2.78. et c.9.§.3. 101. in Not.
Rochefort, urbs. Vid. Rupifortium.
Rochefoucaud, urbs. Vid. Rupes Fucaldi.
Roche sur Yon, Oppidum. Vid. Rupes ad Yonem.
Rochelle urbs. Vid. Rupella.
Rocroy, Rocroyum, urbs vide Rupes Regia.
Rodes, urbs. Vid. Ruthenensis provincia.
Rodumna / Roanne, Rouane / urbs. c.3.§.5.46.
Romanum / Romans / urbs. c.9.§.7.105.2.
Romarius, Romericus Mons / Remiremont / urbs. c.13. Sect.3.§.i.184. 8.
Romofius / Romoff / Portus maris. c.4.§.7. §§.i.
Rothomagense Territorium / Le Païs de Roüen / c.5.§.i.60.
Rothomagus / Roüen / urbs. c.5.§.i.60.i.
Rotobeum / Robec / rivus. c.5.§.i.60.i.
Roüen, urbs, et Territorium. Vid. Rothomagensis Ager, et Rothomagus.
Le Rouergue, p. Vid. Ruthenensis provincia.
Le Rousillon. Vid. Rusinonensis Comitatus.
Royanensis Tractus / Le Royannez / c.9.§.5. 103.
Rubeacum, Rufacum / Rüfach, Rouffac / urbs. c.13. Sect.4.§.2.189.3.
Rupella / La Rochelle / urbs. c.2.§.13.41.i.
Rupes Fucaldi / Rochefoucaud / urbs. c.2.§.12.40. 2.
Rupes Regia / Rocroy, Rocroy / urbs. c.7.§.4.80. 2.
Rupes ad Yonem / Roche sur Yon / Oppidum. c.2.§.ii.39.4.
Rupifortium, Rupes fortis / Rochefort / urbs. c.12. tit.i.§.2.147.2.
Rusinonensis Comitatus / Le Rousillon / c.13. Sect.1.173.
Ruthenensis provincia. / Le Rouergue, Rouargois, Le Païs de Rhodes / c.12. tit.i.§.6.151.
Ruteni seu Ruthena / Rodez / urbs. c.12. tit.i. §.6.151.i.

S.

Sagium / Seez, Sees / Sagii / urbs. c.5.§.6.64. 2.
Saintes, Saintes, Xaintes, urbs. Vid. Santones.
Saintonge provincia. Vid. Santonia.
Salia / Seille / fluvius. c.13. Sect.3.§.1.189.3.
Salica Lex / La Loi Salique / Broem. 3. in Not.

...na / Salina / Salsi, urbs. c.13. Sect.2. N.4. 181.1.

Salium, Salona / Salon / urbs. c.10. §.5. 114.2.

Salmasius / (Claudius) / pus. c.8. §.1. 86.1.

Salmurium, Salmuna, Salmuria / Saumur / urbs. c.12. §.10. 38.2.

Salona / Salon / urbs. Vid. Salium.

Sanitianum Territorium, seu Dioecesis / Le Diocese de Senez / c.10. §.3. 112.

Sanitium / Senez / urbs. c.10. §.3. 112.1.

Santeriensis Ager, seu Sanaterra / Santerre / c.6. §.6.72.

Santonia, Santones, seu Santonicus Ager / Saintonge, Xaintonge / c.12. tit.1. §.2.147.

Santones, Santona, pl. / Saintes, Xaintes, pl / urbs. c.12. tit.1. §.2.147.1.

La Saone, fluvius. Vid. Sorcona.

Saravus Ludovici / Sarlouis / urbs. c.13. Sect.3. §.1. 184.4.

Sarbrone, Sarbruch. Vid. Pons Sarravi.

Sarchia, Sarconia / Sark, Serke, Cers / Insula. c.5. §.8. 66.4.

Sarlatum / Sarlat / urbs. c.12. tit.1. §.3. 148.2.

Sarlouis, urbs. Vid. Saravus Ludovici.

Sarta, Sarata / Sarte / fluvius. c.2. §.5.36. et §.9. 37.

Saverne, urbs. Vid. Tabernæ Alsaticæ.

Saumur, urbs. Vid. Salmurium.

Scalbis / l'Escaut / fluvius. Procem. ii.

Scaliger / Josephus Justus / Saculi XVI. Criticus. c.12. tit.1. §.7. 182.

Scalestadium, Schelestadium / Schelstadt, Schelstadt, Selestat / urbs. c.13. Sect.4. §.2. 189.6.

Secor, urbs. Vid. Lucionia.

Sedanum / Sedan / urbs. c.7. §.4. 80.4.

Sedz, Sez, Sessio, urbs. Vid. Sagium.

Seide, fluvius. Vid. Salia.

Seine, fluvius. Vid. Sequana.

Selestat, urbs Vid. Scalestadium.

Semurium, Semurium / Semur, Semeur / urbs. c.8. §.5. 90.

Seneca / Lucius Annaeus / Philosophus Storicus. c.3. §.1. 42. in Not.

Senez, Dioecesis et urbs. Vid. Sanitianum Territorium, et Sanitium urbs.

Senlis, urbs. Vid. Silvanectum.

Senonensis Ager / Le Senonois. c.7. §.7.83.

Senones / Sens / urbs. ibid.

Separa Nannetensis / La Sevre Nantoise / fluvius. c.5. 59.

Sequana / Seine / fluvius. Procem. ii. et c.5. 59.

Serka / Cers / Insula. Vid. Sarchia.

Sessio / urbs. Vid. Sarchia.

Setina, Sentius Mons, Sulterium, Sigium / Sette, Set, Cette, Cap de Sette / Promontorium cum Arce et Portu. c.11. tit.2. §.3. 135.2.

Les Sevennes. Vid. Cemmenius Tractus.

Severopolis, Fanum S. Severi / St. Severe / urbs. c.12. tit.2. §.6. 164.2.

La Sevre Nantoise, fluvius. c.2. §.11. 39.

Sez, urbs. Vid. Sagium.

Sidonius Apollinaris. Quis. c.2. §.4.32. in Not.

Sigebertus celebris Saculi XII. Scriptor. c.7. §.2. 78. in Not.

Sigium. Vid. Setina.

Silvanectum, Silvianum / Senlis / urbs. c.1. §.8. 25.2.

Sirmundus / Jacobus / Jesuita, celeberrimus Scriptor. c.5. §.6. 64.2.

Sistaricum a Diocesis / Le Diocese de Sisteron / c.10. §.12. 121.

Sistero, p. / Sisteron / urbs. c.10. §.12. 121.1.

Sorcona / La Saone / fluvius. c.8. §.9. 94.

Soissons, urbs. Vid. Sueßrio.

Le Soissonnois. Vid. Sueßrionensis Ager.

Solensis Tractus / Le Païs de Soule / Vid. Subola.

Somona, seu Samera / la Somme / fluvius. Procem. ii.

Sorgia / Sorgue / fluvius. c.10. 109.

Soule / Le Païs de / vid. Subola.

Spartianus / Ælius / Saculi III. Historiographus Latinus. c.8. §.10.98. in Not.

Spinalium, Spinalium / Epinal / urbs. c.13. Sect.3. §.1. 184.7.

Spondanus / Henricus / Henry Sponde / Baronii continuator.

Strintfor. Vid. Voretus.

S. Stephani Fanum, urbs. Vid. Furanum.

Stephanus Byzantinus, Geographus, p. c.11. tit.1. §.2. 135.1. in Not.

Subola, seu Tractus Solensis / Le Païs de Soule / c.12. §.8. tit.3. 169.

Substantio, urbs. c.11. tit.1. §.5. 137. in Not.

Sueßio / Soisson / urbs. c.1. §.9. 26.

Sueßionensis Ager / Le Soissonnois. c.1. §.9. 26.

Suetonius / Tranquillus, Saculi II. Scriptor. c.10. §.5. 114.1. in Not.

Sulpitius Severus, Historiographus. c.7. §.7.83. in Not.

Suntaggria, Suntigavia, Suntgaw, Le Songau / c.13. Sect.4. §.1. 188.

T.

Tabernæ Alsaticæ / Elsaß-Zabern, Saverne / urbs. c.13. Sect.4. §.3. 190.9.

Tarano / Tarascon / urbs. c.10. §.16. 125.1.

Tarasconense Territorium / La Viguerie de Tarascon / c.10. §.16. 125.

Tarba / Tarbe / urbs. c.12. tit.2. §.9. 171.

Tarduera / Tardouere / fluvius. c.2. §.12. 40.2.

Tarnis / Tarne / fluvius. c.11. 127. et c.12. tit.1. §.6. 151.

Tarrena, Terrana / Terouane / urbs. c.13. Sect.1. 191.3.

Tec, fluvius. Vid. Tichis.

Telonensis Dioecesis / Le Diocese de Toulon / c.10. §.7. 116.

Talo / Toulon / urbs. c.10. §.7. 116.

Theorania. Vid. Teorania.

Therin, fluvius. Vid. Thesa.

Le Thierasche. Vid. Theorania.

Thuanus / Jacobus Augustus / Scriptor Saculi XVI. c.9. §.7. 109. i. in Not.

Tichis / Tec / fluvius. c.13. Sect.1. 173.

Tirasia. Vid. Teorania.

Tolia, Tolicha / Touque / fluvius. c.5. 59.

Tolobo, fluvius. Vid. Alauna.

Tolosa / Toulouse / urbs. c.11. §.1. 128.1.

Tolosanus Comitatus / Le Toulousain / c.11. §.1. 128.

Toronum, Turonium, Turonum, Touronnes / Tours / urbs. c.12. §.4. 32.1.

Touque fluvius. Vid. Tolica.

Toulon, urbs. Vid. Talo, Telonensis Diocesis.

Le Toulousain. Vid. Tolosanus Comitatus.

Toulouse urbs. Vid. Tolosa.

Tourraine. Vid. Turonia.

Toulouse, urbs. Vid. Tolo.

Tourraine. Vid. Turonia.

Toronum, Turonium, Turonum, Turones / Tours / urbs. c.12. §.4. 32.1.

Tractus Mediterraneus. Vid. Mediterraneus Tractus.

Treca / Troyes / urbs. c.7. §.1. 77.1.

Trecorensis Diocesis / Le Diocese de Treguier / c.4. §.6. 53.

Trecorium / Treguier urbs. ibid.

Tremolia, Trimalia, Trimulina / Tremble, Trimolle / urbs. c.2. §.11. 39.5.

Trevoux urbs. Vid. Trivoltium.

Triantinensis Tractus | Le Triantin, Le Triantinois | c.9. §.10. 108.

Trimelia, Trimulium | Trimouille | urbs. Vid. Tremolia.

Trivoltium | Trevoux, Trevou | urbs. c.8. §.10.95.

Trogus Pompejus, vetus Scriptor Latinus. c.ii. 128. i.

Tropetolis, Tropetis, Tranum S. Tropeti seu S. Eutropii | St. Tropez | urbs. c.10. §.8. 117.3.

Troyes, urbs. Vid. Trecæ.

Tullensis Episcopatus | L'Evêché de Toul | c.13. §.3. 186.

Tullum | Toul | urbs. c.13. Sect.3. §.3. 186.4.

Turonia, seu Tractus Turonensis | Touraine | c.2. §.4.32.

Turonium urbs. Vid. Turonum.

Turpinus, seu Tulpinus. Quis fuerit. c.12. tit.1. §.7. 152. in Not.

Tutela | Tulle | urbs. c.12. tit.1. §.4. 149.3.

V.

Vabræ, Vabricum, Vabrinum, Vabrinum p. | Vabres | urbs. c.12. tit.1. §.6. 151.2.

Vadum | Vé | Castrum. c.1. §.8. 25.

Valdemontium, Vaudemontium | Vaudemont | Oppidum. c.13. Sect.3. §.1. 184.10.

Valentia | Valence | urbs. c.9. §.8. 106.

Valentinensis Ager | Le Valentinois | c.9. §.8. 106.

S. Valeri, urbs. c.6. §.4. 71. S. Valerii Tranum.

Valesium | Valosium, Valesii, Valesius Ager | Le Valois | c.1. §.8. 20.

Vallagium, Vallium Tractus | Le Vallage | c.7. §.9.81.

Vallis Viarinatis Barcinonensis | La Vallée de Barcilonette | c.10. §.17. 126.

Le Valois. Vid. Valesium.

Vannes, urbs. Vid. Venetia.

La Diocese de Vannes. Vid. Venetorum Diœcesis.

Vapincensis Tractus. | Le Gapençois | c.9. §.4. 102.

Vapincum, Vapincum | Gap | urbs. ibid.

Var, flumen. Vid. Varus.

Varillas Historiographus Regius. c.3. §.6. 47.1.

Varus flumen | Le Var | c.10.109.

Vasatensis Ager | Le Bazadois | c.12. tit.2. §.5. 163.

Vasates, Vasata, Vasatum, Cossio, Cossium | Bazas | urbs. c.12. tit.2. §.5. 163.

Vasitantia, Vasconum Regio | Le Païs des Basques | c.12. tit.2. §.8. 166.

Vasconia | La Gascogne | c.12. tit.2. 153.

Vasconia propria. Vid. Chalosia.

Vasio Vocontiorum | Vaison | urbs. c.10. §.14. 123.2.

Vastinianus Tractus | Le Gastinois | c.1. §.4. 21.

Vaudemontium, Valdemontium | Vaudemont | Oppidum. c.13. Sect.3. §.1. 184.10.

Vauge Montagne. Vid. Vogesus.

Vaurana Diœcesis | Lavaur | c.11. §.4. 131.

Vaurum | Lavaur | urbs. c.11. §.4. 131.

Vé Castrum. Vid. Vadum.

Veciza | Veciza, Vasisa | rivus. c.3. §.8. 46.

Le Velay. regio. Vid. Velaunia. c.11. tit.3. §.3. 143.

Le Venaissin. Vid. Vendascensis Comitatus.

Vence, urbs. Vid. Vinciæ.

S. Venantii Tranum | St. Venant | urbs. c.13. Sect. 3. 191.5.

Venasca | Venasque | urbs. c.10. §.14. 123.4.

Vendascensis Comitatus | Le Comtat Venaissin | c.10. §.14. 123.

Le Vendomois | Vindonicensis Ager | c.2. §.6. 34.

Vendome | Vindocinum | urbs. c.2. §.6. 34.

NB. Les Larmes de Vendome | Lacryma Vindonicenses | ibid.

Venetia, Vindona | Vannes, Vennes | urbs. c.4. §.9.51.1.

Venetorum Diœcesis | Le Diocese de Vannes | c.4. §.9.57.

Verdon fluvius. Vid. Viridonus.

Verdun. Vid. Viridunum.

Verdun | Verodunum | urbs. c.13. Sect.3. §.3.186.5.

L'Evêché de Verdun | Verodunensis Episcopatus | c.13. Sect.3. §.3. 186.

Verdun | Viridunum | urbs. c.12. tit.2. §.3.160.

Le Vermandois. Vid. Veromanduensis Ager.

Verodunensis Episcopatus. Vid. L'Evêché de Verdun.

Verodunum urbs. Vid. Verdun.

Versailles | Versalia | urbs et Palatium Regium. c.1. §.1. 18.2.

Verinium, Verbinum, Verbinum p. | Verins, Verrin | urbs. c.6. §.8.75.2.

Velolum, Verullum, p. | Veron | urbs. c.13. Sect.2. §.1. 178.2.

Vesontio, Visontium, Besantio | Besançon | urbs. c.13. Sect.2. §.2. 179.

Vesontiensis Præfectura | La Prevôté de Besançon | c.13. Sect. 2. §.2. 179.

Le Vexin. Vid. Volcarum Tractus.

Le Vexin Normand. Vid. Vulcassinum Normanicum.

Vezère | La Vezere | fluvius. c.12. tit.1. §.3. 148.

Vibius Sequester Scriptor antiquus. c.1. §.6. 23. in Not.

Vicenna, seu Vicennarum nemus | Le Bois de Vicennes | Domus Regia. c.1. §.1.18.6.

Victoriacum Francicum | Vitry le François | urbs. c.7. §.3.79.

Vienna Allobrogum | Vienne | urbs. c.9. §.7. 105.1.

Viennensis Ager | Le Païs Viennois | c.9. §.7. 105.

Vienne flavias Allobrogum

Vigenna, Vignana | Vienne | fluvius. c.2. §.11.39.

Vilaine | Vilonia | fluvius. c.4. §.1.49.

Villa Franca, Francopolis Ruthenensis | Ville Franche de Rouergue | c.12. tit.1. §.6. 151.3.

Villa franca | Ville franche | urbs. c.13. Sect.1. §.2. 175.

Vimacum seu Vimenensis Pagus | Le Vimeu, Le Vimeux | c.6. §.4.71.

Vinciana Diœcesis | Le Diocese de Vence | [illegible] urbs p. 71. c.10. §.10. 119.

Vincium, Vintium | Ventia, p. Vence | urbs. c.10. §.10. 119.1.

Vindocinensis Ager | Le Vendomois | c.2. §.6. 34.

Vindona, urbs. Vid. Venetia.

Vindonicensis Ager | Le Vendomois | c. 2. §. 6. 34.
Vindocinum | Vendome | urbs. c. 2. §. 6. 34.
B. Lacrymæ Vindocinenses | les Larmes de Vendome.
Viridonus | Verdon | flumen. c. 10. 109.
Viridunum, Viridunus, p. | Verdun | urbs. c. 8. §. 3. 88. 2.
Viridunum | Verdun | urbs. c. 12. tit. 2. §. 3. 160.
Vissana, Visana, | Vissan, Visan | urbs. c. 6. §. 1. 68. 4.
Vissenburgum | Wissenburg, Vissenburg | urbs. c. 13. Sect. 4. §. 3. 190. 13.
Visurgis | Wefer | fluvius. Prooem. 3.
Vitry le François urbs. Vid. Victoriacum Francicum.
Vivariensis Ager, seu Provincia | Le Vivarais | c. 11. tit. 3. §. 2. 142.
Vivarium, Vivaria, Viviarium | Viviers | urbs. c. 11. tit. 3. 142. 1.
Voretus | Pierre Port, Botzberg, Trintfor | Prooem. 12.
Vogesus | Vauge | Mons. Mons. Prooem. 12.
Volateranus | Raphaël, seu Maffæus | Sæculi XV. Scriptor celebris. c. 5. §. 5. 63. 1.
Volcassinus Tractus, aliàs etiam Vacassinus | Le Vexin | c. 1. §. 6. 23.
Uliarius Insula | L'Isle d'Oleron | c. 2. §. 3. 41. 2.
Unicornis Cornu. c. 1. §. 1. 18. 3. in Not.
Urtensis Tractus | Urt | vid. Hortensis Tractus.
Uveza | Ouveza | fluvius. c. 10. §. 19. 124.
Vulcassinum Normanicum | Le Vexin Normand | c. 5. §. 4. 63.
Vultonia | la Bourmone | fluvius. c. 12. tit. 1. §. 2. 147.
Uxantus, Uxantis, Uxantisina, Usantis, Usantisina | Ouessant | Insula. c. 4. §. 10. 88. 2.
Uzetia, Uccia, uzetia, Unica | Uzes | urbs. c. 11. tit. 2. §. 7. 139. 1.
Uzetiensis Tractus, seu Diœcesis | l'Uzege | c. 11. tit. 2. §. 7. 139.
Wefer, Visurgis | fluvius, Prooem. 3.

W.

Waractus, Carautum, Gueretum | Gueret | urbs. c. 3. §. 6. 47. 1.
Wefer | Visurgis | fluvius Prooem. 3.

X.

Xaintes | Santones, Santona, p. | urbs. c. 12. tit. 1. §. 2. 147. 1.
Xaintonge | Santonia, Santonicus Ager. c. 12. tit. §. 2. 147. 1.

Y

Yonne, fluvius. c. 2. §. 11. 39. 4.
Yvetot, urbs seu Oppidum. Vid. Ivetotum.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Ha sunt provincia, quas Reges Francia in Europa corona sua adjunxerunt. In Asia et Africa pau ca admodùm loca possident, at in America preter varias Insulas habent Novam Franciam; et modò Gallos inter et Anglos vigent contentiones ob partem Acadiæ, quam illi sibi vindicant, hi verò ad se pertinere contendunt.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST